

agente Erleboldo fratre et successore, honorificentissime translata sunt anno sequenti, et celebrante exsequias Henrico Leodiensi episcopo, in medio chori septimo Kalendas Augusti condita fuerē. Epi-

A taphium hic subjicimus, quod annales Corbeie habent ex Chronico Huxarie, tametsi Stabulensium opinio est, monumento ejus incisum esse nihil præter nomen Wibaldi et mortis diem.

WIBALDUS DEO ET ECCLESIAE.

Qui vixit, dum vixit, inter mortales omnium abbatum felicissimus,
Summo (54) pontifici, imperatori, et principibus charissimus,
Exuvias corporis sui hic deposuit,
Universæ posteritati ob pietatem, diligentiam et singularem zelum,
Maxime et perpetuo commendandus,
Tu qui post eum sedebis, fac idem, et vives.

Fusius hactenus res gestas Wibaldi abbatis digessimus, tanti viri memoriam molestius ferentes penitus obliterari. Pauca jam de epistolis ejus subjicere juvat. Ex antiquo codice Stabulensi prodeunt omnes, exceptis solum modo undecim, quæ jure antiquitatis primum hic locum occupabunt. Is autem codex plurimas autographi notas habet, quas ne lectores ulterius moremur, expendere non libet. Sed integer non est, avulsis in ipso initio foliis quatuordecim, quæ procul dubio scriptum continebant electionis Wibaldi in Corbeensem abbatem, et nonnullas Conradi imperatoris ac principum litteras, quibus *ad tantæ rei regimen* invitabatur. Quæ enim sequuntur omnes ex eo solum tempore scriptæ sunt. Unde conjicimus Wibaldi epistolas duos saltem in tomos fuisse distributas, quorum prior exciderit. Quantum hæc jactura litterariæ reipublicæ damnum importet, ex posteriori parte judicabitur. Hæc sane Conradi imperatoris, Henrici filii ejus, Fredericique actus præcipui enarrantur sigillatim. Colonien-
Moguntinæ, Bremensis, Mindensis, atque aliarum
rabiliū Germaniæ Ecclesiarum historia mire illustratur. Acta restituuntur nonnulla quæ hactenus exciderant conciliorum Treverensis et Remensis anni 1148. Disciplina denique, cum ecclesiastica,

B tum monastica multis in locis elucidatur, uti jam discussimus in præfatione generali.

Thesaurum hunc debemus reverendissimo Patri domino priori majori imperialis ecclesiæ Stabulensis, qui codicem ms. non solum communicavit, sed et exscriptum cum instrumentis monasterii dedit. Epistolas etiam quinque (ep. 7, 8, 9, 10, 11) nobis transmisit reverendissimus dominus dominus Anscharius de Grass, liberæ et imperialis ecclesiæ Corbeiensis capitularis et prior, celsissimi ac reverendissimi S. R. I. principis et abbatis vicarius in spiritualibus generalis, et archidiaconus, ac tandem unam cum præcipuis monasterii sui instrumentis dedit illustrissimus dominus abbas Walciodorensis, quas epistolas sex cum aliis quinque, e schedis partim Mabillonianis partim e Chronico Casinensi a nobis excerptis, initio præsentisimus.

C Et ne quid quod ad nos attinet, de Wibaldo desideraretur, ea instrumenta et litteras privilegiorum, quæ Corbeiensis abbas et princeps confecit ipse aut impetravit, adjecimus in fine, ad instar appendicis, tametsi hæc jam in Annalibus Paderbornensibus, cum aliis Corbeie monumentis aliqua ex parte evulgata sunt.

(54) Imo pontificibus saltem quinque, et imperatoribus quatuor.

WIBALDI EPISTOLÆ.

EPISTOLA PRIMA.

WIBALDI ABBATIS CASINENSIS AD LOTHARIUM IMPERATOREM,
A Petro Diacono composita.

Exponit ei Casinensis monasterii calamitates, auxiliumque ac protectionem ejus implorat.

(Anno 1157.— Ex ms. Casinensi eruit Mabillonius.)

LOTHARIO Dei gratia Romanorum invictissimo Cæsari, imperatori Augusto, ac triumphatori perpetuo, WIBALDUS Dei gratia Casinensis cœnobiî minister, indignus debitæ fidelitatis obsequium.

Post innumeras sollicitudines, quibus nimirum oneratur Romanum imperatoris fastigium, laudabile clementiæ vestræ cognoscimus, Christianissime imperator ac triumphator invicte, esse propositum, per quod submotis omnibus discordiarum ac querimoniarum seminibus, quæ in agro Dominico hu-

D mani generis inimicus asperserat, sanctæ Catholicæ Casinensi Ecclesiæ piissimo mentis affectu consu-
lere voluistis, in quo scilicet animi voto ac desiderio, quantum rebus humanis favere providentia divina dignetur, sollicitudo clementiæ vestræ spiritu Dei incitata demonstrat, quæ more Romanorum imperatorum benigna circa omnes existit, ideo et quasi Deo contemplante, populum Domini sibi commissum felici regat semper et gubernet intuitu, nec amplius patiatur eos aliquibus sæculi hujus procellis illidi, aut malignis perturbationibus concuti, quatenus post hoc vitæ præsentis imperium regnum cœleste adipisci, et in æternum cum Domino retinere valeatis. Hinc itaque pro tanta devotione animique vestri sinceritate, quam non solum verbis, sed lucifluis etiam operibus circa Casinensem Ecclesiam

et nostram parvitatem ostendistis, obnixe petimus, ut vestro potenti solatio sanctam Casinensem Ecclesiam Romani imperii specialem ac singularem cameram in hoc periculoso tempore in omnibus adjuvare defendereque non dedignetur, quatenus ex hoc vestra imperialis gloria beatissimi P. nostri Benedicti suffragantibus meritis, per cunctas orbis Romani partes magis in dies semper accrescat, et apud omnipotentem Dominum dignam retributionem percipiat. Quanta autem et qualia per impiissimas gentes Longobardorum, Northmannorum (55) et Saracenorum ego et Casinensis Ecclesia pro fidelitate Romani imperii et apostolicæ sedis sustineamus stylus scribere non sufficit, cum omnia ligna silvarum herbæque camporum, undæ maris, ac arenæ littorum, si vertantur in linguas, enarrare non valeant. Nihil enim aliud Casinensi Ecclesiæ nisi tribulationem inenarrabilem reliquerunt, et ecce, proh dolor! rege Northmanorum Rogerio cum suo exercitu gratulante, solus fidelium cœtus magna mœstitudine consumitur, Christianorum sanguis effunditur, monachi in carceris vincula vincuntur, devotus Deo populus continua strage vastatur. Nam qui evadit ignem vel gladium, præda efficitur, captivus trahitur, venundatur, et exsul perpetuo constituitur. En civitates, castra, ecclesiæ ac monasteria destituta hâbitatoribus disperierunt, et præpositi ac monachi hæc illacque dispersi, sola illis B. Benedicti limina derelicta sunt in refugium, cum monasteria eorum in ferarum redacta sint cubilia, et ipsi vagi et sine tectis inventi, non jam eis liceat prædicare nomen Domini, sed mendicare. Ecce, imperator invicte, pervenit gladius usque ad animam, ecce dies in qua clamamus: Beatæ steriles quæ non genuerunt, et beata ubera quæ non lactaverunt (*Luc. xxiii*). Ecce illa periculosa tempora, Pauli voce prædicta (*II Tim. iii*). Libet ergo cum Jeremia clamare: *Quis dabit capiti meo aquam et oculis meis fontem lacrymarum* (*Jer. ix*), ut plangam tantam ac tantam miseriam, tale ac tantum excidium patriæ? Sedet in tristitia, quin potius in ruina Casinensis Ecclesia caput omnium monasteriorum, mater omnium cœnobiorum, consolatio tristium, portus periclitantium.

Ecce, inquam, revera dies tribulationis et angustiae, dies calamitatis et miseriæ, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulæ et turbinis, dies tubæ et clangoris. Præterito quippe anno homines B. Benedicti seminaverunt; sed propter militias vestri invicti imperii non recollerunt: hoc vero anno quia non seminant, nec est recolligendi fiducia. Quid vero de exercitu Siciliæ dicam, cum comites Aquinenses et homines terræ B. Benedicti, et omnes circumcirca manentes, contra sacramentum quod vobis et Romano imperio et Casinensi Ecclesiæ fecerunt, nil melius operentur? *Residuum*

enim locustæ comedit brucus, ut ait propheta (*Job i*). Quid enim Northmanni faciunt, et comites Aquinenses peïora non faciunt? Illi terram occupant, isti nihil ex civitatibus vel ex rure dimittunt; illi occidunt gladio, isti ablatis omnibus fame trucidant, illi in captivitatem ducunt, isti sibi in servitutem redigunt; et cum queritur quis adversus hostes dimicet, inveniuntur nulli, cum scilicet eorum oppressione retenti, ad mandatum nostrum occurrere prorsus inveniantur. Sed cum undique angustiati clamamus, non est qui audiat, non est qui respondeat, non est qui adjuvet, non est qui salvum faciat, non est qui protegat. Et quid dicam vel quid loquar, cum pervenerit gladius usque ad animam, et sanguis omnium interfectorum de terra clamet ad Deum? omnis namque populus diversi sexus et ætatis intra mœnia cœnobii Casinensis congregatus consistit, et omnibus forinsecus devastatis, ac in solitudinem redactis, nihil jam restat, nisi, quod Deus avertat, ipsius ecclesiæ Casinensis excidium. Illud autem quod habere videmur solo nomine utimur, ut vel ad defensionem cœnobii, vel ad aliquam utilitatem ejusdem Ecclesiæ quorumlibet solatia nunquam inveniamus. Præcipue autem mihi quem vestra ibi præfecit majestas non solum nulla solatia conferunt, verum etiam quidquid residuum est ab hostibus imprætermisse subtrahunt, et omnem nostram dispositionem in terra B. Benedicti suis violentiis calcant: adeo ut nec victualia, nec ulla quadrupedia in omnibus nostris remaneant, nec ullus qui nobis compatia- tur, vel nostros singultus, vel gemitus doleat; oculus noster aspiciat. Sed quia tanto imperatori, tanto Augusto pauca sufficiunt, ex istis jam, triumphator invicte, quæ nos præ gemitu et afflictione cordis loqui non possumus, et ex verbis filii nostri Petri hujus epistolæ dictatoris ac Romani imperii per omnia fidelis, quem in Alemanniam, Saxoniam, Daciam, Sueviam, ac Lotharingiam mittere decrevimus, cognoscetis. Historiam vero occidentalium imperatorum, quam eidem Petro dictare præcepistis, noveritis adhuc non explesse. Variis enim tribulationibus et angustiis pressus, plus ei flere quam scribere libuit.

Ergo, præcellentissime Cæsarum, jam jam nostræ calamitati succurrite, cœnobii Casinensis miseras relevate, jam vestræ potentiæ manum porrigite, et eandem Ecclesiam, quæ specialis ac singularis Romani imperii camera semper fuit et est, ne si perdita fuerit et Romanum vilescat imperium, et toto orbi Romano noscatur dispendium, quia cum juxta præcipitum consistamus, nisi manu vestræ defensionis nos adjuvaretis, spe vivendi per Christianos sublata, aut ipsis paganis subjiçiemur, aut (quod avertat divina potentia!) ab eorum multitudine victi, ad omne Christianitatis dispendium cru-

(55) Northmannos hic eos vocat, qui sub Guiscardo principe ex Neustria venientes, Apuliam, Calabriam, ac demum Siciliam armis subjugarunt.

deli nece pereamus, ac per hoc et Christi nomen in gentibus blasphemabitur et vestræ opinionis anteacta studia oblivioni tradentur. Et ideo solotenus humo prostrati vestram augustalem clementiam poscimus, et per futurum iudicium ac per omnia divina et humana mysteria quæ in cœlis et in terra sunt adjuramus, atque cum tota Casinensi Ecclesia, cui me divina dignatio præficere voluit, vestro divinitus protecto imperio totis viribus suggerimus votisque supplicibus præces multas effundimus, ut contritæ, devastatæ, desolatæ, et omni humano solatio destitutæ sanctæ Casinensi Ecclesiæ defensionem debitamque tuitionem cunctis remotis occasionibus, cunctisque omissis dilationibus, in quantum valetis auxilii omnimodis præbeatis, quatenus qui innumeris tribulationibus quatimur, ac æstuamus, ac pro monachis nobis commissis miseriis cruciamur, vestris consolationibus relecti lætemur, et per vos tranquillitate percepta, optatam libertatem, sicut decet, per tam benignum ac sanctum imperatorem consequi mereamur. Nam vobis qui in agone contenditis, ut ad bravium supernæ vocationis, ut ad capessendam coronam incorruptam perveniatis ab omnibus aliis abstinendum est, et legitime pro Casinensi Ecclesia, quæ singularis Romani imperii camera est, decertandum. Quid autem magis legitimum, quam ut præ omnibus et ante omnia cameræ vestræ curam habeatis, quæ cunctorum monasterium caput et mater est, quæ vestro in tempore, tantis ac tam immanibus succumbit sine cessatione periculis? Denique si Casinensis Ecclesia, quæ cunctorum monasteriorum caput est, viget, cætera cœnobîa, quæ membra ejus sunt, quamvis languida, recuperandi fiduciam non amittunt. Quæ nimirum omni robore carent, si contingat solum caput forte languere, quanto potius (quod meritis sanctissimi Patris Benedicti avertat omnipotens Deus!) si contingat exstingui, etiam Benedictus ac Maurus cum sibi commissis ovibus merguntur. Erigite ergo illos a fluctibus, imperator invicte, si vos Pater Benedictus ab excessuum alluvionibus erigat, et vobis cœlestis atria regni intercessionum suarum precibus reseret, ut vitæ æternæ pascua invenianda inter angelos et archangelos sine termino tribuat quod oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit (I Cor. II). Imperii vestri magnificentiam Christus Dominus feliciter conservet, tueatur et defendat in annis. Bene valete.

EPISTOLA II.

WIBALDI AD LOTHARIUM IMPERATOREM ET RICHIZAM
EJUS CONJUGEM.

*Recenset deprædationes factas Casinensi monasterio
a Saracenis, Northannis, et Langobardis.*

(Anno 1157. — Ex ms. Casinensi eruit
Mabillonius.)

Domino piissimo et serenissimo imperatori Augusto, LOTHARIO Cæsari ac triumphatori perpetuo, ejusque uxori RICHIZÆ, a Deo protectæ Romano-

rum imperatrici, victorias certaminum, perennis vitæ bravium, subjectiones gentium, atque substratis hostibus pacis ubique bonum, GUIBALDUS sancti Casinensis monasterii minister indignus.

In variis, multiplicibus, ac diversis tribulationibus constitutus, vestrum de die in dies venturum sperabam auxilium; sed, ut video, fefellit me spes mea. Quantum enim relationibus vestræ piissimæ tranquillitatis ad nos in Casino venientium didicimus, vos jam fere Aquilegiæ propinquasse, etiam ipso auditu nimis noster contristatus ac dejectus est animus, et tanto jaculo mœroris cor nostrum infixit, ut linguæ humanæ nullus sufficiat explicare sermo. Quia nimirum magis nobis mœstitia de vestro ab Italia recessu nunc orta est, quam dudum mœror affecit, cum vestro imperiali jussu onera Casinensis cœnobii ferenda suscepi. De venerandis vero sermonibus vestris, quos nobis per nuntios vestros misistis, de sacramentis Northmannorum ac Langobardorum, utinam non illis imputetur! Melius enim fuerat illis non jurare, quam jurare et perjurium committere; omnes enim qui in istis partibus habitant, apostatantes ad Satan conversi sunt, et nihil vel dicunt vel faciunt, nisi quod digitus diaboli in corda eorum scribit. Nam quidquid nequitiae, quidquid malitiæ, quidquid perversitatis, quidquid tortitudinis vel dici vel cogitari potest, in operibus ipsorum cernimus. Quantas autem calamitates, quantas tribulationes, vel quantas persecutiones ab ipsis sustineam, per dilectissimum filium meum Petrum vobis notificare decreveram, sed quia itineris id longitudo et conclusio prohibuit, paucis aperiam. Post vestrum namque discessum Saraceni, Northmanni, atque Langobardi, inventientes quietam terram, quaquaversum tendunt, devastando depopulantur, incendio atque homicidiis totum exterminantes; sed nec arbustis fructiferis omnino parcunt, ne forte quos antea montium aut prærupta terrarum vel seclusa quæque occultant, illis pabulis nutriantur. Et sic eadem atque iterum tali crudelitati furentes, ab eorum contagione nullus lætus remansit, et nullus locus ab eorum infestatione est relictus immunis, præsertim in possessionibus sacratissimi monasterii Casinensis, nec non et in aliis ecclesiis, basilicisque sanctorum, monasteriisque sceleratius sæviunt, ut majoribus incendiis domus orationis, quam urbes cunctaque oppida comburant. Impletum est nunc in ecclesiis, quod vir sanctus ad Dominum declamat dicens: *Ubi laudaverunt te patres nostri, facta est exustio* [Vulg. in exustionem] ignis (Isa. LXIV). Nunc jam venit hora, ut omnes qui nostram terram deprædantur, incendunt, devastant, et ruricolos, ac monachos in nervo vinciant, compedibus ac manicis gravant, occidunt, vendunt, cruciant et persequuntur, arbitrentur se obsequium præstare Deo. Ubi autem venerabilis aulæ clausas inveniunt portas, certatim retibus dextralium aditus reserant, ut recte dicatur:

Quasi in silva lignorum securibus exciderunt januas ejus in idipsum, in securi et ascia dejecerunt eas, incenderunt igni sanctuariam tuam, in terra polluerunt tabernaculum nominis tui (Psäl. LXXIII). Quanti nunc ab eis pontifices, presbyteri, diaconi, monachi, nobiles, ignobiles, diversi sexus vel ætatis, interficiuntur! Quanti cruciantur, ut tradant si quid auri vel argenti proprium vel ecclesiasticum habeant! Et dum quæ habent urgentibus pœnis facilius dant, iterum crudelibus tormentis oblatores urgent, autumantes quamdam partem, non totum oblatum: et quanto plus dant, tanto amplius quempiam habere credunt. Non infirmior sexus, non consideratio nobilitatis, non reverentia sacerdotalis non monastici habitus stemma crudelissimas mentes eorum mitigat, quinimo ibi exaggerantur ira furoris, ubi honorem conspiciunt dignitatis. Senilis maturitas atque veneranda canities, quæ cæsariem capitis ut lanam candidam dealbat, nullam sibi ab hostibus misericordiam vindicat; parvulos etiam ab uberibus maternis rapiens barbarus furor insontem infantiam elidit ad terram. Impletum est nunc quod olim Judæi canebant: *Dicit inimicus incendere meos fines, et parvulos meos elisurum ad terras.* In ædificiis autem magnarum ecclesiarum, demorum, civitatum, ubi ingenium destructionis per ignem facere non possunt, parietes solo æquant, ut nunc antiqua illa speciositas ædificiorum nequid fuerit prorsus appareat. Quod si quis dictis fidem derogaverit, testis est civitas Puteolana; Aliphana, ac Telesina, quæ nihil aliud nisi quia olim fuere demonstrant. Sed et aliæ urbes quamplurimæ aut raris aut nullis habitatoribus incoluntur. Nam et hodie, si qua supersunt, subinde desolantur, sicut et de civitate Capuana, quæ olim post urbem Romanam totius Campaniæ et caput et gloria existit, fecerunt. Nam postquam eam hominibus deleverunt, auro et argento spoliaverunt, ne vel ad horam locus impietati cederet, illam incendio cremaverunt, et antiquam illam ingenuam ac nobilem libertatem in servitum redegerunt, præcipuosque in captivitatem duxerunt, ac aurum, argentum, gemmas, ac vestes, et quidquid pretiosum, quidquid carum invehent, asportarunt.

Quia vero quosdam aulicos vestri triumphalis imperii latet, et incredibile illis videtur istud quod describimus, huc si placet properantes, invenient verum esse quod scripsimus. Quanta autem et qualia intulerunt ipsi et dux illorum Casinensi cœnobio, et post vestram et ante vestrum adventum, referre quis valeat? sed ne videamur hoc intentatum relinquere, aliquanta hac ex parte describam, ut liquido vestra invicta imperialis elementia noscat, quantum nunc pro Romani imperii odio Casinensem infestent Ecclesiam, cum tam immaniter, tam impiissime, tam gravissime illam persecuti sunt. Capta namquæ civitate Capuana Seniorectus, qui

ante nos vestræ cameræ regimen tenuit, ab eo evocatus, et contra canonum decreta, contra Domini nostri Jesu Christi et omnium apostolorum ac Patris Benedicti præcepta sacramento constrictus est. Sed cum adhuc ista ejus in ejusdem regis animo non sufficerent, abstulit de monasterio aureos.... postquam vero hæc omnia pro suo velle explevit, destinat cancellarium suum..., qui monasterium ad castrum exinde faciendum caperent, monachos inde ejicerent, et universum monasterii thesaurum cunctamque suppellectilem cum corpore beati Benedicti sibi in Siciliam transmitterent. Quod monachi persentientes rebellare, et magis mori, quam sanctum locum dare decernunt. Audiens autem quod vestra triumphalis clementia duo millia Alemannos cum Annone abbate cœnobii Lunenburgensis ad monasterium defendendum transmittere disposuisset, abbatem ac fratres seducens, utrosque ad suam fidelitatem sacramento constringit, abbatem ad evangelia, monachos autem per ordinem suum. Abbate igitur vita decedente, dum adhuc ejus fere trum in ecclesia esset, destinati sunt a Carolino, qui tunc in partibus istis Rogerii vices agebat, ut nullus, eo absente, de abbatis electione tractare præsumeret. Dilatum itaque est, et contradicentibus ac mœrentibus monachis, usque ad ipsum adventum protelatum. Cumque illuc advenisset, cum ei ostenderentur de electione abbatis Patris Benedicti jussio, et privilegiorum ac præceptorum constitutio, respondit quod nil ad præsens istiusmodi valeret ostensio, sed differre electionem usque ad domini mei notitiam; sin autem tradite arcem Bantrensem (56-57), et eligite quem vultis, ita tamen ut prius fidelitatem domino meo faciat. Quod cum fratres se non implere dixissent; ille exercitum congregans universa cœnobii castra ab ejus ditione subduxit. Ecce bona quæ ante vestrum adventum Casinensi fecerunt Ecclesiæ, et adhuc deteriora in dies singulos faciunt. Ob quam rem rogamus, imperator invicte, ut vestræ cameræ afflictæ, destitutæ ac desolatæ subveniatis, ne quando dicant Saraceni, Northmanni ac Langobardi, Ubi est imperator illius? Erigite igitur, erigite vestros invictos, et a Deo conservandos Iacertos, et Casinensem Ecclesiam, cunctorum cœnobiorum matrem, de impiorum manibus liberate. Nam sicut inter omnia sidera solem constat in cœlestibus gerere principatum, ita nimirum in mundanis potentatibus Romanum cunctis præpollet imperium. Licet autem per se sit magnificum, patet tamen, quia tunc splendet augustius, cum a probo et illustri viro regitur: et ideo vestra probitas Casinensi succurrat Ecclesiæ, ne rutilans cœli gemma, id est Casinensis Ecclesia, de capite cunctorum cœnobiorum auferatur, et ad terram elisa, pedibus Saracenorum qui ignorant Deum conculcetur. Petrus vero noster filius vobisque per cuncta fidelis, sacratissimo vestro

imperio vobis se oppido commendat. Deus autem A
omnis gratiæ sic tempora vestra dignetur dispone-
re, ut per præsentis vitæ felicitatem æterni regni
sitis cohæredes.

EPISTOLA III

WIBALDI ABBATIS AD MONACHOS CASINENSES.

*Liberam eis alterius abbatis eligendi facultatem tri-
buit, cujus electio si canonica fuerit, promittit eos
se ab obedientia sibi promissa absoluturum.*

(Anno 1157.)

WIBALDUS, Dei gratia sancti Casinensis cœnobii
minister indignus, dilectis in Christo filiis et fratri-
bus in eadem Ecclesia Deo militantibus, spiritu con-
sillii et fortitudinis abundare.

Hactenus in agro Dominicæ culturæ, id est in
vestræ fraternitatis prælatione, arbor umbram non
fructum faciens, terram occupavi, non sine timore
vocem audiens Domini dicentis: Succide eam quæ
et ex se fructum non reddit, et sibi suppositam ter-
ram fructificare impedit. Quoniam igitur securis
ad radicem posita est, ut omnis arbor, quæ fru-
ctum non faciat, succidatur, nos consilium prophe-
ticum diutius dissimulare non potuimus, sed, quia
propter me periculosa et plena desperationis tem-
pestas orta est, nautis cessantibus, ipse me in mare
mittere non refugi. Itaque, quia sic a vobis recessi,
Deo teste, non metu mortis, sed quod mors mea
nihil vobis emolumentum, quin potius multum peri-
culi afferre poterat, ut ultra ad vos non reverti
disposuerim, præcipio vobis, in virtute sanctæ obe-
dientiæ, ut, postpositis partium studiis, remota omni
ambitione et venalitate, absque gratia vel odio,
aut acceptione alicujus personæ, secundum Regu-
lam S. Benedicti, personam catholicam et regula-
rem de corpore vestræ congregationis, invocata
sancti Spiritus gratia, in abbatem vobis et pasto-
rem animarum vestrarum, servata Casinensis cœ-
nobii libertate, sine mora eligatis. Statutum siqui-
dem nobis est, ut si hanc formam in eligendo vobis
abbate servaveritis, ut nos remissis vobis Ecclesiæ
vestræ (58) insignibus, vos ab obedientia et sub-
jectione nostra omnes pariter absolvamus, et vos
ad promotionem futuri abbatis liberos a nobis effi-
ciamus. Quod si (quod absit!) apud vos diabolicæ
et contentiosæ illæ conjurationes et conspirationes
in hac aliqui causa tentare et pervertere, præsum-
pserint, et aliquis tali factione sese intrudi permi-
serit, sciatis nos plenam de vobis auctoritatem et
curam retenturos, et in talem, tanquam in intru-
sum, et invasorem, et supplantatorem nos in om-
nibus conciliis et curiis, et viva voce et scriptis
semper acturos. De rebus autem monasterii vobis
dicimus, ne forte aliquis ex nobis, aut propter nos

(58) Annulo scilicet et sigillo et forte quibusdam
aliis jocalibus.

(59) Duo tunc in Casinensi monasterio erant
Raynaldi, unus Colementanus, alter Etruscus, qui
Rogerio Siciliæ regi favens, perturbato ordine a
quibusdam fratribus, contradicentibus aliis, abbas

occasionem mali accipiat, quod quindecim tantum
marcas argenti ad tanti expensas itineris nobis do-
mnus decanus et fratres nostri præbuerunt. Cætera
vero omnia, et ipsi de thesauro acceperunt, et per
se in tam multis et magnis necessitatibus expen-
derunt. Servate nostram, id est vestram et meam
in remunerandis hominibus, qui nobis servierunt,
famam. Servate mihi Gualterium meum, qui apud
vos infirmus remansit. De Rainaldo (59) invasore et
perjuro monacho, nec mentio unquam apud vos
fiat. Deus pacis et dilectionis sit semper cum om-
nibus vobis. Valet.

EPISTOLA IV.

WIBALDI ABBATIS AD R. CASINENSIS MONASTERII AB-
BATEM.

*Gratulatur ei de sua electione, absolvit eum a pro-
missa sibi obedientia, annulum et sigillum suum
in signum resignationis abbatiae ei remittit.*

(Anno 1157.)

Reverendo Patri R. (60) sancti Casinensis cœno-
bii venerabili abbati, frater WIBALDUS Dei gratia
Stabulensis Ecclesiæ servus, benedictionem et vitam
usque in sæculum.

Electum vos communi fratrum conniventia, et in
Ecclesia Casinensi regulariter ordinatum audien-
tes, gaudio gavisus sumus; quippe qui, licet officio
eidem Ecclesiæ administrare desierimus, affectu
tamen et sollicitudine non alteratum animum geri-
mus. Eapropter vos, in nomine Domini, per præ-
sentia scripta ab obedientia quam nobis promisi-
stis, omnino absolvimus, et qui vobis aliquando
indigne præfuimus, vestri subditi et servi et esse
et dici non erubescimus. Commendamus autem
charitati vestræ charissimum nostrum domnum de-
canum O. et reliquos fratres nostros et homines de
S. Petro, qui fideliter nobiscum in tribulatione no-
stra perseverarunt. Remittimus vobis annulum
unum et sigillum, quondam nostrum, per quæ
plenam refutationem de abbatia Casinensi facien-
tes, nunquam tamen consilium et auxilium no-
strum eidem Ecclesiæ subtrahemus. Valet, et
nuntium nostrum per vos transeuntem, pro no-
stra charitate bene habetote, et si per vos redierit,
litteris rerum statum vestrarum nobis significate.

EPISTOLA V.

WIBALDI ABBATIS AD ODonem DECANUM CASINENSEM.

*Absolvit eum aliosque Casinenses fratres a promissa
obedientia, rationemque reddit de nonnullis a mo-
nasterio detractis.*

(Anno 1157.)

Frater WIBALDUS Dei gratia Stabulensis Ecclesiæ
servus, charissimo fratri et amico suo O. Casinensi
decano, salutem et benedictionem.

Quantum vestris calamitatibus commovear, quan-

electus est, cujus electionem Innocentius papa irri-
tam declaravit.

(60) Raynaldo Colementano, quem sanior fra-
trum pars post obitum Seniorecti eligendum sibi
proponerat.

tum vestris vexationibus compatiar, novit inspector cordium Deus. Licet enim personaliter vobis nec adesse nec præesse valeam, non dispari tamen sollicitudine Casinensem Ecclesiam et amamus et semper amabimus. Verumtamen, quia sic divina præordinatio disposuit, et temporis qualitas nostris meritis concordans exigit, ne vos sponsionis vestræ prævaricata obligatio, nos vero suscepti regiminis neglecta administratio perpetuarum pœnarum obnoxios faciat, vos et omnes fratres Casinensis Ecclesiæ ab obedientia, quam nobis promisistis, plenarie absolvimus. Similiter et laicos, qui nobis juraverunt, liberos a sacramentis suis esse concedimus. Ne autem ullius æstimatio, nobis detrahendo peccare possit, sicut vobis et plerisque fratribus notum est, cum a vobis exivimus, hæc quæ subscripta sunt, distracta erant. Landulfus habebat in pignore pro LXXXV libris calicem unum aureum, duas cruces aureas cum lapidibus, duo candelabra argentea. Apud S. Germanum candelabrum unum argenteum pro tribus libris, thuribulum unum pro xxx solidis, quæ omnia per manus fratris Raynaldi Theod. et fratris Bertoldi suscepta et erogata sunt. Porro pueri nostri, qui nos præcesserunt, crucem unam parvam auream et anulum unum, et iconam ligni Domini perdiderunt. Pluviale et camisiam quam nobis dedistis conservavimus, expectantes secundum promissionem vestram, ut reliquum quod ad capellam pertinet, nobis compleatis. Sigillum et anulum domno abbati remisimus. C
Valete.

EPISTOLA VI.

WIBALDI ABBATIS AD THEODERICUM ABBATEM WALCIODORENSEM.

Miracula sancti Forannani a Roberto monacho scriptis consignata approbat.

(Circa 1140. — Communicavit reverendissimus abbas Walciodori.)

Frater WIBALDUS, Dei gratia Stabulensis Ecclesiæ servus, domno THEODERICO venerabili Walciodorensis Ecclesiæ abbati et reverendo fratrum conventui, divinis semper invigilare studiis et provehi muneribus.

Gratias agimus, dilectissimi, Conditoris omnium inæstimabili gratiæ, qui universalis Ecclesiæ suæ pulchritudinem certis temporibus miro ordine, magnis auctoribus, ipse idem novus semperque perfectus artifex, condecorare non desinit, ut unaquæque per orbem Ecclesia quæ maris undas interdum patitur, littoris tamen firmitate aliquando gaudeat, discipulis in navicula Christum dormientem excitantibus, et Christo fluctibus imperante, Christum utique, fratres, et vos apostolico exemplo in vestra navicula excitatis, dum vestris quibus Ecclesia vestra regitur patronis-honorem et devotionem exhi-

(61) Is, ni me mea fallit conjectura, est Robertus, qui post Theodericum abbas fuit Walciodorensis.

(62) S. Forannanus natione Scotus, episcopus et

A betis, dum ea quæ in eis ipse operatur miracula, ad multorum notitiam et ædificationem perducere desideratis. Scripsistis nobis per fratrem nostrum et filium vestrum (61) Robertum, vitam et miracula B. confessoris pontificis et abbatis (62) Forannani ipsius non parvipendendo studio composita, ea ut nobis ipse retulit, intentione, ut si qua minus viderentur composita et superflua, nostra parvitas elimaret aut detraheret, et totius corpusculum operis nostra cooperatio roboraret, quod operi si necessarium inspicerem fore quæ injunxit et vos injungitis, aggredi non recusarem plane. Sed, quia per omnia probatur laudabile, de cætero præceptis vestris cupio obtemperare, si labores nostri pro Ecclesia, si regni quibus obligamur negotia prosperos habeant exitus, et nobis aliquot sepositis curis aliquando indulgeant otium. Vos interim eo quo cœpistis studio B. confessoris miracula amplectimini, et memoriæ tradere curate, quia, si vestra perseveret devotio, si studium non lacescat, si religio accrescat, glorificationem sacri corporis videre corporeis merebuntur oculis, quibus tantum manifesta datum est videre miracula, cujus temporis felicitati nostra utinam interesse mereatur præsentia, nostra subservire parvitas, et sacrorum cinerum glorificatio sit nostræ fidei de spe resurrectionis confirmatio, sit in præsentis tempore de tribulationibus nostris consolatio, de exilio ad patriam, de morte ad vitam translatio.

EPISTOLA VII.

CONRADI REGIS AD WIBALDUM ABBATEM

Mandat ut Francofurtum accedat regalia abbatiæ Corbeiensi de manu sua recepturus.

(Anno 1146. — Ex ms. Corbeiensi.)

CONRADUS, Dei gratia Romanorum rex, WIBALDO Stabulensi abbati, gratiam suam cum dilectione.

Postquam Ecclesia Corbeiensis abbate suo orbata fuit, statim divina inspiratione commoita, dominum et patrem spiritualem te sibi canonica electione ascivit, postea vero tam in temporalibus quam in spiritualibus, propter absentiam tui turbata et destructa, grave damnum sustinuit. Mandando igitur rogo dilectionem tuam, quatenus in festo S. Nicolai Franckenewe præsentiam nostram adeas, et quæ ad donum regiæ dignitatis spectant, ibidem de manu nostra suscipiens, Ecclesiæ Corbeiensis, tanquam pater spiritualis, et prudens dispensator imposterum provideas. Valete.

Hæc apud Wirzembrog scripta et data, et in Kalendarum Decembris in Stabulensi ecclesia abbati sunt præsentata.

EPISTOLA VIII.

WIBALDI ABBATIS AD CONRADUM REGEM.

Respondet ad præcedentem, examinandam esse Cor-

abbas primus Walciodorensis monasterii exstitit, atque ibidem sepultus, hactenus eodem in loco summa cum veneratione servatur.

beiensium de se electionem, excusatque se quod ad ipsius curiam non venerit.

(Anno 1146. — Ex ms. Corbeiensi.)

Inclyto triumphatori ac serenissimo domino suo CONRADO, Dei gratia Romanorum imperatori augusto, frater WIBALDUS divina majestate Stabulensis Ecclesie servus, salutem in eo qui dat salutem regibus.

Pietatis vestrae litteras, quas nobis per Brunonem praepositum vestra magnificentia transmittere dignata est, recepimus, quae sicut plurimum gaudii et exultationis nobis contulerunt, ex eo quod in conspectu majestatis vestrae gratiam eximiam nos invenisse, certis experimentorum indicis cognovimus: ita multum sollicitudinis et anxietatis de causa, quam continebant, nostrae parvitati praebuerunt. B Siquidem magnitudini vestrae placuit significare nobis, quod Corbeiensis Ecclesia pastore suo viduata, nos pari desiderio, et unanimi consensu in patrem sibi, ac pastorem animarum elegerit: ad quod onus subeundum nos hortari, et divinae vocationis praecipuum sequi vestra benignitas, cum regiae jussionis auctoritate maturatur, verum, quoniam de monachis, ad quos id opus sicut inchoare, ita et consummare majori ex parte pertinet, nullus ad nos venerat, rem totam religiosorum consilio differendam esse credidimus, donec Corbeiensis Ecclesia coram majestatis vestrae praesentia et principum conveniat, et quid quove ordine id quod asseritur fecerit, sicut canonicum et competens est, C exponat. Praeterea, mansuetudo vestra non moveatur, quod ad praesentem curiam secundum jussionis vestrae beneplacitum non venimus, quoniam festo B. Nicolai, quando Corbeiensis Ecclesia curiam vestram adire disposuit, Deo ducente, veniemus. Si quid ergo apud vestram excellentiam nostra valet exigua sed fidelis devotio, locum nobis circa Werzenborg in festo B. Nicolai assignare dignemini, quo vobiscum his qui venturi sunt commode occurrere valeamus.

EPISTOLA IX.

CONRADI REGIS AD FRATRES STABULENSES.

Illos hortatur, ut absentiam abbatis sui aequanimiter ferant, et de gratia sua plurimum confidant.

CONRADUS, Dei gratia Romanorum rex, RUPERTO D Stabulensi decano, et caeteris fratribus, ministerialibus quoque, ac toti familiae ejusdem Ecclesiae, gratiam suam et omne bonum.

Sicut divina ordinavit providentia, juxta fidelium nostrorum consilium, ad petitionem Corbeiensis Ecclesiae fidelem nostrum Wibaldum abbatem vestrum, retenta vestra provisione et cura, quam prius habuerat, monasterio Corbeiensi praefecimus, et quia ex hoc, ut speramus et volumus, maxima Ecclesiae utilitas provenire potest, universitatem vestram per praesentia scripta attente monendo rogamus, quatenus absentiam ejus regno quidem necessariam et nobis non inutilem patienter supportetis, et in Ecclesiae vestrae opportunitatibus, si qua

graviora emergerint, pie sollicitudinis operam studiose impendatis, quod si in aliquibus nostrum adjutorium vobis fuerit necessarium, sicut haecenus semper vobis fuimus propitii, ita nunc maxime nos semper clementes habebitis.

EPISTOLA X.

CORBEIENSIVM AD STABULENSES

Gratias agunt quod Wibaldum sibi non inviderint abbatem, hortanturque ut ejus absentiam aequanimiter ferant.

(Anno 1146. — Ex ms. Corbeiensi.)

Corbeienses Stabulensibus decano et praeposito, caeterisque dilectissimis dominis et fratribus sanctae Stabulensis Ecclesiae WALTERUS prior, ADELBERTUS praepositus, totusque conventus Corbeiensis Ecclesiae, officiosum munus fraternae dilectionis, et si quid praeterea valet obsequii et devotionis.

Cum quidem Deus non immemor beneficiorum suorum, quae a saeculo sunt, delegavit Ecclesiae nostrae dominum et Patrem, prius quidem vestrum, nunc autem, et vestrum et nostrum, qui unius patris filii sumus, vinculo utique germanae charitatis, mediante Deo, jam non ignobiliter connecti incipimus; in primis ergo vestrae dilectioni quam maximas et quam devotas gratiarum actiones nostra exsolvit Ecclesia, quia talem ac tantae auctoritatis virum, cujus industria, sicut in curia regis celebris habetur, sic in Romana Ecclesia non ignoratur, quia hunc, inquam, virum nostrae indigentiae necessarium non invidit nobis vestra fraternitas, non tantum ad praesens gratulamur, sed iterum et saepius quo gratius est nobis quod factum est, tanto devotius vestrae benevolentiae gratulabimur: hoc quoque non minus obnixe precamur, ut hujus tanti patris absentiam aequanimiter sufferatis, cumque Ecclesiae nostrae, prout tempus monet, prospicere congaudeatis, siquidem et hoc futurum non desperamus, ut utriusque Ecclesiae nostrae scilicet et vestrae profectus ab alterutris aequaliter desideretur, et quia horum duorum gregum unus est pastor, eo mediante, in unum consocientur, et hoc modo efficiatur unum ovile et unus pastor. Valete.

EPISTOLA XI

STABULENSIVM AD CORBEIENSIS.

Gratulantur eis de Wibaldi electione, quem illis commendant.

(Anno 1146. — Ex ms. Corbeiensi.)

Reverendissimis in Christo Patribus suis et dominis, WALTHERO Corbeiensi venerabili priori, ADELBERTO praeposito omnique ejusdem Ecclesiae sancto conventui frater R. Stabulensis Ecclesiae decanus, SIMON praepositus, humilisque eodem in loco grex Christo militans, totius devotionis et orationum promptissimum munus.

Acceptis et perlectis litteris, quas parvitati nostrae per fratres nostros vestra transmisit pietas, spirituali gaudio admodum gavisi sumus, in hoc potissimum, quod margarita illa caelesti munere peroptima, quae de thesauris Ecclesiae nostrae ha-

etenus vix ulli negotiatori fuerat exposita, vobis tandem fulgoris sui radiis pretiosissima comparuit, qui nitor illius, cujus aspectus est salubris et iucundissimus, vestris etiam condigne innotuit et complacuit obtutibus, sive quia Deo ordinante, de propria communis, de nostra jam vestra et nostra facta est, quam studiosè foveri, quam diligenter haberi et teneri debeat, vestra melius novit eruditio, et licet de benignitatis vestrae mansuetudine ac suavitatis dulcedine non modicum confidamus, tamen, quia multum ei debemus, quem sincere et pure diligimus, per Deum, quo nihil sublimius, per charitatem fraternam, qua nihil hoc in mundo est altius, supplicamus, ut eum, qui nostris utilitatibus propter vos ad horam substractus est, et vestrae fidei commissus, condigno habeatis honore, quatenus erga curam suscepti regiminis eo libentius desudet, quo vos ad sustentandas manus Moysi humeros supposueritis liberius, in hoc cum Amalechite facile superari poterunt hostes utriusque Ecclesiae, vestrae scilicet et nostrae.

EPISTOLA XII.

WIBALDI [REINARDI.] ABBATIS MAGISTRI (65) AD
EUMDEM WIBALDUM.

Gratulatur ei de sua electione, gaudium timore miscens pro exaltatione.

(Anno 1146.)

... tationis [meditationis] atque lectionis nec minus operis instantia perseverantiam suam jugiter exercuit. Quia tamen nimis frequentes tempestates mentis meae naviculam crebrius inter undosas et procellosas molestias (64) jactitabant, et desiderabilem tranquillitatem in silvis vehementer contrahebant, usus consilio, sicut mihi *v... [videbatur] non inutili, remisi fratribus meis omnes monasterii redditus, ut ipsi per officiales suos omnia recipiant, nec ad manus meas... talium respiciant, ad opus vero meum tantum decem solidos ex his redditibus excepi, superadditis paucis in quadam solitudine agris, quos egomet elaborare feci, malo enim minus habere potestatis, vel quae videtur utilitatis, ut amplius possidere possim tranquillitatis. Sed jam revertamur ad te, considerantes mirabilia Domini, quae multipliciter operatus est circa te. Enimvero cum saepe tacitus ea mecum revolve, stupens gaudeo et gaudens stupeo, nec tamen in ipso gaudio timore careo. Gratulans equidem pro amicitiae debito super tuae personae tam multiplici, et ut verum fatear, quia modo non abbati sed Wibaldo meo loquor, nimis inopinata aliquando sublimatione, sed metuo, quod humanum est, tuus animus nonnulla sublevetur elatione. Sed tu, mihi doc'us a Propheta, quid retribuas Domino pro om-

(63) Reinardi primi abbatis Reinehusensis, qui opusculum scripsit de primordiis Ecclesiae suae, editum tomo II. Script. Rer. Brunswic., pag. 705. Monachum fuisse Helwardishusensem adnotavit ex Henrico Hofmanno cl. vir Godefridus Libnitz, in introduct. ad hunc tom. art. 43. Attamen scholas videtur rexisse Stabulensis monasterii sub initium xii

nibus quae retribuit tibi? calicem salutaris accipe, et nomen Domini invocato, quantoque magnus es, quantum res patitur, humilia te in omnibus: nomen, inquam, Domini invoca, rogitans et supplicans ut illorum numero non ascribaris, de quibus terribiliter scriptum est: *Dejecisti eos dum allevarentur*. Timendum tibi, dilectissime, videtur ne, quod absit! bona recipias in vita tua. Itaque terribilem in consiliis super filios hominum Deum semper attende, et ut ejus consilium tibi fiat salutarum, quibuscunque studiis valeas, ipsius gratiam tibi conciliare jugiter intende. Sed quid agimus, anima? cui loquimur? docto an indocto? Illi quidem loquimur, quem aliquando docuimus, sed unde valde gratulamur, in nonnullis eum nos praecessisse cognovimus, quem discipulum aliquando habuimus. Vehementia tamen affectus nos aliquatenus insipientes reddidit, qui tales admonitiunculas velut ad minus sapientem, quasi plus superemus edidit. Non sic utique quis aestimet quod docere velim doctiorem, quasi minus doctum; sed celare non possum cordis affectum. Jam nunc tamen ista sufficiant, donec videamus quatenus ipsa proficiant; quia enim Deus omnipotens judicio suo quod ipse novit, tuam viciniam mihi praestitit, nunc litteris, nunc ipsa corporali praesentia, si tamen tibi placuerit, saepius te visitare non pigritabor; quin tua iucunditate qua jam diutissime fraudatus fui et iucundabor. Vale.

EPISTOLA XIII.

CONRADI IMPERATORIS AD EUGENIUM PAPAM III.

Wibaldi absentis et renitentis electionem in abbate Corbeiensem, atque unionem Keminadæ et Visbikæ ad Corbeiense monasterium confirmari petit.

(Anno 1146.)

Dilectissimo in Christo Patri suo EUGENIO sanctae Romanae Ecclesiae summo pontifici CONRADUS, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, filialem per omnia dilectionem et debitam in Domino reverentiam.

Sanctitati vestrae notum esse volumus, quod, post depositionem Henrici quondam Corbeiensis abbatis, qui eidem Ecclesiae nimis inutilis fuit, fratres praedicti monasterii elegerunt sibi in abbatem quemdam Henricum ejusdem Ecclesiae praepositum. Quo non longo post tempore defuncto, tota Corbeiensis Ecclesia spirituali patre orbata, pari voto et unanimi consensu, elegit sibi in Patrem et pastorem animarum Wibaldum Stabulensem abbatem, quatenus per ipsius industriam et nostrum adjutorium nobilis illa Ecclesia, quae plurimum a sua magnitudine per negligentiam praecedentium abbatum deciderat, Dei praeeunte misericordia, aliquasæculi, quo tempore traditi sunt monachis erudiendi Wibaldus et Henricus, qui decanus ejusdem loci fuit. Vide infra epist. 54, et in Append. instrumentum Conradi pro monasterio Reinehusensi.

(64) Molestias illas fusius descripsit in praedicto opusculo de monasterii sui primordiis.

tenus reformaretur. Et, quoniam prædictus fidelis noster Stabulensis abbas, cum hæc de ipso fierent, non solum absens, sed etiam longe remotus erat, nos eum auctoritate regia diu renitentem ac reclamantem evocavimus, et ad petitionem totius Corbeiensis Ecclesiæ, onus ad quod vocabatur, omnino invitum subire coegimus, quatenus in Corbeiensi monasterio et divini cultus religio per ipsum reformetur, et debitum regni servitium ad defensionem sanctæ Dei Ecclesiæ exinde paratius et auctius exhibeatur. Erant in propinquo duæ abbatolæ feminarum, quæ nullum regno et nobis vel in militia vel in alio servitio præbebant supplementum, quæ adeo confusæ et inordinatæ erant, ut de conversatione et moribus habitantium melius sit silere quam loqui. Multiplici ergo exhortatione vestra super talibus locis corrigendis diu admoniti, contulimus ad Ecclesiam Corbeiensem jure proprietario eadem duo loca, videlicet (65) Keminade et Visbikæ, ut et divina religio inibi reformetur, et Corbeiensis abbatia in temporibus hujus abbatis honore et divitiis per nos augeatur. Super quo sinceritatem vestram, de qua plurimum confidimus, attente monendo rogamus ut quod eidem abbati et Corbeiensi monasterio de duabus præfatis cellis legitima donatione per præcepti paginam confirmavimus, vos vestri privilegii scripto roborare non abnuatis, et abbati in suis opportunitatibus benignam exauditionis aurem inclinatis. Dignum siquidem est, ut quos nos in gratia nostra clementiore vinculo recepimus, vos propitia benevolentia dilectionis ulnis amplectamini, et quos e converso fovere et protegere disponitis, nos contra omnes incursus defensare studeamus, et honorare condigne debeamus.

EPISTOLA XIV.

WIBALDI ABBATIS AD CORBEIENSES.

Ut de sua in Corbeiensem abbatem electione summo pontifici testimonium perhibeant.

(Anno 1146.)

Frater WIBALDUS, Dei gratia Corbeiensis Ecclesiæ famulus, W. venerabili priori, et A. præposito ac cæteris charissimis filiis et fratribus ejusdem monasterii monachis, benedictionem et vitam usque in sæculum sæculi.

Venientes ad dominum nostrum papam benigne et honorifice suscepti sumus, tum propter reverentiam domini nostri regis, tum propter antiquæ notitiæ familiaritatem, qua nos hactenus fovere dignatus est. Cumque in litteris domini nostri regis, ubi nomina legatorum (66) inscripta erant, nostrum nomen in titulo Corbeiensis Ecclesiæ legisset, quæsivit a nobis, ut super nostra apud vos electione vestrum ei testimonium præsentarem.

(65) Keminadensis Parthenonis ad Visurgim fluvium foundationem ab Imna comitissa et Gerone comite edidimus in tom. I, ex autographo in archivis Corbeiensis monasterii a nobis reperto. Wisbikense vero, seu ut loquitur Chronicon Saxonicum a nobis edendum, Wisbikense puellarum monaste-

A Universitatem ergo vestram monemus, ut sicut vestra electio circa nostram personam processit, domino papæ veraciter intimetis; et quantos de fratribus prioribus nostris in hac subitatione rerum apparare et expedire poteritis, ad nos Wirceburch in octavis instantis Paschæ pervenire facietis, ibi enim tunc nos invenietis, et cancellarium domini papæ, virum venerabilem nomine Guidonem, cui etiam facto vestro de nobis proprias et singulares litteras transmittetis. Valete, et Deus pacis sit semper cum omnibus vobis.

Si hæc exspectata non fuissent, privilegia nostra de Kaminade et Visbikæ confirmata essent.

EPISTOLA XV.

B W. PRIORIS ET FRATRUM CORBEIENSIS MONASTERII AD EUGENIUM PAPAM III.

Petunt confirmari electionem Wibaldi abbatis et duorum puellarum monasteriorum ad Corbeiense unionem.

(Anno 1146.)

Reverendissimo in Christo Patri suo et domino EUGENIO divina gratia summo et universali pontifici, W. licet indignus Corbeiensis Ecclesiæ prior, et cæteri fratres universi, qui in Corbeiensi monasterio Deo militant, devotam obedientiam et exiguas orationes in Domino.

C Sanctitati vestræ suggerimus, quod post depositionem Heinrici quondam abbatis nostri, qui a venerabili legato vestro, scilicet magistro Thoma, pro manifestis culpis suis canonice ad totius monasterii nostri salutem, quod ipse multis modis vastabat, destitutus est, convenimus in personam cujusdam fratris nostri Heinrici, qui officium præposituræ administrabat, et elegimus eum, quibusdam de fratribus nostris non assentientibus, et multis ex laico ordine reclamantibus, qui partibus depositi illius pertinacius favebant. Qui, post suam promotionem paucis mensibus vivens, vita decessit, et nos plenos mœrore ac sollicitudine non sine aliqua discordia reliquit. Et quoniam per abbatum nostrorum negligentiam per annos fere quinquaginta res monasterii nostri et dignitas tam intus quam foris, ultra quam credi possit, imminutæ essent, et nos penitus concordēs non essemus, nulla tunc in Ecclesia nostra persona inveniri potuit, quæ sufficere posset ad alligandas contritiones nostras, prout filii Dei et Ecclesiæ nostræ, qui dispersi erant, congregarentur in unum. His necessitatibus coacti, invocata sancti Spiritus gratia, et adhibito religiosorum et sapientium virorum consilio, communi omnium desiderio, sine ullius personæ magnæ vel parvæ contradictione; imo favorabili omnium assensu, præsentē et con-

rium originem suam debet Adelaidæ imperatrici, ejusque filiæ Mathildi abbatissæ, a quibus constructum est circa 992.

(66) Buconis scilicet Wormaciensis, Anselmi Havelbergensis episcoporum et Wibaldi abbatis Corbeiensis, ex epistola 20.

sulente nobis in idipsum venerabili filio vestro B. Patherbrunnensi (67) episcopo, elegimus nobis in capitulo nostro in patrem et pastorem Corbeie animarum nostrarum, in abbatem scilicet et dominum Stabulensem abbatem domnum Wibaldum, cujus religione et prudentia Corbeiese monasterium ad pristinum sue dignitatis statum reformari possit. Quod cum facere, et electioni nostre assentire multis diebus renuisset, et per nostros legatos abstrahi ad consulendum nobis a suo monasterio nequaquam valeret, tandem auctoritate regia ad curiam est evocatus, et cogente ipsum domino nostro Conrado imperatore Romanorum rege, fratres nostros et laicos nostros, qui illuc frequentes convenerant, sequi et ad nos venire compulsus est. Et gratias Deo omnipotenti referimus, quod non sumus fraudati a desiderio nostro, et a spe, quam de ipso patre nostro conceperamus; quoniam mirabili industria omnes dissensiones nostras ad pacem et concordiam revocavit, et possessiones non parvas, quas depositus ille alienaverat, magna cum prudentia et efficacia ad usum monasterii recolligit. Præterea, sunt in vicinia nostra duo (68) monasteria feminarum, quæ sue enormitatis pertinacia, nostros et omnium religiosorum oculos et aures sæpissime offenderunt. Ad quod eliminandum cum quidam ex nostris abbatibus laborare cœpissent, quatenus et possessio Ecclesie nostre conferretur, et divina inibi religio reformaretur, obtinere non potuerunt. Sed dominus abbas noster Wibaldus multis suis obsequiis inclinatum habens animum principis, a domno rege nostro impetravit eadem loca cum omnibus suis appenditiis monasterio nostro conferri, et per auctoritatis regie privilegium legitimam traditionem confirmari. Dilectam itaque nobis misericordiam vestram flexis ad vos genibus cordis humiliter imploramus, ut quoniam jam sæpedictus pater noster quinque talenta quæ acceperat, sollicite duplicavit, Christum imitantes verum et bonum patremfamilias, super decem civitates cum constituatis, juxta illud: *Omni habenti dabitur*. Et eum vestra benedictione apostolica munimur, ut nobis et præesse et prodesse valeat, ad nos cum gaudio remittatis, et donationem quam dominus noster rex de prædictis duabus cellis nostro monasterio fecit, vestri privilegii pagina confirmare dignemini.

EPISTOLA XVI.

CORBEIENSIVM MONACHORVM AD GUIDONEM CARDINALEM.

De electione Wibaldi abbatis et unione duorum puellarum monasteriorum ad Corbeiese.

(Anno 1146.)

Domino et venerabili GUIDONI summæ sedis apo-

(67) Bernardo, qui anno 1128 electus, episcopatum Patherbornensem magna cum laude per annos 32 administravit.

A stolicæ cancellario, universi fratres Corbeiensis Ecclesie, exiguas orationes in Domino.

Quoniam multorum religiosorum et sanctorum virorum indicio miræ et inæstimabilis compassionis circa afflictos et variis calamitatum miseriis oppressos vos esse comperimus, aures pietatis vestræ pro Ecclesie nostre diversa perturbatione litteris exiguitatis nostre studuimus interpellare, ut quoniam nuntios nostros ad dominum papam pro causis Ecclesie agendis transmisimus, vestra opitulatione facilius inde expediamur. Igitur, vestræ magnanimitati suggerimus, quoniam dominus Henricus, qui hujus Ecclesie abbas existit, apud dominum Thomam sedis apostolicæ legatum, cum esset in loco nostro pro quibusdam capitulis accusatus, et testibus inductis indefensus, insuper et suimet confessione reus manifestatus, digna sententia sue depositionis mulctatus est; et in locum ejus dominus Henricus præpositus est assumptus. Cujus electioni cum gravis reclamatio et quorundam fratrum nostrorum et etiam laicorum nostrorum fieret, et gravi discordia Ecclesia perturbaretur, Deus universorum saluti solita pietate consulens, eum exemit de medio. Nam, vix quatuor mensibus præfuit. Quo absumpto, dominus Wibaldus abbas Stabulensis unanimi consensu monachorum simul et laicorum cum magna concordia omnium, præsentibus B. Patherburnensi episcopo, Hermannocomite Ecclesie nostre advocato, et in laudem electionis ejus acclamantibus, magna cum devotione eligitur. Qui, cum de monasterio suo pro honore prælationis erui non posset, ex præcepto regis ad curiam est evocatus, ubi, quamvis primo multum resisteret, tandem regie indulgentiæ, omnium precibus evictus, cum reniti non posset, licet invitatus acquievit. Eo igitur ad nos adventante, nihil, Deo propitio, in morum honestate et in doctrinæ eminentia, et in consultatione et provisione divinarum et humanarum rerum in eo reperimus, nisi quod in spiritali Patre reperire semper optavimus. Reditus Ecclesie nostre, quos dominus Henricus depositus, utpote plus militaribus deditus quam monasticæ institutioni intentus, in beneficium laicis tradiderat, consilio sagacissimi ingenii sui maxima ex parte requisivit. Præterea duas cellas sanctionialium feminarum, quæ pro enormitate sui sceleris omnem canonicam institutionem in Saxonia apud aures vulgi fetere et vilere fecerant, regia donatione loco nostro acquisivit, et inibi divinæ servitutis famulatum de monasterio nostro iustauravit. Pro qua causa dominum apostolicum adiit, impetraturus, ut sue auctoritatis privilegio firmata hæc rata et inconvulsa permaneant. His ergo, et si qua alia sunt nobis cum domno papa gerenda, quoniam multa sunt, vos misericorditer

(68) Keminada scilicet et Vishika seu Walbika, de quibus supra.

astipulari unico solatio monachorum precum nostrarum scilicet commendatione admoneri rogamus, ut tandem aliquando decussis diversarum perturbationum angoribus optatæ pacis unitati redonemur.

EPISTOLA XVII.

HERIMANNI COMITIS AD EUGENIUM PAPAM III.

Testimonium perhibet de electione Wibaldi in abbatem Corbeiensem.

(Anno 1146.)

Domino et Patri suo EUGENIO gratia Dei universalis Ecclesiæ pontifici, H. (69) comes, devoti servitii obedientiam.

Relatio fratrum Corbeie ad nos devenit, denunti-
ans vos testimonium electionis domni mei Wibaldi abbatis Corbeiensis exquisivisse. Quapropter testimonium perhibemus sibi electioni suæ domnum Patherbornensem episcopum [Bernardum scilicet] et me simul adfuisse, et unanimi electionis suæ nullum reclamasse, sedi, sicut tunc ipsi vidimus, et alii fideles testes sunt, qui adfuerunt, idonea electione inthronizatus est, ut in nullo canonica institutio suæ observationis detrimentum passa fuerit. Præterea a religiosis ejusdem Ecclesiæ monachis audivimus, quod postquam eo pervenit, ita se et in morum conversatione et in diligenti rerum Ecclesiæ provisione inimitabilem reddidit, ut eum omnes sibi de cœlis divinitus missum asserant. Quapropter et a vobis gratiarum actiones sibi referri et vestra benedictione ampliari optamus.

EPISTOLA XVIII.

CONRADI IMPERATORIS AD H. DUCEM SAXONIÆ.

Commendat ei Wibaldum abbatem Corbeiensem.

CONRADUS, Dei gratia Romanorum rex, H. duci Saxonie, gratiam suam et omne bonum.

Sicut divina ordinavit providentia juxta fidelium nostrorum consilium, ad petitionem Corbeiensis Ecclesiæ fidelem nostrum Wibaldum Stabulensem monasterio Corbeiensi præfecimus. Proinde industriam tuam attente monendo rogamus, ut et personam ipsius honorifice in omnibus custodias, et ad recolligendas et ordinandas possessiones Corbeiensis Ecclesiæ consilium ei et auxilium præbeas: quod nobis gratissimum fore nullo modo dubitaveris. De rebus autem suis, quas apud Gruinge homo tuus Poppo de Blanchenburg et filii ejus per violentiam eidem abbati abstulerunt, experientie tuæ mandamus, et sub obtentu gratiæ nostræ præcipimus, ut omnia in integrum ei restitui facias.

(69) Herimanni comitis advocati Corbeiensis monasterii ex præcedenti epistola.

(70) Theodevinum Germanum cardinalem ab Innocentio II creatum atque ab eo in Germaniam legatum missum, qui, teste Ottone Frisingensi, Conradum ipsum Aquisgrani imperiali diademate deco-

EPISTOLA XIX.

BREMENSIS ECCLESIE ET BUCCENSIS CONGREGATIONIS
AD WIBALDUM ABBATEM CORBEIENSEM.

Eum causæ suæ arbitrum cum episcopo Verdensi eligunt.

(Anno 1147.)

Venerabili sanctæ Corbeiensis Ecclesiæ domno abbati WIBALDO, omnes fratres Bremensis Ecclesiæ majoris sive minoris, nec non et Buccensis ecclesiæ congregatio, precum impensas cum voluntario servitutis obsequio.

Totius causæ nostræ examen et consilium vestræ sanctitatis nos integre commississe consilio sive arbitrio quam affectuose gaudemus; tum quia ab æmulis nostris credi poterat, nos per omnia tam justitiæ quam pacis recalcitrare operibus; tum quia hujus notæ scrupulum tam vestræ auctoritatis, quam et domni Verdensis, qui nihilominus nostræ causæ discussionem ex legatione domini papæ ingressus est, testimonio delendum confidimus. Placeat ergo vestræ paternitatis excellentiæ pro humili nostræ parvitatæ famulatu, cum viso et vero domni Verdensis testimonio vestræ nihilominus auctoritatis nobis scriptum concedere, nostræque causæ angustias, prout de tanto Patre confidimus, misericordie defensione respicere.

EPISTOLA XX.

CONRADI IMPERATORIS AD EUGENIUM PAPAM III.

Significat ei Heinricum filium suum communi principum acclamatione in regem Romanorum electum, seque assumpta cruce accingere ad expeditionem Hierosolymitanam.

(Anno 1147.)

Dilectissimo in Christo Patri suo EUGENIO sanctæ Romanæ Ecclesiæ summo pontifici, CONRADUS Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, filialem per omnia dilectionem et debitam in Domino reverentiam.

Litteras sanctitatis vestræ per legatum vestrum virum utique nobis cum omni dilectione et honore nominandum T. (70) sanctæ Rufinæ episcopum missas gratissime accepimus, et quæ in ipsis continebantur, filiali et intima charitate ad effectum perduximus. Siquidem de ordinatione regni nobis a Deo concessi, super qua nos paternæ sollicitudine monere et exhortari curastis, magna cum attentione et diligentia in frequenti principum conventu apud Fränkenevort, ubi generalem curiam habuimus studiose et efficaciter, Deo præstante, tractavimus, ordinataque et firmata communi per omnes regni nostri partes solida pace, filium nostrum Heinricum in regem et sceptri nostri successorem unanimi principum convenientia, et alacri totius regni acclamatione electum, mediante hac Quadragesima in palatio Aquisgrani (71) coronare, divina præeunte

ravit, archiepiscopo Coloniensi, ad quem id munus de jure spectat, recenter lecto necdum pallio donato.

(71) Id factum fuisse anno 1147 scribit monachus Gemllacensis apud Mireum, ne post discessum imperatoris regnum absque principe remaneret.

miseriordia, decrevimus. Sane quod dicitis, nos rem tantam scilicet de signo vivificæ crucis, et de tantæ tamque longæ expeditionis proposito absque vestra conscientia assumpsisse, de magno veræ dilectionis affectu processit. Sed Spiritus sanctus, qui ubi vult spirat, qui repente venire consuevit, nullas in captando vestro vel alicujus consilio moras nos habere permisit. Sed mox, ut cor nostrum mirabili digito tetigit, ad sequendum se sine ullo moræ intervenientis spatio totam animi nostri intentionem impulit. Et quoniam vos ad partes Galliæ tam per litteras vestras, quam per legatum vestrum venire cognovimus, venerabilem paternitatem vestram ut ad Rhenum accedere velitis, summa cum dilectione attente monendo invitamus, quatenus simul positi, ea Deo miserante pariter tractare ac disponere valeamus, per quæ pax Ecclesiarum, et Christianæ religionis ordo congruis propectibus augeatur, et regni nobis a Deo concessi status cum nostri honoris incremento opportunis decretis firmetur. Et quoniam in articulo profectionis nostræ nulla nobis prolixitas temporis suppetit, in sexta feria, quæ in paschalem hebdomadam habetur, desideratam faciem vestram apud Argentinam videre optamus. Legatos nostros viros utique prudentes et discretos, ac sanctæ Romanæ Ecclesiæ regni que amatores ac nobis charissimos Buconem videlicet Wormatiensem episcopum, Anselmum Havelbergensem episcopum, Wibaldum Corbeiensem abbatem vestræ sinceritati commendamus; ut ea, quæ vobis dixerint, tanquam ab ore nostro audiat, et in rebus sanctæ Romanæ Ecclesiæ et regni cum eis formaliter tractare ac disponere non abnuatis.

EPISTOLA XXI.

ANNONIS AD WIBALDUM ABBATEM.

De quodam Ebroino, cui hortante Wibaldo benejecerat.

(Anno 1147.)

Domno et amico suo WIBALDO Stabulensi abbati, ANNO (72) eadem gratia id quod est, salutem et benedictionem.

Noverit primum charitas vestra, quia de vestris, utpote domini et amici nostri successibus præcipue congaudemus, et super his Deo gratias hilariter reddimus. Suggestimus quoque discretionem vestræ, quod dominus Ebroinus pro impensa sibi dudum a vobis charitate nos frequenter sollicitat. Quam sane licet consilio vestro et amore tenendæ pacis et quietis Ecclesiæ hanc ei fecerimus, tamen quidam sinistro nomine Simonia scilicet hoc factum improbant; nec tamen propter hoc, sed pro importunitatibus nobis et vobis illatis ei ad tempus subtraximus. Dicitur quoque vobiscum pacem mediante domino Prumiensi noviter composuisse. Ea propter a vobis summopere requirimus, si vestræ voluntatis est, et absque cavillatione sinistra esse potuerit, conductam charitatem in posterum illi persolvendam. De cæ-

(72) Hic Anno Indensis monasterii duabus ab Aquisgrano leucis distiti abbas existit ex sequenti

A tero etiam perscrutari volumus de negotiis domini papæ, cujus vos conscium in parte credimus, utrum scilicet ad nos accessurus sit, vel concilium in partibus nostris habiturus. Valet.

EPISTOLA XXII.

WIBALDI ABBATIS AD ANNONEM ABBATEM INDENSEM.

Ut Ebroino ex Indensi et Stabulensi monasterio ejecto nihil detur.

(Anno 1147.)

Reverendo Patri suo ANNONI, Indensis Ecclesiæ abbati, frater WIBALDUS Stabulensis abbas, salutem et benedictionem.

De nostra prosperitate, si qua est, vestram sinceritatem animo congaudere non dubitamus; et recte sane; pari enim dilectionis affectu erga vos ferimur. Non est consilii nostri, ut Ebroino illi, quem dominus papa Eugenius a vestro et nostro monasterio scripta sententia in perpetuum exterminavit, quidquam detis. Hoc esset veneficis venenum procurare, rebellibus arma dare, insanis clavam porrigere. Dum in monasterio vestro frater esse videbatur, sub specie et nomine præbendæ, propter bonum pacis potuistis rerum vestrarum dispendio obstruere os loquentium iniqua. Nunc vero postquam frater esse, et habere præbendam desiit, a domno papa condemnatus, donare ei, unde vobis noceat, non solum turpis Simonia, sed etiam aperta insania est. Nos de pace cum ipso habenda nec ipsum domnum papam audire potuimus, nedum Prumiensem.

EPISTOLA XXIII.

CONRADI IMPERATORIS AD H. DUCEM SAXONIÆ.

De jure advocacionis in Kaminadam et Visbikam, quas Corbeiensi monasterio univerat.

(Anno 1147.)

CONRADUS, Dei gratia Romanorum rex, H. [Henrico] duci Saxonie, gratiam suam et omne bonum.

Novit tua dilectio quod fidelissimum et charissimum nostrum Wibaldum Stabulensem abbatem propter unanimem electionem et petitionem Corbeiensis Ecclesiæ eidem monasterio præfecimus. Cujus ob insigne meritum, quod fideli servitio de regno meruit, secundum petitionem prædecessoris sui, et obsecrationem Corbeiensis Ecclesiæ, duo monasteria feminarum, in quibus monastica religio jam defecerat, Kaminade scilicet et Visbike, ad reformandam in eis divini cultus religionem, ex judicio principum, sibi et Corbeiensi Ecclesiæ jure proprietario in perpetuam possessionem contulimus, salvo jure tuæ advocacionis, quod habes in eisdem locis. Volumus autem atque mandamus dilectioni tuæ ut, si inter te et eum convenerit, jus advocacionis ad eadem loca ei vice nostra, quemadmodum nobis debueras, resignes, itemque ab eo et a Corbeiensi Ecclesia advocatiam recipias. (73) Quod si de hoc inter vos non convenerit, donationem, quam Ecclesiæ fecimus, ut contra omnes infestationes, tuearis, epistola.

(73) Id quod Henricus Leo Brunswinci præstitit

et advocatiam, quam de nobis super eadem loca tenes, fideliter ac strenue et ad firmamentum nostræ donationis administrare studeas, in præsentî pagina per obtentum gratiæ nostræ tibi mandando præcipimus.

EPISTOLA XXIV.

CONRADI AD J. ABBATISSAM DE HEREVORD.

Wibaldo abbati injunxisse se ut facta inquisitione monasterii Herevordensis defunctus emendet.

(Anno 1148.)

CONRADUS Dei gratia Romanorum rex, I. (74) venerabili abbatissæ de Herevord (73), gratiam suam et omne bonum.

Sicut divinæ ordinationi placuit, et Corbeiensis Ecclesiæ unanimis et concors electio postulavit virum venerabilem, et pro sua fide studiis nobis regnoque nostro charum Wibaldum Stabulensem abbatem licet invitum ac diu multumque renitentem monasterio Corbeiensi præfecimus. Et quoniam ab ipso abbate et privilegiis Corbeiensis Ecclesiæ didicimus specialem charitatem inter utrumque locum vestrum et ipsorum prælatos exstitisse, atque ad abbatis curam pertinere, quidquid a te corrigi non valet, idcirco dilecto fideli nostro eidem abbati injunximus, ut defectus monasterii tui tam intus quam foris diligenter a te et a tuis inquirat, et nostro fretus adjutorio, consilii et auxilii manum fideliter tibi in cunctis opportunitatibus tuis porrigat. Quidquid vero tibi ex nostra parte dixerit, et incunctanter credas, et sicut de te confidimus, opere adimplere studeas.

EPISTOLA XXV.

HENRICI MONACHI AD WIBALDUM ABBATEM.

Rationem reddit de his quæ cum papa egerat ad suæ electionis in abbatem Corbeiensem confirmationem.

(Anno 1147.)

Reverendissimo Patri suo et domino WIBALDO Stabulensi abbati, HENRICUS omnium suorum minimus, quidquid patri devotus filius.

Litteras, Pater charissime, sinceritati vestræ transmisi, quatenus ea, quæ apud domnum papam a nobis audita vel acta sunt, vobis significarem attentius, non quod alia vel altiora intellexerim, vel quod plus laboraverim, quam hi qui ad vos revertuntur, qui toti vestri sunt; sed ut illis pro se coram vobis assistentibus, non deesset nostræ erga vos devotionis affectus. Tertia feria Pentecostes apud Sanctum Dionysium ad domnum papam pervenimus, ubi domno cancellario nos tantum præ- anno 1147, indictione x, Conradi Romanorum regis secundi anno 10. Hoc autem, ait, de beneficio nostro facere propter humilem petitionem domni nostri regis non abnuimus, ea maxime de causa, quod prædictus venerabilis abbas nobisque charissimus Wibaldus, gloriosissimo avo nostro imperatori Lothario diu multumque ac fideliter servivit, et in administratione Romani imperii singulari constantia usque ad mortem adhæsit, dignumque est, ut sicut possessionum hæredes eidem imperatori successimus, ita retributionis circa gratas ac fideles ipsius non degeneres suc-

sentavimus, propter tumultum maximum, qui in exitu domni regis circa domnum papam aderat. In crastino autem antequam domnus papa, qui Meldas transire disposuerat, egrederetur, domno papæ per cancellarium præsentati sumus, et litteras quas deportaveramus dedimus. Inde Meldas in quinta feria pervenimus. In sexta vero feria in præsentia domni papæ et episcoporum et cardinalium tantum evocati sumus, præmuniti tamen a domno Florentino, quid loqueremur, vel quis loqueretur, unus scilicet Corbeiensis, quorum causam agebatur. Sed, cum alter eorum impeditioris linguæ, ut melius nostis, esset, et alter eorum satis infirmaretur, ego, qui cum Corbeiensibus jussu vestro aderam, quasi Corbeiensis una cum ipsis ad domnum papam accessi: ubi cum in præsentia omnium illorum qui adfuere, de electione in personam vestram facta esset agendum, ego qui me Corbeiensem modo esse necessitate quam prædixi confitebar, totum ordinem electionis, quem bene noveram, domno papæ sicut oportebat enarravi. Papa itaque auditis omnibus necessitatibus, quare vos elegerant, compertis etiam utilitatibus, quas non tacueramus, quæ electionem subsequutæ sunt, dixit se communicaturum consilium cum fratribus, et ex ipsorum consilio se nobis responsurum. In hac autem suspensione detenti sumus decem diebus, aliquando observantes per dimidium diem januam domni papæ, qui raro egrediebatur, aliquando ante portam cancellarii jugiter agentes, et aliquando præ nimio tædio usque ad noctem fere cum multis aliis dormitantes. Agebamus etiam interim apud omnes cardinales singulos et singulos in domibus suis, quia alias conveniri neque respondere volebant, ut tam super hoc, quam super privilegio de Keminade et Visbike benignum haberemus responsum, qui omnes, præter paucos quosdam, dulci colloquio suo nos consolabantur, et omnia nostra prospera, etsi tardius agebantur quam vellemus, futura esse.... etiam, interim veris et certis rationibus, ea, quæ ante adventum nostrum, paucos dies nescio qui vel a quo missi disseminaverant mendacia, scilicet vos totum thesaurum ecclesiæ domno regi dedisse. Benedictus per omnia Deus, quia sicut constabat eos falsa prædicare, ita constitit eos mox in adventu nostro disparuisse, et commentorum suorum nulli fidem reliquisse. Quid tandem? decima die post auditam causam electionis vestræ vocati sumus, et post multam commendationem personæ vestræ, sapientiæ quoque et facundiæ in præsentia episcoporum et omnium cardinalium cessores existamus. Vide integrum diploma infra in Append.

(74) Judithæ cui Adrianus papa privilegium concessit an. 1154.

(75) Herevordense seu Herivordense celebre virginum monasterium in diocesi Patherbornensi anno 823 a Walgero comite Herivordensi fundatum est, accersitis eo e Suessionensi B. Mariæ Phartenone sanctimonialibus, quæ successu temporis canonicarum nomen sibi assumpserunt.

adjudicavit et concessit ratam esse electionem in vos factam, et hoc magis ex dispensatione, sicut ipse testabatur, Romanæ Ecclesiæ, quam aliqua auctoritate. Et præcepit priori et nobis, qui præsentibus aderamus, et per nos omnibus, qui spectant ad Corbeiensem Ecclesiam, ut de cætero vobis obediens essemus, et sicut ferventes fueramus ad hoc, ut vos in patrem haberemus, ita studiosi essemus circa personæ vestræ reverentiam, nec tunc primum inciperet displicere, quando agere vellet de ordinis reformatione. Cæterum de privilegio nobis responsum est, quod res litigiosa erat, nulla ratione se posse vel velle concedere, ut hoc tempore id quod factum erat auctoritate apostolica confirmaretur: maxime cum querimonia sanctimonialium scriptis penes ipsum esset reposita. Cum amplius instare vellemus, omnes uno ore, ut hoc tempore nil amplius quæreremus, hortati sunt, sufficere nobis dicentes, et hoc esse ex magna domni papæ gratia, quod nobis non interdicebat ipsa loca, quod sicut non confirmabat, sic nec, quod factum fuerat, infirmabat. Cum tandem habere non poteramus, quod volumus, oportuit nos velle id quod consequi potuimus. Ventum est ad petitiones, in quibus omnibus duas tantum obtinuimus, quarum exemplar vobis transmissum est. Cætera, si qua desunt, ab his qui ad vos transeunt, scire poteritis. Paternitatem vestram ad honorem Ecclesiæ suæ Deus incolumem custodiat.

EPISTOLA XXVI.

GUIDONIS CARDINALIS AD WIBALDUM ABBATEM.

Quod possit transire a Stabulensi ad Corbeiensem abbatiam.

(Anno 1147.)

GUIDO sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconus cardinalis et cancellarius, charissimo fratri et speciali amico WIBALDO Corbeiensi abbati, salutem.

Certum est, quia verus amor otiosus esse non potest. Nuntios siquidem cum litteris tuis termino condicto recepimus, et ut in his, pro quibus venerant, efficaciam reportarent, et ipsi nobiscum, et nos cum eis instanter et fideliter operati sumus. De Stabulo itaque non dicam nostro, nescimus, tametsi vestro, versus Corbeiam vexillis patentibus nunc primum, Deo gratias, facie libera exire poteritis. Si quid autem vel in confirmatione illarum duarum ecclesiarum per apostolicum privilegium vel in quibuslibet aliis minus factum est, nec propter nuntiorum tuorum incuriam, quia pro viribus laborarunt, neque pro ignaviæ nostræ tepore id noveris accidisse. Si vero nacta opportunitate pro commodo tuo iterum officiosi esse poterimus, nequaquam, auctore Domino, negligemus.

EPISTOLA XXVII.

WIBALDI ABBATIS AD GUIDONEM CARDINALEM.

De suo ad cardinalem adventu et de captivis Romanæ Ecclesiæ quos redemerat.

(Anno 1147.)

Dilecto Patri et amico suo GUIDONI sanctæ Ro-

manæ Ecclesiæ cardinali diacono apostolicæ sedis cancellario, WIBALDUS Dei gratia minimum quod est, seipsū et sua.

Scriptis nobis eruditio vestra, et verum est, quod verus amor otiosus esse non potest. Illud etiam æque certum est, quod idem verus amor nec suspectus nec suspiciosus, nec accipiens nec contemnens personam. Inde est, quod mensuram nostræ parvitatatis excedentes, vestræ celsitudini cum quadam fiducia plane et quasi cœqualiter loqui et scribere consuevimus, non attendentes cui scribimus, sed quantum diligimus. De adventu nostro ad vos sic ordinabitur, ut vestram excellentiam deceat, et nostræ imbecillitati conveniat. Misimus vobis antidotum contra frigus hiemale. Sit hoc diacalamus, quod licet exiguo præstet pretio, æque tamen potens est, ut inops Arduenna asserit, sicut diamargariton. Obsequium quod domno papæ et sanctæ Romanæ Ecclesiæ in liberandis captivis impendimus, et attente commendabitur et eleganter ornabitur, quod ex litteris, quas domno papæ misimus, et ex legatorum nostrorum voce plenius intelligetis.

EPISTOLA XXVIII.

EUGENII PAPÆ III AD EPISCOPUM HAVELBERGENSEM.

Ut usurpata a suis prædia Corbeiensium restitui curet.
(Anno 1147.)

EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri A. Havelbergensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Dilectus filius noster Wibaldus abbas et monachi Corbeienses nobis conquesti sunt, quod Poppo de Blanchenburch et filius ejus C. atque R. canonicus tuus redditus omnes, quos habuerunt in Cropsenden et Gruningue sibi violenter abstulerint, et injuste detineant. Quia igitur ex officii nostri debito eorum justitiæ deesse nec volumus nec debemus, per apostolica tibi scripta mandamus atque præcipimus, quatenus si eorum querimonia veritate innititur, ipsos invasores districte commoneas, ut ablata cum integritate restituant. Alioquin infra duos menses, postquam præsentia scripta susceperis, de ipsis canonicam justitiam facias.

EPISTOLA XXIX.

EUGENII PAPÆ III AD REINHERIUM CANONICUM HAVELBERGENSEM.

Ut viginti mansos quos Corbeiensi monasterio abstulerat restituat.
(Anno 1147.)

EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, REINHERO Halverbergensi canonico salutem, et apostolicam benedictionem.

Dilecti filii nostri Wibaldi et monachorum Corbeiensium querelam accepimus, quod in villa Cropsenden viginti mansos sibi injuste et violenter abstuleris. Quia igitur ecclesiasticorum honorum invasores quanta sint animadversione cogendi, tibi non credimus esse incognitum, per apostolica tibi scripta præcipiendo mandamus, quatenus et prædictos mansos, quos invasisti, et alia exinde

ablata cum integritate restituas. Quod si contem-
ptor exstiteris, scire te volumus, quia sine gravi vin-
dicta non præteribimus, si iteratus clamor ad nos
super injuria prædicta pervenerit.

EPISTOLA XXX.

HENRICI ROMANORUM REGIS AD WIBALDUM ABBATEM.
*Ipsius in regni administratione et pace firmanda con-
siliium laudat et desiderat.*

(Anno 1147.)

HENRICUS Dei gratia Romanorum rex, WIBALDO
abbati Corbeiensi gratiæ, suæ plenitudinem.

Certi sumus, quod tam nos, quam patrem no-
strum eodem sinceritatis affectu complectaris, et
magna fidei constantia honorem utriusque tueri et
promovere satagas. Proinde discretionis tuæ consi-
lium de administratione regni, de pace firmanda, de
principibus recipiendis et honorandis tota animi
alacritate amplectimur, et tam in his quam in aliis
prudentiæ tuæ familiarem doctrinam imitari desi-
deramus. Ambulatore vero a tua liberalitate no-
bis transmissum in memoriam et signum tuæ dile-
ctionis ad sellam nostram detinebimus.

EPISTOLA XXXI.

CONRADI IMPERATORIS AD WIBALDUM ABBATEM.
*Ipsius se commendat precibus, oratque ut filium suum
gubernare non desinat.*

(Anno 1147.)

CONRADUS, Dei gratia Romanorum rex, WIBALDO
venerabili Corbeiensi abbati gratiam suam et omne
bonum.

Ut processus itineris nostri ad prosperitatem to-
tius Ecclesiæ et honorem regni nostri tendat; suf-
fragio orationum tuarum plurimum adjuvari spera-
mus et petimus. De statu igitur incolumitatis no-
stræ, in quo adhuc fuimus, dilectioni tuæ significa-
mus. Sani, Deo gratias, et integri sumus. Per Hun-
gariam descendentes in Græciam usque pervenimus,
ubi a rege Græcorum nobis honorifice servitur. Præ-
terea fidelitati tuæ dilectum filium nostrum attentius
commendamus, rogantes quatenus pueritiam ejus
gubernare et regere tua non desinat prudentia.

EPISTOLA XXXII.

A. ABBATIS FULDENSIS AD WIBALDUM.

*Ipsius apud summum pontificem intercessionem de-
precatur.*

(Anno 1147.)

WIBALDO venerabili in Christo Corbeiensi abbati
(76), A. humilis provisor Fuldensis cœnobii, debitum
fraternæ dilectionis et orationis.

Quanta benignitate dolori nostro condescendisse-
tis actus declarat. Cum enim primo causam no-
stram concepistis, litteris vestris nos consolari
voluistis, quæ tanto majori remedio fuerunt, quo a
tanto viro mitti potuerunt. Gratiæ itaque vestra
parturiens nobis magnam confidentiam, dat a vobis
inquirendi consilii et auxilii singularem materiam,
ut a religionis amatore et disciplinæ regularis do-

(76) Ascholfus, qui ob asperam in monachos gu-
bernationem ab Eugenio papa III exauctoratus dici-
tur. Vide infra Wibaldi abbatis epistolam ad Euge-

actore. Jam quæ mala per subditos nobis succre-
scant intelligitis, et quia detrimentum sit omni pro-
posito nostro scitis. Ad cuius rei sublevationem te-
stimonio vestro domino apostolico dirigendo nobis
sitis in consolationem, si ad terminum nostræ vo-
cationis venire non possitis. Quomocumque se res
habeat, nos sequenti die post festum omnium san-
ctorum exire dilectio vestra sciat, quem nobis
adesse ibidem fidelis conventus noster diligentius
nobiscum optat.

EPISTOLA XXXIII.

WIBALDI ABBATIS AD GUIDONEM CARDINALEM.

*Commendat ipsi causam Fuldensis abbatis et Rei-
nardi etiam abbatis sui olim præceptoris*

(Anno 1147.)

Reverendo Patri suo et domino GUIDONI sanctæ
Romanæ Ecclesiæ cardinali et cancellario, WIBAL-
DUS Dei gratia id quod est, in Ecclesia catholica seip-
sum cum suis omnibus.

Audierunt multi ex fratribus nostris, quod inve-
nimus gratiam in conspectu vestro; et ideo expe-
tunt, quatenus eos vestræ clementiæ attentius com-
mendare debeamus. Nos, etsi verecunde hoc facimus,
timentes onerare mentem vestram, quæ totius
mundi sollicitudine plena est, tamen ea nobis gratis-
sima est occasio, quæ nobis vestram dulcedinem vi-
sitandi et salutandi materiam præstat. Vestræ ita-
que bonitati commendamus fratrem nostrum Ful-
densem abbatem, ut pro nostræ petitionis intuitu
causam ipsius protegere dignemini. Siquidem, quod
de ipso nobis compertum est, vir maturus et gravis
est, et in recolligendis possessionibus, et ædifica-
tione sui monasterii constans et utilis. De adversa-
riis suis certum est, quod contra propositum suum
veniunt, qui relicta professionis suæ observantia
contra regulam sacram, quam manuscripto et viva
voce se observaturos sponderunt, litibus vacant
propter ambitionem, et propria possident, ex qui-
bus expensas itinerum partiuntur. Lator præsen-
tium vir venerabilis Rheinardus abbas, nostræ ado-
lescentiæ magister ac præceptor, et in divinis obse-
quiis institutor, privilegia Ecclesiæ suæ, cui primus
præest, confirmari petit, vir pauper rebus sed me-
ritis dives, qui in lege Dei meditatur die ac nocte,
et voluntas ejus in ea scrutando et scribendo, vir
utique magnæ abstinentiæ et carni suæ inimicus.
Quem pro Dei dilectione et nostra commendatione
clementer exaudietis.

EPISTOLA XXXIV

AMICI AD WIBALDUM.

*Gratulatur ei quod suos superaverit adversarios,
laudatque Robertum Stabulensem decanum.*

(Anno 1147.)

Dilecto dilectus (77) quidquid expetit devotionis
affectus.

Lectis et relectis; mi Wibalde virorum dilectissi-
mum papam, in qua anno 1149 informat eum de
statu Fuldensis monasterii.

(77) I. fu t haud dubium Reinardus abbas Reine-

me, litteris a te, et ad te, et pro te factis et directis, A multipliciter sum, fateor, affectus, et lacrymosus per ipsas affectiones effectus. Considerans enim quantis miseriis, calamitatibus, pressuris, laboribus et angoribus ex longo mihi dilectissimus homo subjacuerit, quanta passus fuerit ab his, quos minime decuerit; non potui, quamvis præteritis ac si de præsentibus malis et ærumnis debiti compassione non moveri, non potui zelo justitiæ contra tantas iniquitates et præsumptiones non morderi. Rursus e regione contemplanus quam benigne, quam opportune, quam potenter et clementer eum divina misericordia protexerit, confortaverit, et quam gloriose debellantibus in eum triumphare concesserit, gaudio meo terminum facile non inveni. Non solum autem, sed et quia probitatis, sagacitatis, virtutis et industriæ tuæ præconia tam in litteris a fratribus nostris Stabulensibus ad eminentes in Ecclesia et in regno pro te personas directis, nihilominus ab episcopis, abbatibus, congregationibus, conventibus testimonium in idipsum perhibentibus, et vicissim ab ipsis maximis personis tibi faventibus, pro te scribentibus, te foventibus; quia, inquam, in epistolis talia lego, quantum cor meum tripudiare, quantum sibi met applaudere super his, quia quæcunque fundamentum videbar in homine tali posuisse, in quo tanta celsitudo laudandæ probitatis surrexisset et excrevisset, scripto vel dicto nullatenus exprimere valeo. Taceo de Tulliana eloquentia tam tua quam fratris Roberti Stabulensis decanis, qui nos aliquando nihilominus aliquantisper audivit, quam in eisdem sum litteris admiratus, cui certe stylo paucorum vel antiquorum, non dico modernorum, stylus meo iudicio videtur esse prælatus. Hæc, inquam, omnia et cætera multa, de quibus supersedeo plura scribere, ne quis forte plus immoderato favori, quem in dilectissimum amicum habeam, quam veritati velit ascribere, faciunt me collæteri, faciunt anxietates, paupertatem laboresque meos levius tolerare, dum et illum considero de tantis malis divinitus apud suos erutum, et sicut auspicio ad meum speciale solatium divinæ providentiæ pietatis juxta me constitutum, sed in omnibus tu, bone Jesu Salvator et amator hominum, dexteram super nos tuæ propitiæ extende, D contraque multiformes adversarii nos insidias tuæ munitione defende. Non prospera nos elevent, non adversa prosternant, non pars Marthæ partem Mariæ nobis auferat, et ut compendio concludamus, sic transeamus per bona temporalia, ut non amittamus æterna.

husanus Wibaldi quondam magister, ut patet ex sequenti epistola, qua Wibaldus ad istam respondet. Obiit porro hic abbas anno 1150 non sine magna opinione sanctitatis. Vide ejus epitaphium tomo II script. rer. Brunswic. in Introduct. clariss.

EPISTOLA XXXV.

WIBALDI ABBATIS AD REINARDUM REINEHUSENSEM ABBATEM.

Respondet ad præcedentem.

(Anno 1147.)

Reverendo Patri ac præceptori REINARDO Reinehusensi abbati, suus auditor WIBALDUS, quidquid est in Ecclesia catholica per adeptam cordis munditiam videre Deum deorum in Sion.

Quanto charitatis studio actionum nostrarum litteras videlicet quarumdam molestarum, omnium vero laboriosarum perlegistis, tenor epistolæ vestræ declarat, in qua comprehensis breviter omnium rerum capitulis, et de adversitatibus paterna compassione indoluistis, et ad commendationem nostræ personæ cum aliis nos defendentibus vestræ quoque laudationis titulum apposuistis. Sed, ut vestræ sinceritati verum simpliciter confiteamur, Deo sic res humanas moderante, qui nos persequebantur divinæ justitiæ cultores erant, et quamvis pro mala intentione sempiternum vae mererentur, tamen justissimi Dei nostri virga erant, et baculus furoris ejus; ipsi autem nescierunt, et miro perversitatis modo adversum nos certatum est. Deficientibus siquidem adversariis in causa et omni veritatis firmamento destitutis, unum erat conceptæ dolositatis refugium, ut nos convitiis et opprobriis (78) lacerarent, quos ratione superare non poterant, et malignis verbis famam nostram contaminando prius auditorum animos contra nos exacerbabant, quam in eorum cordibus rerum veritas posset convalescere. Sed porrexit Christus pro se laboranti clementissimam dexteram, et dedit cum tentatione proventum, ut possemus sustinere. Hi vero, qui nos tuebantur, æquitate causæ delectati, in nostra conversatione et moribus fallebantur, credentes tam necessarium, tam arduum negotium a persona exili et contractæ vitæ non potuisse assumi. Sed columbina simplicitate nobis congratulamini, quod labores nostri in catholica Ecclesia geminati sunt, et ultra virium nostrarum facultatem aucti, et quod ad gentem, quam ignorabamus, venimus, ubi orationum vestrarum tantum egemus præsidio, quantum et sollicitudinis anxietas est cumulatio, et temporis ac morum qualitas periculosior. Cum occupationibus nostris explicandis tota dies non sufficiat, hæc vestræ sinceritati una post matutinas vigilias lucubratiuncula propria manu exaravimus, multum supplicantes, ut sicut de vestra pietate confidimus, orare pro nobis dignemini. Valcte.

Godofridi Libnits.

(78) Hic forte innuit calumnias, quibus apud summum pontificem insimulatus est, Ecclesiæ suæ thesaurum regi dedisse, uti infra videre est in epistola Henrici monachi ad Wibaldum abbatem.

EPISTOLA XXXVI

RAINARDI AD WIBALDUM ABBATEM.

De mutua inter eos dilectione.

(Anno 1147.)

DOMNO WIBALDO, REINARDUS qualiscunque, fidelissimus tamen, quidquid dulcius.

In multis et magnis beneficiis tuis, hominum dilectissimè, mutas tibi litteras, si tamen mutas, mittere curavi, et ipsis quidem beneficiis tuis qualescunque grates vellem rependere, nisi scirem gratuitum bonum tuum nullatenus eas requirere. Verumtamen, parturitus cordis mei nequaquam patitur de interiori conceptione foras nihil erumpere. Quid tamen dicere possum, nisi quia tu, sicut quidam dicit, alter idem mihi, facis quod facere debes. Hujus enim sententiæ veritate considerata, quodammodo viscera tua largiter in me foves, et mihi quidquid impertiri videris, procul dubio tibi metipsi proportionaliter impendere cognosceris. Bene legis et intelligis illud divinæ mandatum legis, quodcunque vultis ut faciant vobis homines, hoc et vos facite. Id est siquidem si tuæ vitæ status sic esset ordinatus, ut tu in egestate positus amicum superiorem te divitiis et opibus haberes, licet non exigeres, si tamen illius voluntaria benevolentia te reciperet, fortasse non abnueres n. . . . nec memoriæ excidit illa Tulliani dialogi sententia de amicitia, qua sic. . . . *Amare nihil est aliud nisi eum ipsum diligere, quem amas, nulla indigentia, nulla utilitate quaesita; quæ tamen utilitas ipsa efflorescit ex amicitia, etsi tu eam minus secutus sis.* Nam et ego te dilexi sicut ipse nosti, cum nec ego ulla arctarer indigentia, utpote mihi sufficiens in his quæ dabantur, nec tuus status in eo rerum genere consisteret, ut animus meus tale quid ex te sibi proponere vel expetere posset. Nunc autem aliorum cura gravatus, et sicut Domino placuit, necessariorum tenuitate aliquantisper anxius, id ipsum divinæ consolationi indubitanter ascribo, si cujus cor ipse Deus tetigerit, quamvis præter te fere nullus hoc tempore sic circa me sit affectus, ut oculos suos super me aperiat, et ipsius copia de nostri auctoris munere accepta meam inopiam, quam propter alios sustineo, fraterna compassione suppleat. Nam mihi met soli facile sufficerent vel parva, quia quantum res patitur, non valde requiro superflua. Sed quid diutius occupatos oculos, vel aures tuas talibus memorans teneo? Quamvis jucundum mihi sit ac delectabile cum dilectissimo meo sæpe diuque fabulari. Modus itaque jam nunc sit interim dictionis, cum non sit modus dilectionis. Vale.

EPISTOLA XXXVII.

STABULENSIUM MONACHORUM AD WIBALDUM ABBATEM.

Congratulantur ei de suo reditu, conquerunturque

(79) Reditus illè de quo loquuntur Stabulenses est procul dubio reditus ab expeditione Slavica, cujus mentio fit epistola 41 et 131, uti attendenti patet.

(80) Qui atrocem olim persecutionem patiebantur

A *de Godefrido comite, qui pactas ab eo inducias fregerat, et de invasione villa de Tornines.*

(Anno 1147.)

Reverendissimo in Christo Patri suo et domino WIBALDO, venerabili Stabulensi abbati, humilis ejusdem Ecclesiæ congregatio, filialem dilectionem et debitam subjectionem.

Quantum jucunditatis, Pater charissime, de vestro vestrorumque prospero reditu (79) nobis collatum sit, facile vestra animadvertere poterit eruditio, quæ et nostram erga vos sinceritatem et animi nostri circa vestros successus semper agnovit puritatem. Benedictus igitur per omnia Deus, qui in vestra, sicut comperimus, sospitate fidelibus suis ostendere dignatus est, quoniam prope est Dominus omnibus invocantibus eum. Paternitati vestræ his litteris unanimiter occurrentes, vos reversum, in quo adhuc revertentem excipimus, excipiendo salutamus, salutando amplectimur, obsecrantes ut secundum promissionis vestræ institutum terminum ad nos venire non abnuatis, quatenus facie ad faciem vestra frui et jucundari possimus præsentia, vestroque plenius recreari alloquio, cujus sæpe et multoties roborati sumus consilio. Veniat ergo ad nos, id est, ad dilectos filios suos Pater charissimus pernecessarius hoc tempore, non solum nobis, qui intus tenemur, sed et his qui foris sunt. Nam treugæ sive induciæ, quæ fide data ab advocato nostro et comite Godefrido et suis, usque ad festum Remigii servari et teneri debuerant, mox in exitu vestro violatæ sunt, et nostra pene omnia ex utraque parte prædis, rapinis, incendiis sunt distracta, adeo usque, ut in nos tantum et nostra totius malitiæ summa reciderit, sicque fit ut

Quidquid delirant reges, plectantur Achivi.

Hor. Epist. 1, 2, 14.

Ad cumulum quoque miseriarum nostrarum accessit, quod Eustachius villam nostram *Tornines* ex consensu comitis Namurcensis iterum violenter occupaverit, pro qua re quantum laboraverimus, quantum Leodiensi episcopo, ut canonicam de invasore justitiam exsequeretur institerimus, et quid solum restet faciendum, ex rescriptis litterarum, quæ vobis transmissa sunt, vestra plenius perpendere poterit prudentia. Interim autem ad humiliandum Deo animas nostras, reliquias seu corpora sanctorum omnium, quæ apud nos habentur, cum Salvatoris nostri imagine in terra (80) deposuimus, summæ Divinitatis clementiam, quantum valemus attentius exorantes, ut eos, qui in sua feritate confidunt, dextra virtutis suæ prosternat, nosque ab ipsorum oppressionibus eripiat, qui solus laborem et dolorem humilium considerat.

monachi, hi sacras reliquias, cruces et imagines in terram deponere, altaria cilicio et spinis operire solebant, qua de re vide, si lubet, quæ scripsimus lib. III de antiquis Ecclesiæ ritibus, cap. 5.

EPISTOLA XXXVIII.

ROBERTI DECANI STABULENSIS AD WIBALDUM ABBATEM.

Congratulatur ei de ipsius reditu.

(Anno 1148.)

Reverendissimo in Christo domino Patri suo Stabulensi abbati WIBALDO, frater ROBERTUS, orationum et subjectionis, obedientiæ et dilectionis continuam devotionem.

Benedicimus Dominum cœli de vestro vestrorumque reditu et sospitate: gratias agimus Patri misericordiarum de reddita nobis de vobis lætitiæ et gaudii integritate. De mora autem vestra non possumus non gravari, quia consolatione præsentis vestræ refoveri volumus, qui multis non tam curis quam pressuris conculimur, ac proinde magis præsentiam vestram quam rescripta desideramus. Habitum terræ nostræ tam scriptis quam viva voce geruli hujus intelligetis.

EPISTOLA XXXIX.

BOVONIS PRÆPOSITI AD WIBALDUM ABBATEM.

De damnis præposituræ illatis a comite Namurcensi et aliis.

(Anno 1148.)

Domino suo WIBALDO venerabili Stabulensi abbati, frater Bovo, quidquid patri filius.

In magna angustia et importabili damno post discessum vestrum positi, desiderabiliter vestrum exspectamus adventum, quia non solum ab extraneis affligimur, sed etiam a nostris immisericorditer interius et exterius opprimimur. In rebus vestris, quæ circa nos sunt, quantum fidelius possum elaboro. In præpositura autem, de qua vices vestras ago, nihil fructus me agere posse sciatis, quia non solum a Rad et Machario in Condustrio, sed et a comite Namurcensi et suis adversariis in Hasbania præda et incendio vastamur.

EPISTOLA XL.

WIBALDI ABBATIS AD HENRICUM LEODIENSEM

EPISCOPUM.

Ut Eustachium parochianum suum, qui villam de Tornines invaserat, compescat.

(Anno 1148.)

Reverendo Patri suo et domino HENRICO sanctæ Leodiensis Ecclesiæ venerabili episcopo, frater WIBALDUS, Dei gratia Stabulensis Ecclesiæ servus, devotas orationes, et devotum servitium.

Fratres nostri et filii Stabulenses monachi vestræ sanctitatis servi detulerunt ad nos gravem querimoniam pro eo, quod Eustachius, homo vester et parochianus villam Tornines, quæ ad quotidianam præbendam fratrum pertinet, invasit, et ejusdem villæ reditus, qui in mensa fratrum quotidie serviunt, violenter abstulit. Notum autem vobis esse non dubitamus, qualiter eandem villam, iudicio et justitia dictante, recepimus, et eam per multa jam tempora in libera possessione nostra tenuimus, et quiete ordinavimus, et ad usus fratrum nostrorum, prout monasterii opportunitas poscebat, reditus universos aptavimus. Sed et decimationem et alia,

A quæ hinc inde distracta erant, cum magno labore recolligimus, et eramus possidentes tunc, quando dominus papa signum sanctæ crucis nobis imposuit, ut super paganos trans Albim expeditionem moveremus, ac personam nostram et nostra omnia sub protectionem B. Petri et suam suscepit, intra quod tempus prædictam villam non absque sacrilegio idem Eustachius invasit. Unde animo provoluti ad pedes vestræ magnitudinis, discretionem vestram obnixè rogamus, ut prædictum Eustachium, qui vester specialis et tanquam domesticus et familiaris homo est, ab hac temeritate compescatis; et sinite ut hanc gratiam vobis potius quam domno papæ debeamus, qui ad partes Lotharingiæ in proximo venturus est. Multa mala sunt in episcopatu vestro, quæ tam generaliter a diebus antiquis ibi audita non sunt, sed hoc malum de facili potestis compingere, nec patiamini in tempore vestri sacerdotii confundi fasque nefasque. Mementote, quod inter priores matris nostræ Leodiensis Ecclesiæ apparere et annumerari debemus, tam per ordinationis nostræ tempus et locum quam per ætatem, et eidem matri nostræ in omni opportunitate sua humiliter ac fideliter servivimus, et hoc ipsum usque in finem facere parati sumus et desideramus. Mementote etiam quod pro justitia de Tornines facienda dominus papa Honorius episcopo Alexandro scripsit; quod dominus papa Innocentius domno Alberoni voce præcepit, semel apud Oliventum juxta Melphim civitatem, secundo Romæ in concilio, tertio per litteras suas, quas nos ei in plena synodo Leodii præsentavimus, nec ipse carni et sanguini parcere potuit, cum tamen de negligentia tantam a Deo pœnam susceperit, ut postea in episcopatu suo et honore nunquam in pace et quiete vixerit.

EPISTOLA XLI.

WIBALDI ABBATIS AD SUOS STABULENSES.

Condolet eorum calamitatibus, quas, eo absente pertulerunt.

(Anno 1148.)

Frater WIBALDUS, Dei gratia Stabulensis Ecclesiæ servus, Roberto decano et cæteris Stabulensibus fratribus, spiritu consilii et fortitudinis abundare.

Sinceritatis vestræ litteras accepimus, in principio quidem sui plenas gratiæ, plenas charitatis, plenas filialis affectus, plenas singularis desiderii, plenas gaudii, plenas dulcedinis et bonæ spei, quæ uno et eodem momento et cor nostrum abundantiore lætitia et oculos nostros uberibus ex vestra pietate lacrymis impleverunt. Credite, nobis dulce fuit ac jucundum animæ nostræ vivere, dulce ac jucundum inter tot pericula, quæ diu noctuque in expeditione super paganos trans Albim in silva Ercinia pertulimus, vitam et sospitatem servasse, ut videlicet tantis beneficiis, quæ de vestra salutatione et visitatione suscepimus hilariter frueremur. Verum, cum intento ad meliora animo tanti boni participatione perfuncti paginam vestram percurrimus, subito exhorruit animus, expalluit facies,

et versus est in luctum chorus noster, cum in illas miserabiles querimonias vestras impigimus, quæ cælum possent penetrare, si peccatis nostris promerentibus æneum non esset factum, ne transeat oratio; possent, inquam, commovere terram, si non offenso auctore nobis elementa rebellarent. Ingressi itaque in penetralia cordis nostri et in arcanos animæ nostræ recessus, diuque ac multum questi, cum nostra conscientia disceptavimus, disquirentes et judicantes nobisne an vobis universis imputari jure debeat, quod per longam absentiam nostram Stabulense monasterium tam lacrymabilibus modis laceratur? vosne in culpa sitis, qui omnifariam nostri potestatem habentes, ad regimen Corbeiensis Ecclesiæ nos emisistis, vel saltem dimisistis? an nos rei sumus, qui ad vestram voluntatem, ne dicamus B jussionem, tantis nos sollicitudinibus et offensionibus, relictis, imo, ut veremur, deserta matre nostra educatrice ac nutrice nostra Stabulensi Ecclesia, implicuimus? Etsi magni, Deo id per vestram adhortationem agente, simus juxta nomen magnorum qui sunt in terra, scire tamen potestis quod quanto altius conscendisse cernimur, tanto magis de vario ruinæ casu pertimescere debemus; et quanto amplius crescunt dona honorum, tanto magis augentur rationes donorum. Certe, ut cætera incommoda sileamus, nobis senescere non licet, imo senescimus quotidie, sed quies, quæ senibus et emeritis paratur, nobis Corbeix negatur. Novi labores, nova industria, nova eloquentia, novæ largitates, nova magnificentia a nobis quotidie expetuntur, cum jam diu fatigati aliquam laborum nostrorum metam prospiceremus, aliquam fatigationum requiem speraremus. Aut peccandum est in republicam, aut offensiones hominum tolerandæ. Tum præterea nostra ætate omnis pudor abscessit, omnis reverentia extincta est, fides interiit, et honestas mortua est; quid igitur placuit vobis duplicare labores nostros? Quantum in reformanda et observanda religione fructum facere valeamus, vestri defectus, vestri labores, qui ex pravorum improbitate vobis quotidie accrescunt, docere vos per facile possunt. Porro divitiæ quid prosunt inquietis? colligitis itaque, quod neque in spiritualibus neque in... solidum gaudium habere possumus. Sed spes nostra Deus, honor noster, genus nostrum, sublimitas nostra, exultatio nostra, in administratione suæ rei publicæ nostra parvitate tanquam suo instrumento, licet vili et exiguo, utitur, nosque per quos vult graduum proventus, tanquam per munuscula quædam ad sui nominis amorem clementer allicit, et nostræ fragilitatis excessus quotidianis imo assiduis laboribus velut quibusdam flagellis et amaritudinibus, ne ab ipso recedamus, comprimere dignatur. De Tornines tantum dolemus, quantum verbis exprimere non possumus, sicut in litterarum exemplo, quod vobis transmisimus videre potestis. Si dominus papa, ut fertur, Treverim venturus est, nos ipsos ad hanc causam peragendam expectabitis;

sin autem minus, ut rumor est, fratrem Henricum nostrum dilectum filium et Erlebaldum fratrem ad dominum papam mature mittetis, ferentes secum omnia instrumenta, quæ de Tornines bene salva per nos habetis, et præcipue litteras bullatas Innocentii papæ, quas super eodem negotio Leodiensi episcopo Alberoni transmisit. Ad veniendum autem ad vos in proximo nos modis omnibus expedimus, et jamjam quasi sarcinas nostras colligamus. Orate pro nobis.

EPISTOLA XLII.

HENRICI EPISCOPI LEODIENSIS AD WIBALDUM ABBATEM.

Optat ejus frui presentia ad corrigendos morum defectus.

(Anno 1148.)

HENRICUS, Dei gratia Leodiensium episcopus, venerabili abbati Stabulensi, WIBALDO in summo salutari salutem.

Intolerantiam malorum episcopatu nostro incumbentium tanto experientius quam vos didici, quanto præstat experimentum relatui. Et quoniam peccatis nostris exigentibus mala de die in diem multiplicantur, non ambigitur apud discretionis vestræ examen, nos eo amplius vestri consilii et auxilii adnunculo indigere, quo exquisitior et ferventior cæteris concessa est vobis divinitus gratia in utroque. Ex nostris tamen occupationibus, vestras quoque metientes absentiam vestram licet nobis et his, qui ad vos specialius spectant, admodum incommodam patienter sustinemus, obnixè et confidenter monentes dilectionem vestram, ut propensius data opera exoccupationi nostræ venire maturetis. Necesse est enim, ut communicato utriusque adnunculo, et vestrorum hominum excessus et insolentiæ vobis præsentibus corrigantur, et nostræ partis malitia, Deo propitiante, aliquantulum mitigetur.

EPISTOLA XLIII.

WIBALDI AD LEODIENSEM EPISCOPUM.

Ejus optat frui presentia.

(Anno 1148.)

Domino subditus, Patris filius, dilecti salutem.

Gravibus curis, et crebris expensis, assiduis pressuris molestati, aporiamur quidem sed non destituimur, vestrum necessarium tam nobis quam terræ præstolantes adventum, æstimantes tunc, etsi non ad plenum pacem cordis, saltem quietem corporis nos habituros. Unde et oramus, ut non tardetis venire ad diligentes vos. Litteras, quas nobis pro synodo misistis post synodum accepimus, cum tamen et in synodo et a Kalendis Augusti in conspectu Ecclesiæ Leodiensis de Tornines verbum fecerimus. De malis terræ nostræ nihil scribimus, inopes nos copia fecit.

EPISTOLA XLIV.

WIBALDI ABBATIS AD EUGENIUM PAPAN III.

Quod legatos hominum de Erveta a quodam ministe-

riali Stabulensi captos liberos abire permiserit.

(Anno 1148.)

Reverendissimo Patri suo et domino EUGENIO uni et universali pontifici, frater WIBALDUS Dei et vestra gratia id quod est, in Ecclesia catholica devotionem filii et obedientiam servi.

Audito vestro adventu ad partes Lotharingæ, festinavimus res Corbeiensis Ecclesiæ ordinare et vestræ sanctitati celerius occurrere, quatenus tam de persona, quam de rebus nobis a Deo et a vestra bonitate commissis vestræ sanctitati tam devotum quam debitum exhiberemus famulatum. Et, agente divina misericordia, piam ac fidelem intentionem subsecuta est maturior efficacia. Nam legatos hominum de Erveta, qui ad vestram sublimitatem pro quibusdam ecclesiasticis causis missi tendebant, captos invenimus in quodam castello, cujusdam ministerialis Stabulensis Ecclesiæ, et sub momento introitus nostri antequam panem gustaremus, ad honorem personæ vestræ, et defensionem ecclesiasticæ justitiæ eandem munitationem obsedimus, et cum labore ac sumptu et gravibus inimicitis, de carcere, in quo erant eduximus, et eos ad sanctitatis vestræ genua liberos transmisimus, cum tamen jam prius pactionem fecissent, ut pro redemptione sua L fere marcas puri argenti dare deberent. Res eorum, quas amiserant, recipere non potuimus, quia non ab his servabantur, a quibus capti fuerunt. Sed propter honorem vestrum duas eis equitaturas et viaticum largiti sumus.

EPISTOLA XLV.

CORBEIENSIVM MONACHORVM AD STABULENSES.

Gratias agunt quod sibi Wibaldum abbatem concesserint, quam egregie apud eos in spiritualibus et temporalibus se gesserit enarrant, et de mutua societate.

(Anno 1148.)

Dilectis et semper diligendis dominis et fratribus sanctæ Stabulensis Ecclesiæ filiis, fratres Corbeienses, intimam dilectionem veræ fraternitatis, et devotissimum munus assiduæ orationis.

In hoc cognovimus, reverendi Patres et domini, quod charitas Dei diffusa est in cordibus vestris per Spiritum sanctum, qui datus est vobis: quia fratres et proximos vestros, nos scilicet in tantum dilexistis, in tantum laboribus et tribulationibus nostris compassi estis, ut quod charius inter vos et melius habuistis, nobiscum participaveritis, et eum, qui noverat inter vos sanare contritos corde et alligare contritiones eorum in tempore tribulationis vestræ, ut et nostris calamitatibus subveniret, ad nos multo desiderio adventum ejus exspectantes, miseritis. Unde immensas gratiarum actiones vestræ bonitati referimus, et eundem dilectissimum Patrem et dominum nostrum strenue pro Ecclesia nostra laborare, et multos in ea labores industria sua, sicut fortis armatus, qui custodit atrium suum, jam evicisse; plures adhuc, si vixerit, evicturum, vobis jucunde et memoriter cum gratiarum actione

enarramus. Siquidem conventum nostrum, qui jam a multis retro temporibus dissensione non parva laboraverat, atque in multis locis, eadem agente discordia, dispersus erat, in fraternam pacem atque in claustrum, sicut pius pastor, revocavit, et quæ in ordine nostro dilapsa erant, attento studio reformavit, ut jam illud antiquum decus, illam solidam nostræ religionis observantiam reflorescere videamus, et nostram Corbeiam in vera sua imagine recognoscamus. Præterea, possessiones, quas Henricus ille, quem venerabilis legatus apostolicæ sedis domnus Thomas cardinalis judicio Spiritus sancti canonice deposuit, alienaverat, quæ centum fere mansos bonæ ac fertilis terræ excedebant, ad integrum recollegit, et utilitatibus monasterii restituit. Pro hujusmodi beneficiis et aliis similibus vel majoribus, quæ adhuc ab eo speramus, Deo et vobis tanti Patris largitoribus gratias referimus, quem in tempore electionis suæ propter spem bonam dileximus, nunc autem propter rem et collata in nos beneficia, ut virum omni dilectione dignum, unanimi et intima dilectione diligimus. Audivimus a dilecto fratre nostro Henrico præsentium latore, et a domno W., tunc temporis nostro priore, et a præposito fratre R. quod eos per aliquot dies morantes apud vestros, benigne et honeste tractaveritis, et eis inter alias humanitates fraternitatem et societatem inter vos, quemadmodum uni de vobis concesseritis. Super his quoque gratias vestræ benignitati referimus. Verbum vero de quo et nos vobis scripsimus, et ipsi vobiscum tractaverunt, verbum, inquam, ejusdem fraternitatis et societatis, ut scilicet vestra et nostra sit una in Christo Ecclesia, inter nos unanimiter convenimus, et quatenus id ipsum vestræ unanimitati placeat, obnixè rogamus. Hanc unionem duarum Ecclesiarum per dilectum dominum et Patrem nostrum fieri exoptamus. Vobisque per eum debita fraternitatis secundum nostram consuetudinem promittimus, ita ut nos vicissim a vobis debita fraternitatis secundum vestram consuetudinem recipiamus, et si quis præterea fratrum de alterutra Ecclesia propter vitia sua ejectus fuerit, usque ad reconciliationem suam ab alterutra Ecclesia materneli confoveatur et conservetur.

EPISTOLA XLVI.

CORBEIENSIVM MONACHORVM AD STABULENSES.

Quomodo se gesserint cum papæ legato, quando ab eis quæsitum quid de thesauris Ecclesiæ fecissent.

(Anno 1148.)

Reverendissimis atque dilectissimis in Christo fratribus suis, ROBERTO venerabili decano et cæteris sanctæ Stabulensis fratribus, F. W., prior Ecclesiæ Corbeiensis cæterique ejusdem monasterii fratres, jugiter vacare et videre quam suavis est Dominus.

Audivimus conturbatam esse unanimitatem vestram de verbo quodam, quod magister G. pro sub-

latis in ecclesia nostra thesauris nobiscum anno A præterito contulit. Quod quia non vera relatione ad vos pervenisse existimamus, proptereaquæ apud vos scandalum genuisse, ordinem rei ex integro vobis pandere dignum duximus. Venit igitur ad nos idem magister G. tunc apostolicæ sedis legatus anno præterito, circa festum S. Thomæ, cum in vestris partibus domnus abbas moraretur, atque hospitio exceptus est apud nos, humane tractatus est, et cum omni diligentia ac devotione, quemadmodum decuit legatum domini papæ a nobis observatus est, et de rebus monasterii nostri honorifice procuratus. Erat tunc domi præpositus major ecclesiæ nostræ, qui cum satageret sollicitius circa ministerium ipsius et aliquando cum ipso colloquendi gratia consederet, inter alia quæ dicebantur, etiam ab ipso sciscitatus B est, quamobrem sanctuarium nostrum spoliatum esset thesauris suis, vel quid utilitatis contractum fuerit ex eis ecclesiæ nostræ? Non est, inquit præpositus, spoliatum sanctuarium nostrum, quia quidquid inde sumptum est, in utilitatibus ecclesiæ nostræ expensum est, quippe quæ in possessionibus suis per singulos annos non ad minus quam ad centum mansos ampliata est. Cum vero in crastinum diluculo profecturus esset idem legatus domini papæ, jussit præposito, ut eodem vesperè omnem congregationem in unum congregaret, quatenus ad nos ex mandato domini papæ sermonem haberet. Jam horâ diei tardior processerat, nec conventus noster ex instituto ad colloquium convenire C debebat. Hanc igitur impossibilitatem cum præpositus noster legato insinuasset, colloquio in crastinum dilato, cum primum mane illuxisset, iterum accito præposito de novo præcepit, ut capitulum fieret, in quo cum fratribus verbum faceret. Non est, inquit præpositus, nostri ordinis tam matutina horâ capitulum convenire; sed cum ille recedere festinaret, nec horam capituli exspectare posset, tandem in conventu ante horam tertiam, nobis ex consuetudine lectioni vacantibus, adductus est idem apostolicæ sedis legatus, et sedens inter nos inter alia quæ commonuit, diligenter inquisivit, cur dissipatus esset thesaurus ecclesiæ nostræ? Cui per priorem et præpositum nostrum hoc ordine respondimus. Propter communem necessitatem ecclesiæ quamdam D partem thesaurorum in ecclesia ex communi consensu capituli nostri tulimus, et quasdam possessiones ecclesiæ nostræ valde utiles ex eis acquisivimus, reliqua omnia integra in ecclesia conservata sunt, ea vero, quæ nunc propter necessitatem accepimus, reparare et restituere quantocius poterimus, Deo annuente, proposuimus: His auditis acquievit, nec super hoc verbo quidquam amplius interrogavit Valet.

EPISTOLA XLVII.

GUIDONIS CARDINALIS AD WIBALDUM ABBATEM.

Quod ipsius scriptum papæ ostenderit, et ut pontifici præsentiam suam exhibeat.

(Anno 1148.)

Guido, sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconus cardinalis et cancellarius, charissimò amico Corbeicensi abbati, salutem.

Dilectionis sinceritas, quam erga te habere incœpimus, non minuitur, sed suscipit incrementum. Scriptum, quod per Germanum (81) vestrum nobis misistis, domino papæ ostendimus. Ut autem brevi utamur eloquio, amicis nostris malumus parum promittere, et amplius operari. Satis dictum est sapienti. Bonum videtur nobis si domino papæ propter molestias detrectantium vestram obtulissetis præsentiam.

EPISTOLA XLVIII.

WIBALDI AD GUIDONEM CARDINALEM

Suos ei commendat Stabulenses

(Anno 1148.)

Reverendo Patri suo et domno GUIDONI, sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinali diacono, apostolicæ sedis cancellario, frater WIBALDUS Dei gratia modicum id quod est, seipsum.

Sicut nobis significastis, nec hoc temere dictum est, plus enim nutu a vobis accipimus, quam audimus. De servitio procurationis domini papæ ita solliciti fuimus, ut et primi in devotione essemus, et inter remurmurantes nullo modo inveniremur. Stabulensis Ecclesia, cujus vos abbas estis, sui abbatis patrocínio, hoc est vestro, summopere iudiget, cui, sicut Patrem decet prompte et clementer subvenietis. Cujus querimoniam frater noster, noster, inquam, non ex consuetudine locutionis monachorum, sed vester et noster proprius et specialis vestræ celsitudini plenius intimabit.

EPISTOLA XLIX.

WIBALDI ABBATIS AD JORDANUM CARDINALEM

Quid pro procurando papæ Leodii egerit.

(Anno 1148.)

Reverendo suo domno JORDANO, sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinali presbytero, frater WIBALDUS, Dei gratia modicum id quod est, seipsum.

Fecimus quod jussistis. De servitio enim procurationis domini papæ, quod in episcopatu Leodiensi ordinatum est, non solum solliciti, sed etiam studiosi fuimus, ut plusquam portionem, quæ Stabulense monasterium contingere æstimata est exhiberemus, nec murmurantium numerum ullo modo augeremus. Dilectam nobis paternitatem vestram attente monendo rogamus ut devotionem nostram benigno sermone commendetis, et querelam Stabulensis monasterii, quæ per fratres nostros pietati vestræ manifestabitur, in sinum apostolicæ misericordiæ fideliter recondatis.

(81) Erlebaldum haud dubium monachum Leodiensem, qui eo defuncto factus est abbas Stabulensis.

EPISTOLA L.

WIBALDI ABBATIS AD JOANNEM CARDINALEM.

Petit ipsius protectionem

(Anno 1148.)

Reverendo Patri et domino JOANNI, sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinali presbytero, frater WIBALDUS Dei gratia id quod est, seipsum et sua.

Habetis reum confitentem, date, quæso, veniam, non equidem erroris, non negligentiae, quæ remota sunt a sapientia, quam etsi non habemus, eam tamen diligimus; sed date veniam ignorantiae, quæ in hac mortalitate purgatissimis etiam animis longinqua esse non potest. Et hic quidem propinquior ad misericordiam purgationis modus est. Sed quid laboramus, cum propitium iudicem habemus, quem sane non timemus, pro eo quod ex officio sedis suæ catholice Ecclesiæ custodiam et canonicæ litis arbitrium habet, sed pro eo diligimus, quod nepos est summi quondam pontificis papæ Lucii, qui nos ante supremum profectionis gradum unice dilexit, et in apostolatus culmine constitutus, Ecclesiam nostram et nos magnifice honoravit; qui vivens a nobis demeruit, si homines sumus, ut non solum carnem ipsius et sanguinem et quemcunque dilexit ipse, diligamus; verum aliquas forte reliquias vel monumenta de suis arctissima charitate amplectamur. Estis itaque noster propria quadam et speciali possessionis justitia. Recipite in fidem vestrum hæreditario jure clientem, familiæ vestræ cultorem, provehite personam, defendite causas, quæ, Dei nos protegente gratia, non de criminibus, sed de incrementis Ecclesiæ nostræ oriuntur. Tueatur nepos, quem avunculus dilexit; protegat ab ipso ordinatus, quem ille provexit, servet presbyter cardinalis iudicium summi pontificis, ut nullis concussionibus eum fatigari permittat, quem ille dignum honore iudicavit. O quanta veræ dilectionis fiducia in ipso ineundæ familiaritatis imo notitiæ primordio! ita vobiscum secure et liberaliter loquimur, sicut cum illo, illo, inquam, avunculo vestro sermocinari consueveramus, cujus intima amicitiae gratia viginti et eo amplius annis sine offensione usi, et ut minus usitate, sed verius dictum sit, fructi sumus. Verum in clausula dicimus vobis: Non amamus vos quia tanti, sed quia de tanto estis.

EPISTOLA LI.

JOANNIS CARDINALIS AD WIBALDUM ABBATEM.

Promittit causarum ipsius curam maximam se habiturum.

(Anno 1148.)

Reverendissimo in Christo Patri WIBALDO, Dei gratia Corbeiensi et Stabulensi venerabili abbati, JOANNES eadem gratia Sanctæ Mariæ Novæ diaconus cardinalis, salutem cum sinceritatis affectu.

Ex litteris vestris percepimus vos instanter veniam postulare, quod sollicitius et maturius ad notitiam nostræ humilitatis non propinquius accessistis; per-

A sonam..... quam dominus meus papa Lucius tanto affectu dilexit et tandiu fovit, et cui usque ad finem vitæ suæ, sicut nos ipsi vidimus et vos scribitis, in nullo defuit. Huic accedit, quod dominus Guido Florentinus in discessu suo a nobis ex singulari et præcipua charitate, quam nobiscum et vobiscum intimo affectu gerit, vos causasque vestras nobis præcipue commendavit. Inde fuit, quod a vobis non rogatus, non sollicitatus, causas vestras tanquam proprias hucusque proteximus, defendimus, sustulimus, et ubi nullæ preces porrectæ sunt nos porreximus. Denique si nulla alia causa esset, in vobis tamen est, Deo concedente, tanta prudentia, ut ex vobis teneri et stricte amplecti debeatis, quod Ecclesiæ Romanæ sapienter et efficaciter semper astitistis. Concessa igitur, quam postulatis, venia, gratiam vestram et singularem dilectionem, quam offertis, utrisque ulnis amplectimur, et præsentiam nostram pro vestra, etsi plus possumus, vobis per omnia promittimus, et sicut eam specialiter vindicatis.

EPISTOLA LII.

EUGENII PAPÆ III AD CORBEIENSES MONACHOS.

Hortatur ut Wibaldo abbati humilem reverentiam exhibeant.

(Anno 1148.)

EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Corbeiensibus monachis, salutem et apostolicam benedictionem.

Memores sumus quod per alia vobis scripta mandavimus, ut dilecto filio nostro Wibaldo tanquam abbati humilitate debita pareretis. Quem utique nuper ad nos venientem paterna benignitate recepimus, et in his, quæ ad reparandam in monasterio vestro religionem pertinent, atque servandam diligenti eum studio commonuimus. Ipsum itaque ad vos cum gratia sedis apostolicæ et litterarum nostrarum prosecutionibus remittentes, universitati vestræ mandamus, monemus et exhortamur in Domino, quatenus eum tanquam boni et humiles filii diligatis et honoretis, atque ut pastori vestro condignam ei reverentiam impendatis, sibi que ad recuperandas et retinendas possessiones et bona Corbeiensis monasterii viriliter et fideliter assistatis. Nos siquidem eundem abbatem paterno affectu diligimus, et in quibus secundum Deum possumus, volumus exaudire.

EPISTOLA LIII.

EUGENII PAPÆ III AD HENRICUM LEODIENSEM EPISCOPUM.

Ut compescat raptores bonorum Stabulensis monasterii.

(Anno 1148.)

EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri HENRICO, Leodiensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Ecclesiasticorum bonorum pervasores, etc. Vide in Eugenio III, ad annum 1153.

EPISTOLA LIV.

HENRICI REGIS ROMANORUM AD EUGENIUM PAPAM III.

Papæ patrociniū deprecatur;

(Anno 1148.)

Reverendo in Christo Patri suo et domino EUGENIO, summo et universali pontifici, HENRICUS Dei gratia Romanorum rex, debitæ dilectionis et obsequii sinceritatem.

Benedictus Deus, qui sinceritatis vestræ discretionem in officium et dispensationem summi pontificatus assumere dignatus est, etc. *Vide inter variorum epistolas ad Eugenium III.*

EPISTOLA LV.

EUGENII PAPÆ III AD HENRICUM JUNIOREM ROMANORUM REGEM.

Laudat ejus pro Ecclesia zelum, prosperaque ei omnia exoptat.

(Anno 1148.)

EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, filio in Christo dilecto HENRICO juniore Romanorum regi, regis illustris Conradi filio, salutem et apostolicam benedictionem.

Genitoris tui devotionem erga beatum Petrum et sanctam Romanam Ecclesiam attendentes, etc. *Vide in Eugenio III.*

EPISTOLA LVI.

HENRICI ROMANORUM REGIS AD EUGENIUM PAPAM III.

Ut Henricum Moguntinum archipræsulem et alios ad papam transeuntes benigne suscipiat, ducissam Poloniæ ab excommunicatione solvat, et Wibaldum abbatem habeat sibi commendatum.

(Anno 1148.)

Dilectissimo in Christo Patri EUGENIO, summo et universali pontifici, HENRICUS Dei gratia Romanorum rex, filialem per omnia dilectionem et debitam in Domino reverentiam.

Sinceritati vestræ totis animi viribus multas gratiarum actiones referimus, quod legatos nostros et litteras affectione paterna suscepistis, etc. *Vide in Eugenio III, post ipsius Regestâ.*

EPISTOLA LVII.

B. EPISCOPI HILDESHEIMENSIS AD EUGENIUM PAPAM III.

Wibaldi abbatis merita prædicat, oratque ut pontifex ratam habeat Kaminadæ unionem ad Corbeienſe monasterium.

(Anno 1148.)

Reverendo Patri ac domino suo sanctæ Romanæ Ecclesiæ summo pontifici EUGENIO, B. (82) Dei gratia Hildesheimensis Ecclesiæ humilis minister, tam devotam quam debitam patri obedientiam.

Commendamus serenitati vestræ dilectum fratrem nostrum Wibaldum Ecclesiæ Corbeienſis abbatem, virum boni apud nos testimonii, et in Ecclesia catholica bene nominatum, quem ad partes nostras accessisse admodum gaudemus, utpote de cujus prudentia et industria plurimum confidimus. Obse-

(82) Bernardus comes a Rottenburg ad Tubarum, qui apud Hildesium magnificum S. Gotthardo templum et cœnobium ordinis S. Benedicti erexit,

A cramus ergo paternitatem vestram, quatenus eum in suis petitionibus clementer exaudiatis, et præcipue pro Ecclesia Kaminatensi, in qua et divinæ religionis cultum, cujus in eadem Ecclesia multa negligentia fuerat, tanquam vir religiosus et prudens reformavit, et redditus ac possessiones, quas ejusdem monasterii abbatissa non boni apud nos testimonii, post sui depositionem cum vanis et superfluis hominibus dissipaverat, et militibus in beneficio concesserat, tanquam vir strenuus fere ad integrum recollectit, et utilitatibus monasterii restituit. Huic ergo homini habenti zelum Dei, tanquam pius et clemens Pater assistite, et labores quos fecit in Ecclesia Dei, vestra auctoritate corroborare, hoc procul dubio scientes quod mutatio, quæ in præfato monasterio facta est, omnibus religiosis terræ nostræ placet; his autem, qui ibidem causa irreligiositatis fuerant displicet.

EPISTOLA LVIII.

HENRICI DUCIS SAXONIÆ AD EUGENIUM PAPAM III.

Ejusdem argumenti.

(Anno 1148.)

Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ summo pontifici EUGENIO, HENRICUS dux Saxonie, promptæ et officiosæ servitutis devotionem.

Commendamus paternitati vestræ dilectum dominum meum venerabilem Corbeienſis Ecclesiæ abbatem Wibaldum, etc. *Vide in Eugenio papa III, inter epistolas diversorum ad ipsum.*

EPISTOLA LIX.

HERIMANNI COMITIS WINCENBURGENSIS AD EUGENIUM PAPAM III.

Ejusdem argumenti.

(Anno 1148.)

Sanctissimo Patri ac domino suo EUGENIO, sanctæ Romanæ Ecclesiæ summo pontifici, HERIMANNUS, comes de Wincenburch, advocatus Ecclesiæ Corbeienſis; obsequii sui intimam devotionem.

Commendamus, venerande Pater, societati vestræ dominum meum charissimum Wibaldum venerabilem Corbeienſem abbatem, virum utique religiosum, et in omni apud nos honestate ac prudentia spectatum. Commendamus vobis labores, quos in Ecclesia Corbeienſi a die promotionis suæ fideliter et infatigabiliter sustinuit, tum in reformanda religione in eodem monasterio et in recolligendis possessionibus ipsius, tum in pio et laudabili studio, quo in duobus monasteriis in Kaminata videlicet et Visbike, quæ a domino meo rege accepit, studiose pro reparanda in eis divina religione laboravit. Hujus enim laboratoris in terra nostra multum indignimus, maxime in duobus monasteriis, ubi multum divina religio deperierat, quam vir iste prudenter et honeste reformare laborat. Rogamus ergo excellentiam vestram, quatenus secundum petitionem domini mei regis hanc donationem ejus vestra eumque miraculis clarum in sanctorum numerum referri impetravit.

auctoritate confirmetis, et in reparanda divina servitute dominum meum abbatem adjuvetis, nobisque exemplum in adjuvantis Ecclesiis præstetis.

EPISTOLA LX.

H. ABBATIS. B. MARIE IN FLECHTORP AD EUGENIUM
PAPAM III.

Ejusdem argumenti.

(Anno 1148.)

Sanctissimo Patri ac domino suo EUGENIO, summo pontifici, H. Dei gratia humilis minister ecclesie B. Mariæ in Flechtorp (85), devotas orationes et debitam obedientiam.

Cognovimus, venerande Pater, venisse ad excellentiam vestram dilectissimum Patrem nostrum et dominum Wibaldum, Ecclesie Corbeiensis abbatem, virum quem multum diligimus, et in quo plurimum spei in terra nostra in adventu ipsius accepimus, quem et paternitati vestræ commendatum esse rogamus. Laboravit enim in regione nostra sicut vir præliator suscitans zelum pro reparanda divina religione, tum in suo monasterio, tum in monasteriis, quæ ex dono domni regis accepit, Kaminata videlicet et Visbike, ubi non divina servitia, sed lupanarium ludibria potius exercebantur, in tantum ut Kaminatensis abbatissa femina et conversatione et ætate juvencula amatoribus suis post sui depositionem de redditibus Ecclesie illius plusquam ad centum mansos in beneficio concesserit, cum ante depositionem suam pessima conversatione et irreligiosa promotione, qua ad diversas abbatias promotam, et pro culpis suis amota fuerat, omnes religiosos viros terræ nostræ contra se excitaverit. Unde paternitatem vestram obsecramus, quatenus præfatum abbatem, qui hujusmodi turpitudines submovere incepit, venientem ad vos benigne exaudiat, et tam regalem munificentiam, quam labores suos, quos in restauranda divina religione impendit, vestra auctoritate confirmetis, et studium ei circa cultum ecclesie vestra benevolentia adaugeatis.

EPISTOLA LXI.

W. ABBATIS S. BLASII AD EUGENIUM PAPAM III.

Ejusdem argumenti.

(Anno 1148.)

Reverendissimo Patri ac domino EUGENIO, summo et universali pontifici, W. Dei gratia id quod est, ecclesie (84) B. Blasii humilis minister, quidquid valet debita obedientia et devotissima orationis instantia.

Quod dilectum Patrem nostrum Wibaldum Ecclesie Corbeiensis abbatem venientem ad paternitatem vestram benigne soletis recipere, et in petitionibus suis elementer exaudire admodum exultamus, et ut deinceps idipsam faciatis excellentiam

(85) Monasterium Flechtorpiense anno Christi 1101 fundatum a nobili viro Erpone Padbergensi comite, in diocesi Patherburnensi in honorem S. Mariæ virginis, reliquiis S. Landelini insignitum est. Perstitit vero cœnobium illud ad hæresis tempora, quibus ultimus abbas Balthasar, ducta uxore et

vestram diligenter rogamus. Siquidem vir iste in terra nostra tanquam jubar cœlestis sideris effulsit, cui et gratias pro vigilantissimo studio, quo in Ecclesia Dei laborat, agatis, et ut diligenter in eodem labore et fideliter perseveret, fiduciam vestra admonitione præstabit. Nam postquam de manu domni regis duo monasteria feminarum accepit, Kaminata scilicet et Visbixe, divinæ religionis servitutem, quæ prorsus ibi deperierat, reparare et reformare tanquam fidelis servus et prudens multum studuit, et in recolligendis possessionibus, quas abbatissa Kaminatensis, femina usquequaque, reprehensibilis inter amatores suos disperserat, plurimum hoc anno laboravit, et adjutorio Dei ad integrum fere omnia, quæ illa distraxerat, requisivit, et usibus servientium Deo restituit. Hujus igitur hominis labores et studia, quibus Ecclesia in nostris partibus plurimum indiguit, vestræ sanctitati nos sicut et cæteri confratres nostri et omnes terræ nostræ religiosi commendamus, et ut eos vestra auctoritate ad profectum Ecclesie Dei confirmare dignemini, suppliciter exoramus.

EPISTOLA LXII.

C. ABBATIS B. M. IN GREVENKERKEN AD EUGENIUM

PAPAM III.

Ejusdem argumenti.

(Anno 1148.)

Universalis Ecclesie summo pontifici EUGENIO, C. humilis minister ecclesie Sanctæ Mariæ in Grevenkerken, debitam Patri obedientiam.

Exsultamus in Domino quod dilectissimum Patrem ac dominum nostrum Wibaldum venerabilem Corbeiensis Ecclesie abbatem in conspectu vestro gratiam invenisse cognovimus, virum utique de cujus adventu multum terra nostra illustrata est, et de cujus industria Ecclesiam Dei in partibus nostris satis jam profecisse, et ampliorem deinceps profectum habituram videmus. Est etenim vir tam in sua conversatione religiosus quam, ut in aliis religio divina amplificetur, studiosus, quod manifeste apparuit tum in aliis, tum præcipue in duobus monasteriis feminarum, Kaminata scilicet et Visbike, quæ domnus rex Corbeiensi Ecclesie dedit, in quibus divinæ religionis jam pene nulla mentio remanserat; gratia autem Dei nunc ibi Deus colitur, ubi paulo ante spurcitæ turpes colebantur. Hæc autem justitiæ zelo et amore Dei et clamore Ecclesie impulsus præfatus virum fecisse novimus, honestæque conversationis et probatæ vitæ et laudabilis studii circa prænomintas ecclesias testimonium in audientia paternitatis vestræ damus, et ut petitionem ejus, quam secundum Deum esse credimus, exaudire dignemini, obsecramus.

exuto habitu, hæresi nomen dedit. Vide plura Annal. Patherburn. lib. vii ad annum 1101 et de S. Landelini reliquiis.

(84) S. Blasii abbatia olim in monte Wederonis sita propter aeris intemperiem Mindam, a Raiawerdo episcopo translata est anno 1104.

EPISTOLA LXIII.

B. MARIE IN HAMULUNGESBURNEN AD EUGENIUM
PAPAM III.

Ejusdem argumenti.

(Anno 1148.)

Reverende Patri ac domino suo sanctæ Romanæ Ecclesiæ summo pontifici EUGENIO, Dei gratia abbas ecclesiæ Dei Genitricis in Hamulungesburnen (85) debitam et devotam Patri dilecto obedientiam.

Commendamus paternitati vestræ dilectum dominum et Patrem nostrum Wibaldum Ecclesiæ Corleiensis abbatem virum boni apud nos testimonii et dilectorem Romanæ Ecclesiæ, quem ad partes nostras accessisse omnino gaudemus, utpote de cuius prudentia et industria plurimum confidimus. Obsecramus ergo paternitatem vestram quatenus eum in suis petitionibus clementer exaudiatis, et præcipue pro Ecclesia Kaminatensi, in qua et divinæ religionis cultum, qui in eadem Ecclesia multum neglectus fuerat, tanquam vir prudens ac religiosus reformavit, et reditus ac possessiones, quas ejusdem monasterii abbatissa, femina mali testimonii apud nos, post sui depositionem cum vanis et superfluis hominibus dissipaverat, et militibus atque amatoribus suis in beneficio concesserat, tanquam vir strenuus et industrius fere ad integrum recolligit, et utilitatibus monasterii restituit. Huic igitur homini habenti zelum Dei, tanquam pius et clemens Pater assistite, et labores, quos fecit in Ecclesia Dei, vestra auctoritate corroborate; hoc procul scientes quod mutatio, quæ in præfato monasterio facta est, omnibus religiosis terræ nostræ ac timentibus Deum placet; his autem, qui ibidem exstiterant causa irreligiositatis displicet.

EPISTOLA LXIV.

EUGENII PAPÆ III AD HENRICUM JUNIOREM REGEM.

Amitæ ipsius provisurum se promittit.

(Anno 1148.)

EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto in Christo filio HENRICO, juniore Romanorum regi, illustri imperatoris Conradi filio, salutem et apostolicam benedictionem.

Litteras et nuntios tuos debita benignitate suscepimus, et eorum preces diligenter attendimus. Personam siquidem tuam vera in Domino charitate diligimus, etc. *Vide in Eugenio, ad an. 1153.*

EPISTOLA LXV

EUGENII PAPÆ III AD TEUTONICOS PRÆLATOS.

Ut juniore regi Henrico assistant, suisque consiliis et operibus eum adjuvent.

(Anno 1148.)

EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis et dilectis filiis abbatibus per Teutonicum regnum constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Sicut manifeste vestra prudentia recognoscit, cha-

(85) Forte idem quod Amelinsburgense ad Virsurgim cœnobium fundatum anno 1133, de quo Bruschius Cent. 1.

A rissimus filius noster Conradus Romanorum rex divini amoris fervoribus excitatus, vivificæ crucis signo suscepto, etc. *Vide ubi supra.*

EPISTOLA LXVI.

EUGENII PAPÆ III AD A. BREMENSEM, II. MINDENSEM ET T. FERDENSEM ANTISTITES.

Ut prædia Kaminatæ monasterii a variis usurpata curent restitui.

(Anno 1148.)

EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus A. (86) Bremensi archiepiscopo, He. (87) Mindensi, T. (88) Ferdensi episcopis, salutem et apostolicam benedictionem.

Possessiones ecclesiarum patrimonia pauperum et pretia peccatorum esse noscuntur, ideoque si quis præsumit ea contra justitiam detinere, etc. *Vide ubi supra.*

EPISTOLA LXVII.

EUGENII PAPÆ III AD CORBEIENSES MONACHOS.

Confirmat depositionem Henrici abbatis.

(Ann. 1148.)

EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Corbeiensibus monachis, liberis ac ministerialibus, salutem et apostolicam benedictionem.

Quantum sit necessarium monasteriorum quieti prospicere, etc. *Vide in Eugenio III ad an. 1153.*

EPISTOLA LXVIII.

EUGENII PAPÆ III AD FULDENSES.

Contra suum mandatum factam ab eis electionem declarat irritam, mandatque ut præsentibus quibusdam quos nominat abbatibus ex altero clauastro eligant sibi abbatem.

(Anno 1148.)

EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis monachis, liberis et ministerialibus Fuldensis monasterii, salutem et apostolicam benedictionem.

Si ad regenda rationabiliter membra discretio capitis intenta non fuerit, etc. *Vide ubi supra.*

EPISTOLA LXIX.

EUGENII PAPÆ III AD EBRACENSEM, EVERBACENSEM HERSFELDENSEM ET CORBEIENSEM ABBATES

Ut Fuldam accedentes abbatem ex altero clauastro eligi curent.

(Anno 1148.)

EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Ebracensi, Everbacensi, Hersfeldensi et Corbeiensi abbatibus, salutem et apostolicam benedictionem.

In apostolicæ sedis specula disponente Deo constituti, etc. *Vide in Eugenio.*

EPISTOLA LXX.

A. PREPOSITI CORBEIENSIS AD WIBALDUM ABBATEM.

Camerarium Fuldensem ejus desiderare præsentiam in abbatis electione, uti et Corbeienses pro rerum suarum restauratione.

(Anno 1148.)

Dilectissimo Patri ac domino suo WIBALDO, véné-

(86) Adalberoni.

(87) Henrico.

(88) Thiethmaro.

rabili abbati Corbeiensis Ecclesie præpositus, quid-
quid patri filius, domino servus.

Ante paucos dies nobiscum habuimus Fuldensem
camerarium, videlicet Hermannum, et alium quem-
dam e fratribus, qui venerant, ut vos ad se in tem-
pore electionis invitarent, qui redierunt multum
contristati, quod vos non invenerint. Misimus Ful-
densibus per eosdem litteras ex persona vestra,
quarum etiam nunc vobis copiam transmisimus.
Misimus etiam ad vos litteras domni papæ quas
sigillatas sigillo ad nos Fuldenses detulerant. Certi
etiam sumus quod idem Hermannus in brevi ad vos
veniet, cui commendatitias litteras secundum pe-
tionem suam ad vos scripsimus. Electus eorum, si
nondum audistis, de medio eorum evanuit. De cæ-
tero reditus vester ad nos magno desiderio omnium
amicorum vestrorum expectatur, tum pro aliis ne-
cessariis causis, tum pro eo maxime timore, quia
omnibus vestris incumbit, ne comes Hermannus
montem Bruneshersch occupet et muniat, quod pro
vero et indubitato nobis relatatum est, unde et a vo-
bis hoc celare nolimus, sicut nec aliquam rem,
quæ tacita honori vestro officere posset.

EPISTOLA LXXI.

WIBALDI ABBATIS AD FULDENSES.

*Excusat se quod ad eos nequeat accedere, eosque con-
solari conatur, hortaturque ut cito ad electionem
procedant.*

(Anno 1148.)

Decano, præposito, et cæteris in Christo dilectis
fratribus, liberis ac ministerialibus Fuldensis Eccle-
siae, WIBALDUS, Dei gratia Corbeiensis Ecclesiae fa-
mulus, benedictionem et vitam usque in sæculum.

Quantum doloris, quantum timoris, quantum sol-
licitudinis geramus pro diutina fatigatione et fre-
quenti jactura vestræ tam nominatæ, tam famosæ,
et aliquando tam honestæ Ecclesie malleus præ-
sentes, si temporis articulus permitteret, et apud
vos deplorare, quam absentes scriptis significare.
Quoniam vero jam ex antiquo omnium vestrum
honestatem plurimum semper dileximus, in tribu-
latione quam impræsentiarum vobis incumbere
perspeximus nostram quoque consolationem, si
qua potest esse, et commonitorium, quod vobis
præsentes dare nequimus, per apices nostros vestræ
dilectioni devote subministramus. Summa igitur
commonitionis nostræ hæc est: ut si, quemadmo-
dum intelleximus adhuc constituti apud domnum
papam, electum vestrum habere non potestis, ad
concordiam et unanimitatem quantocius redeatis,
et sicut diligitis honorem vestrum et pacem Eccle-
siae vestræ, concordēs redeatis, scientes, quod non
mentitur qui dixit: *Omne regnum in seipsum di-
visum desolabitur.* Et siquidem habere potestis in-
ter vos quem eligatis, non differatis, si autem aliunde,
et hoc acceleretis, sub dilatione enim aliquæ

(89) S. Bernardo qui tunc Trevis cum Eugenio
versabatur.

A importunitates suboriri poterunt. Nos autem de cen-
silio nostro vobis imparati non erimus.

EPISTOLA LXXII.

HENRICI COMITIS NAMURCENSIS AD EUGENIUM PAPAM III.
*Se paratum esse ea observare, quæ Treveris in curia
papæ ordinata fuerant, de causa quæ ipsum inter
et archidiaconum Virdunensem vertebatur.*

(Anno 1148.)

Reverendo Patri et domino suo EUGENIO, sanctæ
Romanæ Ecclesie summo pontifici, HENRICUS comes
de Namurco et Lutzelemburch, devotionem filii cum
fidei servitio.

Sicut inter me et Richardum archidiaconum Vir-
dunensem in curia vestra Trevis, mediante Cla-
revallense (89) abbate, ordinatum fuit, et in vestræ
societatis præsentia confirmatum, ita die constituta
observare et adimplere modis omnibus postmodum
volui sub testimonio Virdunensis (90) episcopi et
Corbeiensis abbatis, etc. *Vide in Eugenio III
papa, post ipsius Regesta.*

EPISTOLA LXXIII.

WIBALDI ABBATIS AD HENRICUM ROMANORUM REGEM.
De electo Fuldensi, de parendo decretis papæ, etc.

(Anno 1148.)

Glorioso ac serenissimo domino suo a Deo coro-
nato Romanorum regi HENRICO, filio victoris et
incliti Conradi Romanorum imperatoris augusti, F.
WIBALDUS, Dei gratia Corbeiensis abbas, salutem
in eo qui dat salutem regibus.

Qua devotionis instantia in concilio Remensi fu-
rimus pro stabilitate regni a Deo vobis collati, et
pro incremento vestri honoris, arbitramur satis
excellentiæ vestræ esse notificatum ab his, qui re-
bus interfuere. Siquidem de fide nostra et studio
circa vestræ personæ et regni vestri proventus su-
blimitati vestræ nullatenus erit dubitandum. Causa,
cur ad vestram celsitudinem post multa verba, quæ
cum magistro Henrico vestræ curiæ notario de sa-
lute et incolumitate vestra, de provisione et ordi-
natione atque gubernatione regni vestri sollicite
nuper habuimus, hæc est, quod Fuldensis electus
in abbatis nomen benedici detrectat, et præterea
inutilis a plerisque prædicatur. Si ergo amotus fue-
rit, de quo quidem non dubitavimus, cum a Remis
exiremus, tunc imminet vestræ indoli plurima
sollicitudo, ne aliquis novitatum motus in monaste-
rio Fuldensi oboriatur, sed sicut proxime, Deo
inspirante, sapienter et strenue ad honorem sanctæ
matris nostræ Romanæ Ecclesie et vestræ digni-
tatis cuncta ibidem perfecistis, ita et nunc magnifice
omnia in augmentum vestri honoris sub vestra
præsentia cum magna quiete et disciplina peragi
faciatis. Etenim, charissime, nobis dignitate qui-
dem et ordinatione, Domine; sed affectu, fili, hoc
vestræ intelligentiæ summo studio suggerimus et
suademus ut patrem vestrum papam Eugenium, qui

(90) Alberonis episcopi scilicet et Wibaldi abbatis.

vos benignissime honoravit, toto animo diligatis, nec decretis ipsius ac sacrosanctæ matris vestræ Romanæ Ecclesiæ promulgationibus alicujus instinctu obvietis ut si pro principibus et aliis fidelibus vestris intercedendum erit, hoc sub tanto discretionis moderamine faciatis, ut et clementiæ vestræ studium circa vestros laudem mereatur, et importunitas offensam non incurrat. Timemus namque ne in Romanam Ecclesiam aliquorum suggestione impingatis, quod vobis esse posset lapis offensionis et petra scandali. Et hoc ad vestram admonitionem putavimus esse adjiciendum, ne vel in Sueviam, vel in Saxoniam, vel in Lotharingiam exeatis, nisi vocatus a principibus ob aliquam rem præcipuam et notam sub brevi tempore terminandam. Expectatur enim adhuc pater vester regni Dominus et parens (91), ac de facili possetis in aliquam reprehensionem incidere, præsertim ab his qui debita regno servitia inviti et quasi coacti præstare consueverunt. Et melius est nomen bonum, quam divitiæ multæ.

EPISTOLA LXXIV.

PRIORIS CORBEIENSIS AD S. ABBATEM.

Mediante Wibaldo abbate indulget ipsi quiddam in Corbeienses commiserat.

(Anno 1148.)

Reverendo in Christo et fratri charissimo S. abbati, frater E. prior et cæteri fratres Corbeienses, fraternam dilectionem.

Petitionem vestram, quam mediante charissimo Patre et domino nostro Wibaldo abbate nostræ parvitati obtulistis, debita reverentia suscepimus, et quiddam in nos scienter vel ignoranter deliquistis absque simulatione remisimus, et nostræ societati arctius incorporatum diligere et honorare, et exiguis orationibus nostris participare vos et desideramus et concedimus. In adventu enim prædicti patris nostri ad nos omnia inimicitiarum semina penitus extincta sunt; quoniam inter illos, quos dissensionis procella disjecerat, ipse se medium, tanquam bonus angularis lapis veræ charitatis et discretæ humilitatis glutino interposuit, et filios Dei, qui in longinqua regione discordiæ adeo remoti et alienati erant, in unum intimæ dilectionis corpus congregavit. Cui pro utilitate et reformatione nostri monasterii indefesso studio laboranti vestra industria pro nostræ dilectionis et petitionis intuitu singulari, ut vestram prudentiam decet, constantiæ et officii amoré assistetis.

EPISTOLA LXXV.

WIBALDI ABBATI AD MAGISTRUM BALDRICUM.

Ut suum exerceat ingenium.

(Anno 1148.)

Frater WIBALDUS Dei gratia id quod est in catholica Ecclesia, dilecto fratri et amico suo Baldrico magistro, benedictionem et vitam usque in sæculum.

(91) Ejus editum ad annum 1149 collocat Auctuarium Affligemiense apud Miræum, ubi sic habet: *Imperator Conradus et rex Franciæ Ludovicus sine ullo effectu præcinctum solvunt, et ab itinere Hiero-*

Expediti tandem ab his occupationibus maximis, quæ nos, ut ipse nosti, ultro citroque implicitos diu tenuerunt, posse cœpimus aliquando amicos nostros salutare, et aliquid tenerioris affectus depulso omnino angore exhibere. Salutantes igitur tuam industriam paterno et intimo affectu rogamus et exhortamur in Domino, ut illud tuum nobile et acutissimum ingenium, quod tibi, præstante Deo, a natura insitum est, et optimis artibus in juventute tua sublimer excultum, torpore per otium non sinas, ne honos qui tibi quasi quidam laboris fructus ob scientiæ claritudinem collatus est, optimis disciplinis tuis quemdam obscuritatis situm inferre prævaleat. Sane et acumen ingenii et facundiæ gloriam, et adeptas dignitates humilitate quasi quodam gemmarum splendore ornabis, et memineris honores eisdem artibus esse servandos, quibus eos es assecutus. Fortunatum enim, ut sæculariter dicamus, esse potuit, quod ascendisti, sed regere teipsum in alto, equidem industriæ est. Præsentia tua tuis auditoribus disciplina sit, raro siquidem castigabilis, si assiduus fueris. Plus habet locus tuus quam docendi officium, nam et censoriam debes exhibere severitatem, quoniam et corrigendis moribus præfectum te esse noveris, quæ disciplina et exercitatio omnibus est subtilior, et in fructu cunctis propensior. Scienti pauca sufficiant, non ut doctorem doceamus, sed ne officium prætereamus.

EPISTOLA LXXVI.

MONACHORUM CORBEIENSIS AD WIBALDUM ABBATEM.
Ut absens pro sua Ecclesia laborare non desinat et ut suo privilegio confirmet duorum monasterium unionem.

(Anno 1148.)

Dilecto Patri ac domino suo WIBALDO, Dei gratia venerabili Corbeiensi abbati, E. prior totaque congregatio filiorum suorum, Deo in eodem monasterio sub ejus regimine famulantium, quiddam valet sedula oratio, et debita tam dilecto Patri dilectio.

Multum quidem ægre sustinemus tam diuturnam vestri absentiam, nisi quod pro incremento Ecclesiæ nostræ vos scimus in hac absentia laborare, ad quem etiam laborem viriliter sufferendum, vos in quantum præsumimus exhortamur, et commoneamus, et ut bono fine terminetur misericordiam Dei jugiter exoramus. Cæterum gratias agimus paternitati vestræ, quod inter duos parietes, ut eos in unam societatem conjungeretis, tanquam prudens imitator veri illius angularis lapidis medius sedistis, et diu desideratam nobis charissimorum fratrum communionem et optabilem in Christo adunationem (92) ad effectum perduxistis. Consummato ergo operi extremam manum adhuc imponetis, ut videlicet vestro privilegio, quæ in hac memorabili duarum Ecclesiarum conjunctione vestra permissione

solymorum revertuntur, nunquam audita tanta infelicitate tanti exercitus.

(92) Hic agitur de societate inter Stabuletum et Corbeiam.

utrinque scripta vel facta sunt, ad perpetuam successorum nostrorum memoriam confirmetis, et hoc testimonium in utraque ecclesia diligenter, sicut rem dignam memoria, conservari præcipiatis. Nihilominus quoque rogamus, ut quoniam ad laudem Dei et ad remedium animarum nostrarum hanc conjunctionem fieri postulavimus, sanctis etiam patronis utriusque Ecclesie alterutrum dignos honores impendi constituatis, quatenus qui in utraque Ecclesia oramus pro invicem ut salvemur, junctis utrinque patrocinis ad consequendam salutem, quam quærimus, adjuvemur. Placeat ergo vobis, ut ob recordationem posteritatis signum aliquod et memoriale in festivitate utriusque patroni (95) de possessionibus utriusque Ecclesie statuatis, et hoc studio pietatis tam vestram quam patronorum memoriam apud subditos vestros perpetuam faciatis,

EPISTOLA LXXVII.

CORBEIENSIVM MONACHORVM AD WIBALDVM ABBATEM.

Exponunt quanta de ejus absentia patiantur, hortantur ut cito redeat.

(Anno 1148).

Charissimo Patri et domino venerabili Corbeensi abbati WIBALDO, E. prior, A. præpositus cæterique fratres et ministeriales Corbeensis Ecclesie, quidquid patri dilecto filii, et domino fideles servi.

Quam ægre, et quam graviter, et quam intolerabiliter sustineamus tam diuturnam vestri absentiam neque possumus, neque audemus ad perfectum vobis insinuare, ne forte nimietas et importunitas nostra æquanimitatem vestram debeat perturbare. Verumtamen noveritis quod Ecclesia nostra, quam tuendam et regendam in tempore tribulationis sue suscepistis, et quam per misericordiam Dei de multis laboribus sublevastis, et per multos labores vestros honestis incrementis a die promotionis vestre indesinenter provehere studuistis, hæc in absentia vestra multum jam tribulatur. Siquidem dominus Folcuinus, in quo spem vestram magna ex parte ad tuendas et defendendas res vestras apud nos posueratis, plus omnibus homines vestros de Huxere rebus suis non minus quam ad centum quinquaginta marcas violenter spoliaverit. Villicum vestrum de Immenkusen homines ipsius invaserant, et occidissent, si vix manus eorum non evasisset, pro quodam beneficio quod de annona fratrum eis concesserat: solet enim de præbenda fratrum homines suos inbeneficiare. Alii præterea multi et præbendam fratrum dissipant, et homines vestros lacerant, de quibus plusquam satis audietis, cum primum ad nos Deo propitio redieritis. Pro his et hujusmodi pluribus causis, quas et patimur et passuros nos formidamus, fratres, ministeriales, omnisque multitudo hominum et fidelium Ecclesie vestre deprecatorias litteras misimus ad vos diligenter, et cum omni qua possumus devotione obsecrantes, quate-

(95) Id quod fecit Corbeie anno 1151. Montem S. Michaelis et ecclesiam cum omnibus pertinentiis ad anniversariam S. Remacli memoriam solemniter

nus reditum vestrum ad nos quantocius acceleretis, et pressuras nostras tam presentes quam eas quas futuras timemus, dum adhuc potestis, sublevare festinetis. Comes quoque Hermannus reditum vestrum omnimodis desiderat, multumque tam vobis quam Ecclesie vestre obfuturum, si cito non redieritis, affirmant.

EPISTOLA LXXVIII.

WIBALDI ABBATIS AD SUOS CORBEIENSES

Suam presentiam Stabulensibus maxime necessariam fuisse, seque negotiis expeditis, cito citius Corbeiam convolaturum.

(Anno 1148).

Frater WIBALDUS, Dei gratia Corbeensis ecclesie servus, dilectis in Christo filiis et fratribus suis E. venerabili priori, A. præposito et cæteris fratribus, nec non ministerialibus Corbeensis monasterii, spiritu consilii et fortitudinis abundare.

Quod Ecclesia Corbeensis, quam regendam, Deo auctore suscepimus, ullis in absentia nostra curarum sive laborum fatigatur molestiis, tantum dolemus, quantum ipsam Ecclesiam, quæ parvitati nostræ credita est, Dei præ oculis timore proposito diligimus. Et vos quidem paucarum rerum amaritudine degustata, de futuris anxie timetis. Sed Stabulensis Ecclesia, quæ nos lacteo pietatis alimento nutrit, et delicta juventutis nostræ et ignorantias nostras non reminiscens, nos, si qua in prælatione existimatur dignitas, ad summum sui regiminis gradum provexit, interim dum vobis militamus, multiplicibus ac miserabilibus modis in præda, in incendiis, in quotidiana rapina, in cædibus lacerata est; ad quas contritiones sanandas, ex quo a domino papa recessimus, Deo propitio nobis, ad preces fratrum nostrorum in adiutorium nostrum intendentes, non inutiliter laboravimus, et circumdante nos scuto divinæ gratiæ, inimicos Ecclesie sua prosperitate inebriatos, et rebus pauperum nostrorum ditatos sub jugum ecclesiasticæ disciplinæ humiliatos vidimus, et quærentes reconciliari Ecclesie quam offenderant. Sed quoniam causa difficilis est, et in hac perturbatione multi tam in personis quam in rebus suis graviter offensi sunt, opus plenæ reconciliationis procedere de facili non potuit, cujus finem adeo de gratia Dei confidentes propinquum speramus, ut rebus compositis et pacatis, expediti ad vos et absoluti absque prolixiore mora redire valeamus. Etenim transire nunc ad vos non esset vobis consulere, sed Stabulensem Ecclesiam turpiter et cum nota fugitivi deserere. Nec ideo tardamus, quod post multos labores et sollicitudines, quibus jam longo tempore impliciti sumus, requiem nobis et curationem provideamus, quoniam a primordio nostræ promotionis nunquam tam assiduas et animi et corporis fatigationes pertulimus. Caveat prudentia vestra ne rumor, qui de monte vestro celebrandam deputando. Vide in Appendice instrumentum.

Brunesberch agitur, ab his alatur et augeatur, qui nos ejusdem montis ædificio non absque magno labore et impensa involvi desiderant. Super damno, quod civibus et ministerialibus nostris de Huxera (94) contigit, valde dolentes domino papæ querimoniam sub celeritate transmisimus, orantes ut secundum formam decreti a se in concilio Remensi recentèr constituti, dominum nostrum Patherburnensem episcopum diligenter commoneat, quatenus Fulcuinum pacis constitutæ in sacra possessione dominica violatorem cuncta restituere et satisfacere commoveat, vel sub pœna excommunicationis compellat.

EPISTOLA LXXIX.

WIBALDI ABBATIS AD HADWIDEM SOROREM SUAM.

Excusat se quod eam jamdiu non visitaverit, narrat quanta pro regno, pro suis, et pro amicis fecerit.

(Anno 1148).

Frater WIBALDUS, Dei gratia id quod est in Ecclesia catholica, dilectæ sorori suæ HADWIDI (95), benedictionem et vitam usque in sæculum.

Reprehendit nos fortassis et arguit dilectio tua, quod tanquam immemores pristini affectus et sinceræ dilectionis, atque fraterni amoris, quo nos invicem tenere dileximus, visitare te et consolari hoc tempore distulimus, quando abest germanus tuus regię curię cancellarius, sui generis flos et ornamentum, amicorum suorum column et tutela. Peregrinatur ille quidem et bajulat crucem suam et sequitur Christum suum Jerosolymam petens in comitatu et obsequio charissimi domini sui et nostri Romanorum regis Conradi. Dicit ergo nunc cogitatio : Homo ille charissimus et in numero fratrum carnalium susceptus et ascriptus, præsentem illo sublimes et humanissimo fratre nostro, domum nostram colebat, et nos assiduis visitabat affatibus, nulla nobis modo mittit alloquia. Itaque aut tunc non fuerit verus amicus, aut nunc est negligens vel obliviosus; sed verus amor negligentiam seu oblivionem non recipit, restat igitur, ut simulatus et non amicus fuerit. Cæterum, soror charissima, si ad temporis hujus qualitatem et res, in quibus versamur, diligenter inspicias, hæc accusatio tua tam subtilis tamque probabilis facile conquiescit. Nam ex quo dominus papa Eugenius in partes Lotharingię pervenit, cura nobis et sollicitudo maxima incubuit, ut res Stabulensis monasterii nec non et Corbeiensis, quæ nobis, Dei præordinante clementia, commissæ sunt, quæ assidue apostolico egent præsidio, modis congruentibus proveheremus, atque ut dominis rerum, nostris utique regibus tam patri quam filio debita fidelitate serviremus, tum etiam ut amicis ac necessariis nostris studio et opera in suis opportunitatibus assisteremus; in quo diffi-

lium rerum proposito divinæ pietatis gratia nos comitari dignata est, ut in nulla suscepti negotii vacui revertemur. Etenim Ecclesiæ nostræ non parvis incrementis auctæ sunt, et apostolicis privilegiis roboratæ. Porro et in rebus regni dedit nobis divina majestas proventum. Siquidem juniorem dominum regem nostrum quædam non exiles personæ ad hæc dedita opera impellebant, ut in quibusdam dominum papam offenderet, et canonicis decretis contraheret, quod ne fieret Dei largissima bonitate et nostro studio præventum est, et in meliorem statum omnia commutata. Nam et filius rex dominum papam et ejus decreta vigilantia solertia honoravit, et e converso dominus papa ipsum et regem Romanorum appellavit et scripsit, quod raro extra Urbem accidit, et universis principibus cum omni benevolentia et affectione paterna monendo scripsit, quatenus eidem speciali suo et beati Petri filio fidelitatem exhibeant, et in administratione regni sibi a Deo ex successione paterna collati, consilium et auxilium ferant. Sane in amicorum nostrorum causis quantum profecerimus, malumus ut ab ipsis quam a nobis cognoscatur. Tum vero in Stabulensi Ecclesia magna turbatio ante adventum nostrum erat, ad quam sedandam et componendam nulla nobis dies aut nox expers laboris fuit, et operante divinæ pietatis gratiæ, spem meliorem habemus, quod in brevi tempore ad salutarem et optatum finem cuncta perducamus. Hæc igitur et aliæ multiplices occupationes nostram intentionem gravibus curis implicitam detinuerunt, et ab officio te salutandi nos hactenus retardaverunt. Salutantes itaque nunc in Domino excellentiam tuam rogamus et hortamur, ut si qua in tuendis et curandis rebus fratris nostri absentis difficultas emergerit, nostro ubi opportunum fuerit, adminiculo utaris, et de nobis tanquam de vero et constanti amico confidas.

EPISTOLA LXXX.

CONRADI IMPERATORIS AD WIBALDUM ABBATEM.

Narrat ea quæ sibi sacra in expeditione contigerunt.

(Anno 1148.)

CONRADUS, Dei gratia Romanorum rex, venerabili WIBALDO Corbeiensium et Stabulensium abbati, gratiam suam et omne bonum.

Quia fidelitatem tuam sæpenumero circa nos, et regnum nostrum probatam multis experimentis cognovimus, si de prosperitate nostri status audieris, multum te gaudere non ambigimus. Mandamus itaque fidelitati tuæ quod cum Nycæam integro et composito exercitu pervenissemus, mature expeditionem consummare volentes, per compendium, notis viæ ducibus hoc ostendentibus, versus Leonium proficisci cœpimus, illuc usque necessaria portantes,

(94) Huxeri villam regiam (nunc Hoxaria est) Ludovicus Pius dedit Corbeiensibus anno imperii sui x. Diploma donationis editum est lib. II. Annal. Patherburnensium.

(95) In monasterio Gerigesheim, f. Gerishem, sanctimoniali, cui præfecta est anno 1150. Vid. infra epist. 220.

quantum valuimus. Et ecce decem dierum itinere A. iam peracto, totidem adhuc nobis residuo, victualia omnibus fere, equitaturis maxime, defecerant, cum Turci pedestre vulgus, quod exercitum sequi nequebat, invadere et cedere non cessabant. Nos vicem populi deficientis et tam morte sua quam sagittis hostium pereuntis dolentes, rogatu principum omnium et baronum ad mare de terra illa deserta exercitum, ut refocillaretur, reduximus, malentes incolumem ad majora servare, quam tam cruenta victoria de sagittariis triumphare. Cum vero ad mare venissemus et castrametati fuisset, in maxima tempestate non exspectans serenitatem, præ gaudio rex Francorum ad tentoria nostra, nobis nescientibus, supervenit, dolens quidem exercitum nostrum fame et labore attritum, de societate autem nostra non parvum habens gaudium. Ipse siquidem et omnes principes sui fideliter ac devote obsequium suum nobis obtulerunt, pecunias insuper suas et quæcunque habebant, voluntati nostræ exponebant. Coniuncti ergo cum copiis nostris et principibus, quorum quidam cum nobis remanserant, quidam infirmi et præ penuria pecuniæ sequi non valebant, et ob id ab exercitu recedebant usque ad Sanctum Joannem, ubi sepulcrum ejus et manna scaturire cernitur, absque omni difficultate celebraturi illuc Nativitatem Domini pervenimus, ubi per aliquos dies repausantes, quia et nos infirmitas et multos nostrorum invaserat, recuperata sanitate procedere volebamus, sed invalescente ægritudine nequaquam ire valuimus. Rex igitur cum exercitu dolenter profectus, quantum potuit nos præstolatus est, sed diutina infirmitas nos tenuit. Quod cum frater noster Græcorum imperator audiret, vehementer indoluit, et cum filia nostra dilectissima imperatrice, sua videlicet conjuge, ad nos præpropere descendit, liberaliter nobis et principibus nostris sua et necessaria ad iter nostrum largiens, quatenus a medicis suis citius curaremur, quasi vi Constantinopolim in palatium suum reduxit, tantum illic nobis honoris exhibens, quantum ulli unquam prædecessori nostro exhibitum esse audivimus. Inde Jerosolymam Dominica Reminiscere proficisci statuimus, Deo auctore, novum exercitum ibi in Pascha collecturi, et Rohas processuri. Ut autem illud iter nostrum Deus prosperum facere dignetur, ut ipse ores, et fratres tuos orare facias, et omnibus fidelibus nos committas, et commendatum fidei tuæ filium nostrum habeas postulamus.

EPISTOLA LXXXI.

CORBEIENSIVM MONACHORVM AD WIBALDVM ABBATEM.

Congratulantur ei de prospere gestis, et promptum ejus ad se optant reditum.

Anno 1148.

Dilecto in Christo Patri et domino suo WIBALDO, venerabili Corbeiensi abbati, fratres Corbeiensis ecclesiæ, debitam Patri obedientiam et devotam orationum instantiam.

Congratulamur paternitati vestræ quod prospere

eventum habuistis in componendis his, qui inter homines vestros dissidebant, tum propter vos, tum propter fratres nostros Stabulenses, tum etiam propter nos qui multo desiderio præsentiam vestram exspectamus. Quia etenim vos ut patrem diligimus, semper præsentem habere vellemus, sed quoniam providentia vestra ad multorum procuracionem spectat, et ideo solis nobis intendere nequaquam potest obsecramus paternitatem vestram ut saltem post multos dies, quibus præsentia vestra ægre caruimus, redire ad nos non abnuatis, scientes procul dubio quod præsentia vestra non minus quam fratres nostri Stabulenses jam indigemus; non eis quidem præsentiam vestram invidemus, sed nobis de absentia vestra multum condolemus. Quia igitur aliquantulum vos de cœptis laboribus expeditum audimus, iterum rogamus, quatenus mox ut hunc nuntium vestrum receperitis, de reditu vestro ad nos ordinetis, nec filios vestros ulterius de absentia vestra affligi permittatis. Omnes pene in regione nostra prophetant, vos ultra non rediturum.

EPISTOLA LXXXII.

A. PRÆPOSITI CORBEIENSIS AD WIBALDUM ABBATEM.

Promptum ipsius ad Corbeienses optat reditum.

(Anno 1148.)

Domino suo venerabili Corbeiensi abbati, frater A. præpositus Corbeiensis, tam devotam quam debitam Patri obedientiam.

Non videatur vobis durum, si solito attentius vos revocamus, quia quod honori vestro timemus, quod Ecclesiæ vestræ detrimentum formidamus, ex dilectione est, qua vos diligimus ex fide quam Ecclesiæ debemus. Multa siquidem apud nos geruntur, pro quibus vestri præsentiam valde necessariam habemus, de quibus ipse præsens abundantius videbitis, quam nos absenti scriptis insinuare possimus, præter illa, quæ adhuc si moram feceritis, propter absentiam vestram futura esse formidamus. Una est enim vox, eadem sententia omnium qui diligunt vos, utile esse, quod absque dilatione redeatis, et ne qua inconvenientia apud nos oriantur, quæ postmodum cum difficultate reprimi oporteat, præcaveatis. Licet enim non ignoremus, quod si impræsentiarum redieritis, annonam omnem pretio comparare debeatis, non tamen videtur nobis tutum, quod propterea diutius remaneatis, sed statim post acceptas litteras has de reditu vestro disponatis, quia utique laudabilius est et nobis carius, quod argentum vestrum quam honorem perdati. Scimus etiam quod cum veneritis, multa quæ camerarius vester neque nos possumus, per vos acquiretis, quia vos per misericordiam Dei talem esse scimus, qui et vobis et nobis esse solatio possitis. Non moveat vos, quod domum ad habitandum non habetis apud nos, quia apud sacrum martyrem habitaculum valde commodum et secretum usque ad consummationem domus vestræ vobis providimus, ubi cum devotione libenter ipsi vobis serviemus, tantum præsentem vos habeamus. Annonam fratrum a villicis nostris aut vix

aut nullo modo extorquere jam possumus. Fuldenses nihilominus presentiam vestram multo desiderio expectant, quia Ecclesia eorum, quæ sine pastore est, ubique colliditur, ubique distrahitur, ubique dissipatur. Unde et abbas Hersveldensis litteras domini papæ, quas vobis et aliis abbatibus direxerat, ad nos transmisit, multumque etiam ipse propter injunctum sibi et vobis negotium, ut redeatis, jamdiu desideravit.

EPISTOLA LXXXIII.

WALTERII CAMERARII CORBEIENSIS AD WIBALDUM
ABBATEM.

*Rationem reddit de ædificiis construendis, optatque
ut quam cito redeat Corbeiam.*

(Anno 1148.)

Reverendo Patri ac domino suo WIBALDO, venerabili abbati Corbeiensi, frater WALTERUS camerarius suus, debitam Patri obedientiam.

In perficiendis ædificiis vestris omni conamine institimus, quæ utique antequam perficiantur, non modica expensa indigebunt. Non autem vos hoc latere volumus, quod a multis jam diebus omnes expensas ejusdem operis mutuo accepimus, et quod in mutuando usque ad quindecim marcas jam progressi sumus, exceptis his, quæ adhuc ad residuum operis habitari sumus. Magno quidem desiderio presentiam vestram expectamus multis de causis, quas intus et foris quotidie apud nos videmus et audimus, pro quibus presentia vestra nobis et Ecclesiæ multum esset necessaria, multumque timetur ab omnibus, qui vos et honorem vestrum diligunt, quod si diutius moram feceritis, aliquas novitates, quæ multum requiem vestram perturbare possint, apud nos invenire debeatis, de quibus quidem aliquid a puero vestro Ludovico audire potestis. Nisi esset timor, placeret nobis quod usque ad novas fruges reditum vestrum protraheretis, quia si ante redieritis, non invenietis de annona vestra, quod vel una die manducetis, aut quod bibatis, nisi pretio comparetis. Sed videtur nobis tolerabilius, quod annonam apud nos aliquanto tempore ematis, quam aliqua inconvenientia, quæ vos ex insperato laborare faciant, apud nos oriri permittatis. Multum itaque volumus, ut omnes moras rumpatis, et recepto hoc presenti nuntio vestro ad nos redire festinetis. Ex fidelitate et devotione nostra est, quod ad reditum vos tam instanter cohortamur.

EPISTOLA LXXXIV.

WIBALDI ABBATIS AD SUOS CORBEIENSES.

*Jam proxime ad eos reversurus, narrat quam multa
bona apud Stabulenses positus eaerit.*

(Anno 1148.)

WIBALDUS, Dei gratia Corbeiensis abbas, dilectis in Christo filiis et fratribus suis E. venerabili priori et cæteris Corbeiensis ecclesiæ filiis, benedictionem et vitam usque in sæculum.

Ratio consilii et instituti nostri poscebat, ut apud Stabulaus moram longiorem faceremus, non solum pro remoyendis importunitatibus, quæ Stabulensem

A Ecclesiam et totam terræ Lotharingiæ fatigabant, verum etiam quia ordo quidam et rerum necessitas paucis considerata postulare videbatur, ut usque ad caput hiemis abesse a vobis deberemus. Cæterum nos, qui etiam in re prævisa et a nobis singulariter ordinata multorum communem sententiam sequi consuevimus, toties vocati a vobis jam non venire non audemus, magis volentes vestro iudicio, si ita opus est, errare, quam in nostræ deliberationis proposito, licet rectum et consequens videatur, permanere. Ut autem sciat vestra fraternitas, tempus otiosum nobis non præterisse, inter comitem Namurcensem et comitem de Lon et comitem de Daburch, quorum discordia totam terram lacerabat, pacem Deo auctore usque in festo sancti Remigii fecimus, atque inter comitem de Rupe, qui noster advocatus est, et comitem de Monte acuto, qui multorum incitamenti maxima inter se bella movebant finitivam et toti terræ salutarem concordiam reformavimus. Adversarios nostros, qui bona Ecclesiæ nostræ diripuerant, divina potentia subegimus, ut nobis nostra cum ingenti satisfactione restituant. Ad sedandam vero ipsam discordiam, quæ est inter ipsos et ministeriales nostros, cum diu multumque laboraverimus, pauxillum temporis assumpsimus, in quo omnia, Dei adjuvante clementia, ad perfectum perducere valeamus, et in vigilia Assumptionis sanctæ Mariæ ad vos cum charitatis gaudio perveniamus.

EPISTOLA LXXXV.

CORBEIENSIVM MONACHORVM AD WIBALDVM ABBATEM:

Urgent ipsius Corbeiam reditum.

(Anno 1148.)

Charissimo domino et Patri suo WIBALDO venerabili Corbeiensi abbati, E. prior, A. præpositus, W. camerarius, debitam obedientiam.

In quantum fas est, prudentiam vestram arguimus, quod cum paternitati vestræ anxietates nostras per nuntium vestrum et litteras nostras insinuavimus, necdum aliquid nobis certitudinis de reditu vestro significastis, præsertim cum in omnibus litteris, quibus reditum vestrum hac vice maturari rogavimus, hoc ad summam cum omni diligentia adjunxerimus, ut statim post acceptas litteras absque omni dilatione de reditu vestro ad nos ordinareritis. Et ecce jam fere ad tres septimanas nuntium vestrum suspensi expectamus, multoque desiderio sub hac expectatione afficimur, nec quidquam consolationis a vobis accipimus. Quid ergo tandem facimus? neque enim sine causa reditum vestrum tantopere maturari postulavimus; foris pugnae, intus labores, ut de omnibus aliis sileamus, fere mortificamur tota die de opinione imo concertatione hominum, qui contendunt vos ultra non rediturum, qui modo cum improprio insultant nobis, postquam ad speratam diem nuntius noster non rediit, affirmantes quod in vanum spem nostram consumimus. Denique nisi quod constantiam vestram tam fixam et immobilem optime novimus; tot opinionibus et

tot clamoribus hominum flecti ad desperationem A
debuimus. Comes quoque Hermannus tam diutinam
vestri absentiam multum incusat. Omni ergo devo-
tione, omni studio, paternitatem vestram rogamus
ut vel hac vice statim post acceptas litteras nostras
redire nullatenus differatis, procul dubio scientes
quod si modo ulterius moram feceritis, amicos ve-
stros in desperationem non modicam adducetis.

EPISTOLA LXXXVI.

WIBALDI ABBATIS AD SUOS CORBEIENSES.

*Increpat eos quod ejus reditum tot iteratis vicibus
urgeant.*

(Anno 1148.)

Frater WIBALDUS, Dei gratia Corbeiensis abbas,
dilectis in Christo fratribus E. priori, A. præposito,
W. camerario, salutem et benedictionem. B

Lex sacra præcipit, ut in sacrificio sal offeratur.
Et Apostolus dicit : *Sit sermo vester sale conditus.*
Quæcunque condita non sunt sale insipida sunt, et
ad humanæ refectionis profectum minime accom-
moda : virtus nulla est, quam discretio deserit, hæc
est sal et condimentum rerum quæ inter bonas an-
numerantur. Virtutes in meditullio positæ sunt inter
nimietatem et paucitatem. Hæc est via regia, in qua
superbi abscondunt laqueos nobis, in qua ita est
ambulandum, ut neque ad dexteram declinemus
per inconsideratum zeli pronioris ardorem, neque
ad sinistram deviemus per dissolutæ remissionis
torporem. Quorsum hæc? quia videlicet in eo quod
nos tam frequenter, tam instanter revocatis, mo-
dum, qui est discretionis comes, excedere videmini. C
Cum enim sancta et venerabilis mater nostra Sta-
bulensis Ecclesia multis attrita fuerit pressuris, oc-
casionem rapientibus improbis ex eo quod divinam
vocationem et vestram unanimem electionem se-
cuti, ad vos transivimus, impium erat et omni be-
stia furente crudelius, eam in angustiis et jam im-
pendente ruina deserere. Intravimus in eandem ec-
clesiam per ostium, quod de vita et moribus nostris
dicere nequaquam præsumimus, sed de tota ordi-
natione et provecibus nostris plane affirmare non
formidamus. Videbamus itaque non lupum unum
venientem, nisi forte totam dæmonum phalangem
unum lupum intelligimus, sed multorum luporum
innumerabiles exercitus, qui ad devorandam Sta-
bulensem Ecclesiam et magnam partem Lotharin-
giæ efferata rabie inhiaverant. Sed misit Deus Spi-
ritum sanctum de cælo, et conclusit ora leonum,
atque, imperante Jesu, qui propter peccata nostrâ
dormierat, ventis et mari facta est tranquillitas,
suspecta quidem et plena dolis et insidiis, et qua-
lem nostra ætas dare consuevit, verumtamen ali-
qua. Vester igitur affectus in revocando laudabilis
est, et nobis gratissimus, revocationis vero tempus
et causa laudis titulum non meretur. Tempus qui-
dem, quia importunum est. Causa vero tam pue-
rilis est, ne dicamus stulta, ut digna non fuerit tan-
tis conatibus. Hæc enim est maxima festinatæ revo-
cationis causa, quod, ut verbis utamur vestris, fere

mortificamini tota die de opinione, imo de concer-
tatione hominum, qui contendunt nos ultra Cor-
beiam non redituros : et ne vos in tantæ levitatis
dictione ineptos reputarem, scripserat nobis con-
ventus vester contra gravitatem tanti cœtus, contra
severitatem suam, quæ debuit esse castigatior, hæc
verba dicens : Omnes pene in regione nostra pro-
phetant, vos ultra non redituros. O homines pru-
dentes! o homines fortes! qui anilibus intenti fa-
bulis et sese perturbant et nos seriis rebus intentos
fatigare non desinunt. Mulierculæ, quæ muros atrii
vestri obsederunt, et quæ substantiam domus no-
stræ vorare solent, metiuntur digitis suis, et post
detestabilem atque ridiculam sortem sternutantes
dicunt jurando, per omnes Christianas animas; ve-
rum est, non revertetur. Propheta dicit : *Væ qui pro-
phetant de cordibus suis, egressus est Spiritus a facie
furoris Domini, et factus est Spiritus mendax in ore
omnium prophetarum.* Hæc sunt angustiae, hæc sunt
bella, hæc incendia, hæc cædes, hæc rapinæ, quæ
Corbeiensem circumvallaverunt Ecclesiam. Verum
hæc cætera mala divina protectio ab ipsa procul
amoveat. Sed dicite nobis de prophetis vestris, qui
viderunt vobis stulta et falsa, et vos non attendistis
vero Prophetæ dicenti : *Beatus vir, cujus est nomen
Domini spes ejus, et non respexit in vanitates et in-
sanias falsas* : ea, quæ prophetant, aut vera pro-
phetant, aut falsa vaticinantur : si vera prophetant,
cur nos toties et tam studiose revocatis, cum con-
stet, quod vera prædictio falli vel conculci non pos-
sit? si vero de spiritu mendacii falsa loquuntur,
cur vos ipsos commovetis et tam vana et tam inepta
narratione sollicitatis? Revertemur certe ad vos, si
Deus permiserit, et nos vixerimus. Nec enim inter
vos ita conversati sumus, ut videre vos erubescamus,
neque vos tales erga nos exhibuistis, quos
cernere formidemus. Veniemus certe tempore et
die præfixo in litteris nostris, quas per Ludovicum
puerum nostrum vobis direximus. Licet Stabulensis
Ecclesia propter certas et impendentes et periculô-
sas rationes, nostram ægre ferat absentiam. Si Sta-
bulensis Ecclesia nos non educasset, si nos de gre-
gibus ovium non sustulisset, si nos de post fetantes
non accepisset, ut pascere Jacob et Joseph hæ-
reditatem Dei, si nos egenos de pulvere non susci-
tasset, et de stercore erexisset pauperes ut sedeamus
cum principibus, dignum tamen fraterna cha-
ritate fuit, ut si in Corbeiensi Ecclesia medicus fo-
ret, in cujus domo vestimentum esset, non negaretis
sorori vestræ Stabulensi Ecclesiæ aliquam ve-
stræ consolationis participationem. Cæterum nos
hæc missa facimus; vos vero curate ut in novo
tabernaculo nostro mansionem venientes habeamus.

EPISTOLA LXXXVII.

WIBALDI ABBATIS AD HENRICUM ROMANORUM REGEM.

De causa Everardi et Cuononis.

(Anno 1148.)

Glorioso domino H. inclyto Romanorum regi,

ac victoris CONRADI Romanorum imperatoris augusti filio, W. Dei gratia id quod est in catholica Ecclesia, salutem in eo qui dat salutem regibus.

Ab exitu nostro a synodo Remensi, remorati sumus in Stabulensi monasterio et propter multas et varias dissensiones et pressuras, quæ sunt in terra, ac Domino cooperante nostrosque conatus confirmante, in omnibus fere locis circumjacentibus quantulamcunque pacem composuimus, versus Corbeiam in proximo transire cupientes. Nunc majestatem vestram obnixè rogamus, ut de causa pro qua ad vestram clementiam direximus, nos exaudire dignemini. In beneficiis Stabulensis monasterii hæreditant feminæ, ubi masculi non supersunt. Quidam Widricus noster ministerialis cum haberet unicam filiam, defunctus est, cujus possessiones filius sororis ipsius Cuono occupavit. Postea quidam Everardus filiam præfatam prædicti Widrici duxit uxorem, et secundum morem terræ omne beneficium quod puellæ a patre competebat a nobis accepit. Verum prænominatus Cuono eundem Everardum de possessione expulit: pro quare a nobis legitime vocatus, et super hoc in causam ductus, cum ab eodem E. impeteretur, quod eum beneficio suo per violentiam spoliasset, respondit Cuono prætaxatam villam suum allodium esse, et ad sese jure proprietario pertinere, et quod avunculus suus pater puellæ quæ nupserat, ipsam novam villam non in beneficio sed in proprio allodio tenuerat, sibi que dimidiam partem pro dote matris suæ in hæreditatem dederat. Econtra E. asserebat sæpe dictam Novam villam ab avo uxoris suæ Stabulensi Ecclesiæ, in jus proprietatis pro censu quatuor denariorum fuisse contraditam, et tam ab ipso quam a cæteris successoribus ejus in beneficio de manu abbatis esse susceptam, quod et nos verum fatebamur, et per legalia instrumenta secundum indubitati juris rationem, hoc probare parati eramus. Uterque Cuono videlicet et E. super allegatione proposita idoneam probationem offerebat, et judicialem sententiam super hoc proferri postulabat. Interrogati cum adjuratione debita ministeriales nostri adjudicaverunt E. probationem incumbere, qui titulum legalis beneficii suo litigatori opposuerat, miscentes nimirum æquitatem cum jure, et veritatem cum judicio. Primus in dicenda judicii sententia fuit Franco, lator præsentium, cæteris in idipsum consentientibus. Econtrario respondit C. Franconem fuisse mentitum, et tam ipsum quam alios falsum dixisse judicium. Erant autem numero 21. Super hoc vestræ majestatis præsentiam appellavit. Nos audito Cæsaris nomine et appellantis voce, nullam nobis reputantes factam injuriam procedere in actione cessavimus. Bene de culmine regiæ majestatis confidentes, quod si uterque ad vestram curiam venerit, juxta legalium institutionum normam vel absolutionem vel condemnationem debitam accipiet. Sin autem appellator venire neglexerit, non eum vestra censura impunitum relinquet, nec de

A frustatoria provocatione lucrabitur dilationem pœnæ, ut omnes subditi vestri timeant vos, videntes sapientiam Dei esse in vobis ad faciendum judicium. Quidquid vero super hoc vestra curia judicaverit, nobis et domino II. Leodiensi episcopo, et H. comiti Namurcensi et II. comiti de Rupe advocato Stabulensi per vestras litteras significare dignemini.

EPISTOLA LXXXVIII.

HENRICI REGIS ROMANORUM AD WIBALDUM ABBATEM STABULENSEM.

Confirmat Franconis sententiam in gratiam Everardi prolatum.

(Anno 1148.)

HENRICUS, Dei gratia Romanorum rex, venerabili Corbeiensi et Stabulensi abbati, gratiam suam et omne bonum.

Causam quam ad nos industria tua scriptam transmiserat, diligenter inspeximus et examinavimus, et tam consilio quam judicio curiæ nostræ et præcipue ministerialium nostrorum sententiam judicii, quam Franco protulit ratam esse censuimus, et tam ipsum Franconem, quam eos qui ipsum secuti sunt recte judicasse auctoritate regia confirmavimus. Ea propter condemnamus tibi Cuononem ministerialem tuum in decem libris denariorum probatæ monetæ, et singulis quibuscunque comparibus et coministerialibus suis in tribus libris de banno regio, non solum pro frustatoria appellatione, sed etiam pro petulantiori convicio, quo ipsorum opinionem laceravit. Tu ergo de nostra gratia et protectione confisus dilige justitiam, et judicium a nobis confirmatum effectui mancipare non differas, atque ut Everardus quiete possideat modis omnibus efficere satagas.

EPISTOLA LXXXIX.

HENRICI REGIS ROMANORUM AD WIBALDUM ABBATEM.

Gratias agit Wibaldo propter servitium sibi et patri suo exhibitum, optans illius præsentiam in aliis agendis.

(Anno 1148.)

HENRICUS, Dei gratia Romanorum rex, WIBALDO venerabili Corbeiensi abbati. gratiæ et dilectionis suæ plenitudinem.

D Gratiarum actiones tuæ discretioni referimus, qui fidelitatis et dilectionis constantiam quam domino et Patri nostro deferre consuevisti, post discessum ejus memor qua familiaritate dilectionis ei junctus fueris etiam nobis ad nostri honoris incrementum tum apud regni principes, tum apud dominum papam devotissime exhibuisti, unde nimirum voluntati tuæ obsequi deinceps erimus parati. Verumtamen quia communicato principum consilio, in Nativitate S. Mariæ Frankenevort curiam celebrare statuimus, rogamus dilectionem tuam, ut eidem curiæ interesse non renuas, et ad informandum regni statum, et pacem firmandam consilio et auxilio nobis assistas. Et quoniam omnia negotia nostra tam privata quam publica per te ordinari desideramus, et ut in eadem curia nos et

negotia nostra manuteneas expetimus, Kalendis A Septémbris in Nuremberch nobis occurras, volumus. Cætera nuntius, de statu vero domini et Patris nostri sicut in litteris suis nobis mandavit scribere curamus.

EPISTOLA XC.

CAPITULI LEODIENSIS AD WIBALDUM ABBATEM

In rebus arduis ipsius petit consilium.

(Anno 1148.)

Domno WIBALDO, Dei gratia dilectissimo ac reverendissimo Stabulensi abbati, humilis Sanctæ Mariæ Sanctique Lamberti conventus, salutem et dulcissimæ matris suæ debitam compassionem.

Paucis prudentiæ et discretioni vestræ præsentiscripto loquemur. Paucis quidem vocum quantitate, sed multis et magnis significatione. Novum imo vipereum quiddam diu apud nos ex adipe iniquitatis et radice elationis conceptum, nunc oriri nititur, tempus sibi putans occurrisse opportunum. Opportunum quidem erit, si non sit qui resistat, qui adjuvet, quod absit? Super quo pia et semper in bonum omnibus omnia facta mater Leodiensis Ecclesia speciale consilium vestrum non solum jure communi requirit, sed exigit quodam quasi speciali debito dilectionis fiduciæ et familiaritatis. Unanimiter ergo rogamus vos, quatenus tertia feria proximæ imminentis hebdomadæ Leodio capitulo nostro interesse dignemini. Valete.

EPISTOLA XCI.

WIBALDI ABBATIS AD CAPITULUM LEODIENSE.

Excusat se quod eorum interesse capitulo non possit, scriptoque significat, quæ præsens, si licuisset, consuluisset.

(Anno 1148.)

Reverendissimis in Christo patribus et dominis ac venerabili majoris ecclesiæ præposito, nec non archidiaconis, atque H. decano, et omnibus ecclesiæ S. Mariæ Sanctique Lamberti canonicis, frater Wibaldus Dei gratia Stabulensis Ecclesiæ servus, spiritu consilii et fortitudinis abundare.

Quod juxta vocationem vestram ad collegium vestrum non venimus, gravis nos occupatio detinuit, videlicet propter reformandam pacem inter homines terræ nostræ, quorum discordia multiplicibus et maximis detrimentis nostram Ecclesiam, ut vobis bene notum est, jamdiu conquassavit. Verumtamen etsi corpore absentes, venimus tamen spiritu, venimus mente tanquam devoti et obedientes filii matris nostræ Leodiensis Ecclesiæ, Dei omnipotentiam exorantes ut ipse conterat Satanam sub pedibus vestris, et liberet vos ab importunis et malis hominibus, qui superfluis et vanis novitatibus primatum et gloriam suæ matris scindere et evertere nituntur. Hæc sunt genimina viperarum, quæ matrem extinguunt, dum eas ad vitam producit, quæ reddunt malum pro bono; populus, inquam, qui incrassatus recalcitravit, et per nimiam ingratitude oblitus est benefactoris sui. Siquidem cathedralis ecclesia, in qua vos et priores et canonici estis, cæteras in

urbe præposituras ad suæ dignitatis augmentum, ad suæ magnitudinis ornamentum, tanquam speciosa luminaria extruxit, et amplificavit, ac de propriis bonis episcopi prima fundamenta jecit, ac deinceps provehendo canonica stipendia et cultum ecclesiasticum ordinavit; ut videlicet clerus Deo serviens et merito et numero in suis conventibus augeretur, atque iidem fuere rectores qui conditores usque ad nostra infelicia tempora, in quibus jam venit discessio, ut reveletur ille filius perditionis qui extollitur super omne id quod dicitur Deus, aut quod colitur. Discessit quippe omnis homo ab homine, ita ut vix duo consentiant de omni re, atque adeo Deus Pater non exaudit nos orantes; discessit, inquam, homo ab homine, quoniam discessit a charitate, discessit ab obedientia, discessit a pudore, discessit a reverentia, et sunt homines seipsos amantes, coacervantes magistros prurientes auribus, verumtamen nolite timere pusillus grex, quoniam complacuit Patri vestro dare vobis regnum. Ascendite ex adverso, opponite murum pro domo Israel. Eruditio vestra reducat ad memoriam quanta sit Esau ignominia cauteriatus, pro eo quod primogenita sua vendidit pro ventris ingluvie et lentis edulio. Dominus in propheta dicit: *Ego gloriam meam alteri non dabo.* Si, inquit, sum Dominus, ubi timor meus? Si Pater, ubi honor meus? Si opponitur vobis sanctissimum atque gravissimum nomen electionis, quæ quidem sacrorum canonum auctoritate constituta est ad pacem Ecclesiæ et unitatem continendam; verum de hoc bono principio ex hominum abusione mala multa progressa sunt, ita ut electionis licentia usque ad cellarii et coquinæ claves et villicationes ordinandas extendatur: Pontificis Romani, archiepiscoporum, episcoporum electiones sacra decretorum auctoritas demonstrat. Monachi sanctæ Regulæ Scriptura docentur, qualiter et qualem eligere debeant abbatem, œconomorum et eorum qui nullam in regimine suscipiunt curam animarum electio quo sit authenticæ scripturæ informata iudicio, necdum addicere potuimus. B. Benedictus cum de ordinandis decanis atque præpositis præceptum daret, « ad postremum videat, inquit, abbas in quem securus partiatur onera sua; ei videlicet summam consilii attribuens, cui imminet reddendæ rationis periculum. » Et hæc quidem et alia hujusmodi pro nostro captu atque facultate. Si venerabili vestro conventui adesse licuisset, prolixius atque instantius diceremus, supplicando fratribus nostris; quatenus aperto mentis intuitu, diligenter inspicerent, quod fere non est domus, in qua non sit mortuus, darentque operam plus ad reformationem religionis quam ad suscitandam materiam contentionis, et non transgredientes terminos, quos posuerunt eis patres sui, tales in locum provisionis suæ adoptarent personas, quæ et merito vitæ suæ, et loci sui sublimitate majoribus suffragiis juvarentur, et de cætero Deus pacis et dilectionis sit semper cum omnibus vobis.

EPISTOLA XCII.

WIBALDI ABBATIS AD HENRICUM LEODIENSEM EPISCOPUM.
De vi illata in homines Stabulensis monasterii a Theodorico de Salcevivo.

(Anno 1148.)

Reverendo Patri suo et domino H. venerabili Sanctæ Leodiensis ecclesiæ episcopo, frater WIBALDUS, Dei gratia Stabulensis ecclesiæ servus, exiguas orationes et devotum servitium.

Theodericus de Salcevivo ministerialis vester de Bullione venit in terram Stabulensis Ecclesiæ, ad villam nomine Daverdeus, atque ibi prædatus est non pauca animalia. Orto clamore in terra, secuti sunt homines nostri tam de Wellin quam de aliis locis, ut ea, quæ nobis fuerant ablata reciperent, et longius prædatores persecuti sunt. Illi congregata de castello vestro et de terra majore multitudine invaserant nostros, et captis septem viris, duodecim ex hominibus Ecclesiæ nostræ occiderunt, et multos crudelissime vulnerarunt. Audivimus vero quod Ecclesiam nostram in Wellin velitis interdicare pro eo quod interfecti illi in cœmeterio ejusdem ecclesiæ sepulti sunt, quod nos credere nequaquam potuimus. Novit enim discretio vestra, quod etiam jure gentium licet vi vim repellere, et quod super terram homines sint excommunicandi, dicente Scriptura: *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlo.* Sicut itaque juxta auctoritatem Leonis et Gelasii, quibus vivis non communicavimus, nec mortuis communicare possumus, sic e converso, quos Ecclesia vivos non devitavit, mortuos abjicere non debet. Dignetur itaque vestra prudentia providere, ne ad grave malum atque damnum, quod per injuriam accepimus, aliquod gravamen per inimicorum nostrorum delationem sustineamus. De Theoderico vero de Turri tam frequentem et tam importunam et tam longam querimoniam sine fructu fecimus, etiam Ecclesiam nostram pudet, nos vero lædet.

EPISTOLA XCIII.

HENRICI REGIS ROMANORUM AD WIBALDUM ABBATEM.

Ut sibi Winisberch occurrat.

(Anno 1148.)

HENRICUS, Dei gratia Romanorum rex, WIBALDO abbati Corbeiensi et Stabulensi, intimæ dilectionis suæ plenitudinem.

Discordia, quæ nuper in Suevia suborta est, a proposito nostro in parte nos declinare compellit. Cum enim Nuremberch moram facere proposuerimus, ad componendos tumultus Suevorum divertere compellimur. Unde dilectionem tuam, quam intime rogamus, ut eodem termino quem Nuremberch tibi præfiximus, Winisberch nobis occurrere non graveris. Quod si fieri non potest, omni occasione postposita, curiam Frankenevort indictam nobiscum celebres. Cætera nuntius.

A.

EPISTOLA XCIV.

FULDENSIVM MONACHORUM AD WIBALDUM ABBATEM.

Designato tempore ipsi occurrere promittunt.

(Anno 1148.)

WIBALDO, venerabili Corbeiensis ecclesiæ abbati, congregatio Fuldensis, devotum munus orationis et dilectionis.

Licet mille pressuris et incommodis in articulo hujus temporis simus conquassati, litterarum tamen vestrarum visitatione plurimum sumus consolati, unde ex integro cordis affectu gratias agimus vobis. Tempore enim litteris vestris nobis designato libenti animo vobis occurrere sumus parati, et a Deo vobis tradita prudentia consilium et auxilium quærendo nobis subvenire non dedignemini; nos etenim quæque paterna de sinceritate vestra speramus.

EPISTOLA XCV.

BERNARDI EPISCOPI PATHERBURNENSIS AD WIBALDUM ABBATEM.

Orat ut Corbeium revertendo apud ipsum declinet colloquium secum habiturus.

(Anno 1148.)

Divina providentia Patherburnensium provisor humilis, dilecto in Christo fratri WIBALDO Corbeiensi abbati, orando, serviendo quidquid devotius, quidquid potest fidelius.

Reditum vestrum ad nos gratanti animo suscipimus, quippe cujus absentiam tam diutinam propter plurima nobis negotia communia satis ægre tulimus. Rogamus itaque et iterum rogamus, quatenus nulla interveniente occasione, hospitalitatis causa ad nos declinetis, omnibusque, quæ in domo nostra sunt, non tantum ad necessitatem, verum etiam ad voluntatem tanquam propriis utamini. Habeamus etiam libertatem de singulis colloquendi præsentem, quorum plurima nec meminisse nec loqui possumus absentes. Huic petitioni si contradixeritis, de vestra amicitia nos diffidere cogetis.

EPISTOLA XCVI.

WIBALDI AD GUIDONEM CARDINALEM.

Commendat ei abbatem Brunvillarensis.

(Anno 1148.)

Reverendo Patri et domino GUIDONI sanctæ Romanæ Ecclesiæ venerabili cardinali diacono, apostolicæ sedis cancellario, frater WIBALDUS Dei gratia id quod est in Ecclesia catholica, devotas orationes et seipsum.

Divinæ largitatis similitudinem gerit hoc, quod in nobis vestra exhibere non cessat clementia. Si quidem nullis nostris exstantibus meritis, tanta in nos beneficiorum vestrorum abundat liberalitas, ut non immerito cum admirationis magnitudine protestari cogamur: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Sub tanta itaque indefessæ pietatis vestræ fiducia, nostræ parvitati confidentia crescit, ut etiam pro amicis nostris intercedere præsumamus, eum nobis posset sufficere et arduum reputari, quod vestræ dilectionis dulcedinem aliqua ex parte degustamus. Commendamus igitur vobis

B

C

D

virum venerabilem abbatem (96) Brunvilerensem A qui, sicut certum est, infirmitate corporali detentus ad synodum Remensem venire non potuit, et sicut ab ipso plenius audietis, de hoc, quod sibi ab æmulis impositum est, omnem in modum innocens fuit. Vos igitur pro nostræ petitionis intuitu ipsius et Pater et patronus eritis.

EPISTOLA XCVII.

CAPITULI S. LIBORII AD WIBALDUM ABBATEM.

Conqueruntur de Folquini vexationibus orantque ut episcopum conveniens, hortetur ipsum ut sibi subveniat.

(Anno 1148.)

Domno WIBALDO, omni veneratione dignissimo sanctæ Corbeiensis Ecclesiæ abbati, W. præpositus, A. decanus, reliquosque (97) sancti Libori pusillus grex, orationis et servitutis suæ fidelem exhibitionem.

Quia post dominum nostrum episcopum in episcopatu nostro primum vos divina promovit ordinatio, idcirco in angustiis nostris ad vos confugimus potissimum, sperantes a vestra prudentia nostris malis adhiberi medelam et consilium. Dominus Folquinus gravis hospes pauperibus nostris colonis frequenter incumbens, pecuniamque ab ipsis assidue sed modo insolentius extorquens, tantum eos attenuavit ut non modo debita sua nequeant persolvere, sed et malint ubivis gentium mendicare, quam tantis pressuris deinceps subjacere. Ego quoque W. præpositus, cum sim præter præposituram satis Ecclesiæ auctus beneficiis, de meo annuos præbendæ supplendo defectus plusquam tribus mensibus, adeo rebus sum imminutus, ut nec fratribus a modo servire, nec propriis valeam necessitatibus subvenire. Unde cum primum video faciem domini mei episcopi, tam honore quam nomine præpositi cupio carere et exui. Nam, quantum ego inopiæ pauperum parcendo indulgeo, tantum præfatus dominus Fulcuinus diversis exactionibus instat atterendo. Unanimi igitur affectu pietati vestræ, sancte Pater, valido clamore supplicamus, quatenus dominum nostrum episcopum conveniatis, et sicut scitis et de vobis confidimus, commoneatis, ut Ecclesiæ suæ in extremo laboranti subveniat, ne et nos necessario, sine quo militare nequimus, privemur subsidio, et domus Dei, deficientibus vel dispersis ministris, divino careat servitio. D

EPISTOLA XCVIII.

WIBALDI ABBATIS AD CANONICOS PATHERBURNENSES.

Respondet ad præcedentem.

(Anno 1148.)

Reverendis in Christo Patribus et dominis suis W. venerabili Patherburnensis ecclesiæ majori præposito, et cæteris ejusdem ecclesiæ canonicis,

(96) Brunvillareuse monasterium ordinis S. Benedicti celeberrimum, duabus a Colonia Agrippina dissitum leucis, cujus foundationis confirmationem aliaque acta non spernenda retulimus tom. I.

frater WIBALDUS, Dei gratia id quod est in Ecclesia catholica, magni consilii angelum.

Litteras universitatis vestræ accepimus plenas anxii doloris, plenas sollicitæ mœstitiæ, plenas gravis querelæ, ex eo videlicet, quod, sicut scripsistis, familia Ecclesiæ vestræ indebitis exactionibus fligitur, et tam ad Deum quam ad vos clamare ompellitur, quatenus eis auxiliatorem et protectorem provideatis. Magna utique calamitas, intolerabilis miseria, carere in obsequiis divinis necessario et constituto stipendio, et tacite pati, ut familia Ecclesiæ opprimatur. Sed vestra constantia diligenti consideratione præcavebit, ne in illud propheticæ exprobrationis elogium incidatis, quo dicitur: *Canes muti non valentes latrare. Item: Non ascenditis ex adverso, nec opposuistis murum pro domo Israel, nec stetistis in prælio in die Domini.* Et nos quidem filiali et fraterno affectu vestris angustiis compatientes, omne incommodum vestrum domino et Patri nostro episcopo suggessimus, supplicantes et hortantes eum, ut quoniam divina largitas multa in eo pretiosa munera contulit, quæ ad defensionem et decorem domus Dei possunt proficere, tota animi intentione ad repellendam hanc injuriam et protegendam Ecclesiam suam assurgeret, non defuturo ei nostræ parvitatibus consilio et auxilio. Vobis quoque et toti sanctæ matri nostræ Patherburnensi Ecclesiæ nostram facultatem, quantum lacunque est, ingenii et rerum fideliter et devote offerimus in hac tribulatione et in omni, quæ vexare tentaverit, vobiscum participanda. Cæterum, Pater et dominus noster episcopus ad suggestionem nostram benigne et clementer respondit, et plurimum vestris calamitatibus ex animo condoluit, promittens se totum et suas res pro vestra liberatione et pauperum vestrorum, si opus fuerit, positurum, et ex vestro potissimum consilio rem omnem tractaturum.

EPISTOLA XCIX.

HENRICI ROMANORUM REGIS AD EUGENIUM PAPAM III.

Archiepiscopum Moguntinum excusat, quod concilio Remensi non interfuerit, eumque ad pontificem proficiscentem commendat.

(Anno 1148.)

Dilectissimo in Christo Patri EUGENIO sanctæ Romanæ Ecclesiæ summo pontifici, HENRICUS Dei gratia junior Romanorum rex, filius magni Conradi inclyti triumphatoris Romanorum regis et semper augusti, filialem per omnia dilectionem et debitam in Domino reverentiam.

Charissimus Pater noster catholicæ fidei cultor a nobis et a regno suo discedens, etc. *Vide in Eugenio III papa, ad an. 1153, post ipsius Regesta.*

(97) Id est ecclesiæ cathedralis Patherburnensis, quæ S. Liborium episcopum Cenomanensem agnoscit patronum.

EPISTOLA C.

WIBALDI ABBATIS AD G. AURIFICEM

Ut quæ illi facienda commisit, operibus instanter incumbat.

(Anno 1148.)

Frater WIBALDUS, Dei gratia id quod est in Ecclesia catholica, dilecto filio suo G. aurifici salutem et benedictionem.

Solent homines artis tuæ frequentius non observare promissa, dum plura ad operandum recipiunt, quam perficere possint. Radix malorum omnium cupiditas: Sed tuum nobile ingenium, tuæ alacres et illustres manus omnem falsæ sponsonis notam effugient. Artem tuam fides commendet, opus tuum veritas comitetur, sponsio tua effectum obtineat, promissio tua temporis respondeat. Et hæc de promissi tui obligatione admonenda putavimus, quoniam de dolo et falsitate nulla suspicio est in tam elegantis ingenii domicilio. Quorsum hæc? videlicet ut operibus nostris, quæ tibi facienda injunximus, studiose insistas. nec aliqua interim assumes, quæ perfectionem nostrorum invideant. Scis nos esse currentis et celeris desiderii, et id quod volumus, statim volumus. Seneca de beneficiis: *Bis dat qui cito dat.* Posthac tibi prolixius scribere intendimus de cura et provisione domus tuæ, de regimine et ordinatione familiæ tuæ, de observatione et disciplina uxoris tuæ. Valet.

EPISTOLA CI.

G. AURIFICIS AD WIBALDUM ABBATEM.

Respondet ad præcedentem.

(Anno 1148.)

DOMINO WIBALDO, Dei gratia Stabulensium et Corbeiensium abbati, suus G. salutem et debitum servitium.

Monita tua ex benevolentia et sapientiæ thesauro prolata tum jucunde tum disciplinate suscepti, quæ nimirum acceptabilia tam rerum utilis gravitas quam mittentis fecit auctoritas. Igitur memoriæ mandavi et quasi sub sera reposui artem meam fide commendare, opus meum prosecui veritate, sponsonibus meis effectum adhibere. Atqui non semper est in promittente promissa complere: plerumque enim in causa estis, cui promittitur, cum per eum D evacuatur vel differtur promissio. Igitur, si, ut dicis, currentis es desiderii, et quod vis statim vis, accelera ut ego in opere tuo curram. Nam curro et curram, nisi moram necessitas afferat. Marsupia enim nostra exhausta sunt, nemo eorum, quibus inservivi, intulit quidquam. Is etiam de quo pollicitus es mihi luminaria uxori meæ daturum, pene tenebras ingressit, dum expectatione beneficii beneficium suspendit. Igitur quia humana necessitas post exinanitionem gaudet repletionem, consule necessitati, adhibe remedium, da cito ut bis des, et me fidum, constantem, postremo devotum tuo operi reperies. Valet. Considera tecum quantum temporis sit a capite Maii usque ad festum sanctæ Mar-

PATROL. CLXXXIX.

A garetæ, et eo tunc usque ad festum sancti Lamberti Sipienti sat dictum est.

EPISTOLA CII.

WIBALDI ABBATIS AD FULDENSES MONACHOS.

Excusat se quominus Fuldam proficiscatur, interim salutaria eis dat monita pro futura abbatis electione.

(Anno 1148.)

Frater WIBALDUS, Dei gratia id quod est in Ecclesia catholica, reverendis in Christo patribus et fratribus suis B. venerabili decano, T. præposito, et cæteris Fuldensis Ecclesiæ prioribus ac filiis, magni consilii angelum.

Venit ad nos Corbeiam frater vester Othwinus, nulla nobis perferens communium litterarum indicia, obnixè tamen universitatis vestræ petens alloquio, ut ad XII Kal. Novembris Fuldam ad vos veniremus, interfuturi collegio vestro, ubi de electione futuri abbatis tractare Deo auctore instituitis. Nos itaque, fratres charissimi, licet animo essemus promptissimi ea exsequi, quæ vestris jussionibus et communi utilitati essent accommoda, tamen magnis ac multiplicibus nostri monasterii detenti occupationibus, transire ad vos nequaquam potuimus, sed pro vobis ad divinam clementiam vota fundentes, nostri cœnobii præpositum causa visitationis et consolationis ad vestrum conventum direximus. Quidquid vero nostra parvitas præsentis excellentiæ vestræ in hac causa posset suggerere, brevi sermone absentes explicamus: ut videlicet remotis partium studiis, omnes in concordiam unanimum Spiritu sancto redeatis, omnes in Christo idipsum sapiatis, omnes non necessitate, sed etiam voluntate jussionibus domini papæ cum omni obedientia obtemperetis. Durum est contra stimulum calcitrare, non est qui se abscondat a calore ejus. Summus pontifex est, et præterea vester specialis. Fuldense monasterium beati Petri ac sanctæ matris nostræ Romanæ Ecclesiæ singularis possessio est. Domestica vos exempla sufficienter erudire possunt, quoniam concordia res parvæ crescunt, discordia res magnæ dilabuntur. Dum in monasterio vestro pax et religio vigeret, Deo propitio res humanas moderante, crevit in immensum dignitas vestra et possessio vestra. Quid vero tunc contumeliam et egestatem ac ruinam operetur, ex meliorum collatione veraciter intelligentia vestra poterit colligere. Deponite nunc odia, rejicite contentiones, Deum præ oculis habete. Siquidem maledictus homo, qui confidit in homine et ponit carnem brachium suum. Estote filii pacis et viri consilii, memores verborum sancti Leonis papæ: *Difficile est, inquit, ut bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio.* Valet, et in hac tam difficili causa sancti Spiritus adsit vobis gratia.

EPISTOLA CIII.

STABULENSIVM MONACHORUM AD WIBALDUM ABBATEM.

Consilium petunt super quibusdam negotiis temporalibus.

(Anno 1148.)

Reverendo in Christo Patri et domino WIBALDO,

Stabulensis Ecclesiae venerabili abbati, humilis A
ejusdem Ecclesiae congregatio fidelem dilectionem et
debitam per orantia subjectionem.

Memores, Pater amantissime, pie benignitatis
vestrae, qua assidue jucundamur, et praeculis quo-
tidie habentes paternae sollicitudinis vestrae certos
fructus, et semper valitura monimenta, quod solum
possumus, calicem salutis accipiendo et nomen Do-
mini invocando, pro vestra incolumitate vestrisque
successibus jugiter Dei misericordiam supplices
exoramus. Inde est quod paternitatis vestrae praesentiam
continue desideramus; inde est quod absen-
tem semper diligimus et veneramur, timemus et
amplectimur. Salutantes itaque etiam nunc unani-
miter dulcedinis vestrae ubertatem, ad unicum pro-
tectionis vestrae refugium confugimus, significantes B
vobis quod dilecta nobis conjux quondam Anselmi
Villici in articulo mortis constituta, caeteris rebus
suis ordinatis, Fornagia, quae ex vestro beneficio in
villa nostra Stabulaus tenebat, in manibus Ecclesiae
pro remedio animae suae et salute pie memoriae An-
selmi Villici contulit, ita videlicet ut, si vestris pa-
trocinis fulti donatione sua frui possimus, rata qui-
dem haberetur; sin autem, pro decem libris dena-
riorum in pignore constitutum suum teneremus.
Nos itaque dum adhuc eadem vivit matrona, consi-
lii vestri solitam clementiam super hoc pie invoca-
mus, genibusque vestris humiliter provoluti intime
petimus, ut vestris adiutoriis et defensionibus non
fraudetur Ecclesia a desiderio, quod tanto tempore C
desideraverat. Nam soror ejusdem Odiliae Margarita,
et vir ejus Anselmus atque Villicus Malmundarien-
sis multis minis ad hoc, ut donationem vice vestra
susceptam rejiciamus nos deterrere conantur; modo
filio Walteri de Rulant idem beneficium se duros
promittentes, modo a domino Lamberto Villico ve-
stro de Baldou decem libras denariorum pro ipso
beneficio se accepturos minitantes. Super his itaque
omnibus consilii vestri opportunitatem per digna-
tionis vestrae rescripta imploramus, quibus si frui-
mur, minas occurrentium nobis parvipendimus. Cae-
terum si huc usque in aliquibus defectibus consti-
tuti fuimus, deinceps per Dei misericordiam me-
liora speramus. Paternitatem vestram semper nobis
utilem Deus et incolumem custodiat.

EPISTOLA CIV.

WIBALDI ABBATIS AD SUOS STABULENSES

Respondet ad praecedentem.

(Anno 1148.)

Frater WIBALDUS, Dei gratia id quod est in Ec-
clesia catholica, ROBERTO venerabili decano et caete-
ris in Christo dilectis filiis et fratribus, qui sunt in
congregatione Stabulensi, benedictionem et vitam
usque in saeculum.

Grata nobis valde est et jucunda ea rerum oppor-
tunitas, quae nobis facultatem subministrat, ut ve-
strae universitati scribere imo vero tanquam cum
praesentibus colloqui, et affectum depromere valea-
mus, et ea nobis materia illustrior est et acceptior,

quo detereso animi nostri angore, serenum quiddam
atque tranquillum menti nostrae copiosius infundit,
quod utique uberiore gratia toties sit, quoties sta-
tum vestrum tam in personis quam in rebus absque
ullius jacturae graviore detrimento procedere intel-
ligimus. Consuetam circa nos animorum vestrorum
sinceritatem, et quotidianis incrementis sese trans-
cendentem benevolentiam, in litterarum vestrarum
tenore accepimus, et licet tantis laudum praeconiis
judicemur indigni, et nostra merita circa Ecclesiae
vestrae augmenta et utilitatem nequaquam recogno-
scere praesumamus; tamen divinae gratiae, cui to-
tum quod sumus ascribimus, toto cordis affectu et
vocis ministerio gratias referre non cessamus, quod
mentis vestrae desiderium erga personae nostrae, licet
vilis et exiguae, amorem abundantius accendit, nec
ex diuturnitate fastidium, neque ex assiduitate con-
temptus, neque ex occasione novitas in vestrum
collegium subintravit, sed propensiore charitatis
vinculo et vosmetipsos invicem, et nos omnes et sin-
guli et honorando diligitis, et diligendo honoratis :
in quo sanctissimae unitatis glutino solidius con-
juncti, et adversa mundi hujus, quae vos et vestra
crebris et validissimis ictibus quatunt, fortiter to-
leratis, et incommodis rerum defectibus indesinen-
ter molestati, augere tamen et provehere domus Dei
decorem non cessatis. Quod si inter vos aliquis di-
scordiae naevus appareret, et vos aliqua novitatum
ambitiosa macula sordidaret, non dicimus crescere,
sed ne stare quidem possetis. Caeterum quod de uti-
litate communi nostrum consilium et mandatum ex-
spectatis, non arbitramur factum esse ex diffidentia
impetrandi, sed potius ex alacritate obediendi. Si-
quidem animus noster jam a longo tempore vobis
est notissimus, quod prompta et facili voluntate,
quidquid a laicis extorquere potuimus, vestris et
pauperum usibus, habito praeculis divini respectu
judicii, coaptavimus. Confidentes igitur de protec-
tione divina et de nostrae parvitas subsidio, pos-
sessionem illam de Fornagiis ab illa matrona Odi-
lia sive defuncta, sive adhuc vivente, ad usum mo-
nasterii revocate, et maxime ad sustentationem pau-
perum, in quibus Christus praesentialiter recipitur
et alitur. Etenim tam apud Deum major merces et
D copiosa retributio pro vobis exhibebitur, quam
apud homines facilior excusatio, et suffragium de-
votius, et defensio robustior obtinebitur. Nos quod
vobis cordi est, in tantum valemus, in quantum vos
valere cognoscimus, et esse vobiscum omni tem-
pore, si fieri apte posset desideraremus. Minae homi-
num venti sunt, jure gentium licet vim vi repellere.
In animo vestro et in manibus vestris reposita
est. Misimus vobis in majore scedula quasdam
quaestiones, quae nuper apud nos Corbeiae exortae
fuerunt.

EPISTOLA CV.

WIBALDI ABBATIS AD SUOS STABULENSES.

Enarrat quosdam tumultus, qui in Corbeiensi mona-

sterio contigerant, vetatque ne rebelles apud se recipiant.

(Anno 1148.)

Frater WIPALDUS, Dei gratia id quod est in Ecclesia catholica, ROBERTO venerabili decano et cæteris in Christo dilectis filiis et fratribus Stabulensis cœnobii monachis, benedictionem et vitam usque in sæculum.

Licet modis omnibus justum sit ut pro filiali affectione, qua nostræ parvitati arctiore vinculo copulamini, omnia nostra vestræ conscientiæ debeant esse nuda et aperta, tamen aliquantulum erubescimus, infirmiora Corbeiensis monasterii vobis detegere, nisi quod vestra interest omnium rerum nostrarum notitiam, et nos contra obloquentium detractiones famam nostram tueri et conservare studemus. Etenim juxta S. Augustinum : *Crudelis est qui famam negligit.* Et gentilis ille doctissimus Cicero dicit : *Famam esse non mediocre telum ad res gerendas.* Ob hoc etiam vestræ notitiæ ista non esse subtrahenda sumus arbitrati, quod quidam de fratribus Corbeiensibus exierunt a nobis, sed non erant ex nobis, et propter institutæ fraternitatis formulam inter Stabulenses et Corbeiense monasterium, vel apud vos licitam et tutam mansionem habere, vel per intercessionis vestræ gratiam regressum ad fratres suos, obtinere se posse existimant. Longam itaque actionis seriem compendiosa vobis narratione pandemus. Cum anniversaria dies prædecessoris nostri abbatis Henrici a nobis Corbeie Christiano more celebraretur, tres ex juvenibus fratribus nostris a conventu nostro et exsequiis, quas defuncto abbati impendebamus, sese ex deliberatione et condicto subdixerunt. Interrogati a nobis cur ita fecissent? responderunt se tute non posse orare pro excommunicato, cujus cadaver contra justitiam canonicam esset humatum intra ecclesiam. Quæsimus a reliquis fratribus (omnes enim aderant, senes cum junioribus), an huic sermoni consensum præberent? negatum est ab omnibus tale et tam inauditum verbum ex sua conniventia processisse, præcipue cum idem abbas Henricus, quem nunquam fuisse abbatem tres illi temeraria præsumptione affirmabant, nequaquam, dum adviveret, de crimine aliquo fuisset convictus vel confessus, sed ne pulsatus quidem ordine judiciario. Erant enim perniciosi illi tres in congregatione discordes, elati, et ad omnem ordinis ruinam et claustralem disciplinam destruendam audacter promptissimi, et ex longo tempore jam propter bonum pacis, multorum reclamante consilio, longanimitè a nobis tolerati. Conversi etiam nunc ad patientiam et paternum induentes animum, cœpinus eos manifeste et instanter admonere, ne ambularent in magnis et in mirabilibus super se, deponerent odia veternesa, quæ in æternum trahunt interitum, cessarent persequi cineres mortui hominis, desisterent scandalum facere nobis et fratribus suis. Invenimus, inquam, hic electi et vocati ac venire ex obedientia

A jussi, ecclesiam hanc absque ullius contradictione administrantem, divina celebrantem officia, et jam per biennium, ex quo ille vita decessit, nullas a prælatis nostris accepimus litteras vel mandata, in quibus de excommunicatione personæ illius, vel de ejectione corporis ipsius contineretur. Dominus dicit in Evangelio beato Petro : *Quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cælis; et quod solveris super terram, erit solutum et in cælis.* Super terram, inquit, non sub terra, quoniam viventes, et non mortui debent excommunicari vel absolvi. Et Salomon ait : *Si ceciderit lignum ad austrum aut ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit.* Quod Ezechiel propheta multis verbis ac sententiis explanat, ut in ipsius volumine invenietis, finem vitæ in cunctis asserens potius judicandum, quam vivendi principia. Beati Leonis papæ et B. Gelasii papæ sententia est : *Quibus vivis non communicavimus; nec mortuis communicare possumus* : proinde nostræ parvitati consequens videtur, ut quos vivos a communione Christiana non alienavimus, nec mortuos excommunicemus. Multæ paleæ sunt in area, quibus necdum accessit ventilabrum. Verum in his et hujusmodi exhortationibus, tres illi more aspidis surdæ et obturantis aures suas, non audiebant vocem incantantis, sed orabant enixius, ne ipsis violentiam inferremus; asserentes dominum illum non esse abbatem nominandum, nec in numero abbatum reputandum, pro eo quod dominum suum deposuerit, et in sede sua sederit contra canones. Etenim, charissimi fratres, quod inviti loquimur, apud eosdem fratres, sicut in plerisque claustris, quæ regiæ ditioni et ordinationi subjecta sunt, nullus de regula sermo, nulla de consuetudine Casinensi vel Cluniacensi seu antiquorum monasteriorum mentio, sed canones, decreta, appellationes, concilia, jura, leges, condemnationes, taliones, argumenta, probationes, infamationes assidue loquuntur, quotidie novos abbates, novos priores habere desiderant. Nullus præpositus, nullus cellarius placere potest. Panis, cervisia, pulmentum semper in culpa est; villicationes, beneficia principum et ministerialium ordinant. Hæc prima in capitulo dicendi initia, in his diem consumunt, de moribus, de religione, de patientia et humilitate, de obedientia et charitate nullum unquam verbum, de vestitu moderato, de tonsura et incessu prorsus extincta memoria est. Et cum omnia diè ac nocte pervertant, tanquam censores et homines castigatissimi omnia primi reprehendunt, ne ipsi reprehensibiles reprehendantur. Postquam in admonendo longam frustra operam consumpseramus, tandem ne auctoritas capituli ludibrio haberetur, quia, inquam, medicinam non recipitis, sed potius in amentiam conversi in medium insanitis, jam incumbit vestris cœptis, ut fratres vestros aliena communione pollutos comprobetis. Nos enim innocentes erimus pro eo quod vitium hoc in congregatione nunc primum cognovimus, vos autem non solum inobedi-

tes ac rebelles, quin etiam profani et sacrilegi apparebitis, in eo quod mortuos iniquo odio persequimini, cum Salomon doceat, ne lætandum quidem in morte inimicorum. Quid igitur commisit Henricus ille abbas, aut in quo Christianæ professionis propositum, aut canonicæ institutionis trāmitem excessit, ut excommunicationis laqueum incideret? ad hæc illi testabantur, quod beatæ memoriæ dominus cardinalis Thomas, apostolicæ sedis legatus, instituisset judicare de illo Henrico, qui ab ipso depositus aliquando Corbeiensi præfuit monasterio, cum accusatio esset ordinata, et lis coram ipso contestata, cum ipse iudex præsideret, ad tuendam innocentiam suam sub stola sua coram omnibus excommunicavit, ne quis pro eadem causa pecuniam daret vel acciperet. Cæterum idem Henricus, de quo agitur, postmodum publice confessus est, quod pro eodem negotio sex marcas argenti, prædicto domino cardinali dedisset. Ergo, inquam, blasphemia vestra grandior est et horribiliter, quia lingua vestra non solum transit in terra ad eruedos cineres in pace Ecclesiæ defuncti sacerdotis, sed etiam posuistis in cœlum os vestrum sanctam matrem nostram Romanam Ecclesiam in crimen hæresis trahendo. Sciscitato itaque fratrum nostrorum consilio, jussimus eos in infirmariam secedere, quatenus ex majori mora deliberationis, quid agendum esset, providere possemus. Quod cum facere rennerent, interdiximus fratribus in virtute obedientiæ, ne illis præsentibus divina celebrarent officia; unde compulsi a fratribus mansionem sibi deputatam erecta fronte introierunt. In qua domo cum obedientiam non servarent, sed potius cachinnis et irrisionibus vacarent, et huc illucque vagabundi discursarent, ex sententia priorum, non esse bonum judicavimus sumere panem filiorum et mittere canibus, atque ita impœnitentes imo aperte rebelles de congregatione et claustro non sine dolore et lacrymis emisimus. Cæterum, ut noverit vestra discretio, cujus opinionis, cujusve sanctitatis essent hi graves et severi homines, qui mortuorum meritis inquinari se arbitrabantur, primus eorum nomine Evernandus, a juventute sua discors, et evirati gestus atque incessus, tempore Henrici junioris, qui tunc Corbeense monasterium tenebat, libro uno furtim sublato, sacrilegium perpetravit, pro quo pœnæ addictus, sub manu præfecti nullo pro eo intercedente, sed tamen plerisque propter ordinis infamiam erubescens, fugere permissus est. Quem nos omnem correctionem cum omni instantia promittentem pro suprema misericordia, ne périret, in claustro recepimus. Secundus ex tribus nomine Adelbertus, in altera vice levavit calcaneum suum adversus decreta et opus sacrosanctæ matris nostræ Romanæ Ecclesiæ, adhærendo illi Henrico, quem dominus Thomas cardinalis, apostolicæ sedis tunc legatus, de Simonia convictum et confessum deposuerat, et sententiæ non parentem, quin uno rebellem et rerum ecclesiasticarum pervasorem,

A iudicio sancti Spiritus excommunicaverat. Pro qua re idem Adelbertus postmodum publice pœnitens, et ab excommunicatione, qua maculatus erat, absolutus a prædecessore nostro, quem ipse nunc exsepelire moliebatur, vix post longam humilitatis speciem in communione fratrum et congregatione est receptus. Tertius eorum Godescalcus a suis coætaneis cellarius monasterii contra seniorum consilium, antequam regimen ipsius monasterii suscepimus, satis irrationabiliter institutus, consumpsit substantiam male vivendo, de cujus vita et moribus tacere quam loqui honestius est. Hos tres si ad vos forte venerint, indignos vestra humanitate judicabitis, nec vestræ cum Corbeiensibus sodalitatibus constitutio in tantum extenditur, ut tales fovere, vel nobis ac monasterio quondam suo reconciliare ullo modo consentiatis.

EPISTOLA CVI.

WIBALDI ABBATIS AD H. MONACHUM.

Ejus prædicat virtutes, oratque ut sibi scribat.

(Anno 1148.)

Frater WIBALDUS, Dei gratia id quod est, charissimo in Christo filio suo H. benedictionem

Scribimus tibi in altera vice, et studium tuum excitamus, et responsionem sollicitamus, et vicissitudinem flagitamus. Verum quod nec calami nec atramenti responsione nunc uteris, ratio silentii tui nos edocere æstimatur, quod actu et ipsa re magis loqui nobis contendis, quam articularibus et vocalibus instrumentis, juxta illud Joannis apostoli. *Non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate.* Si quid in domo Domini ad salutem animarum, ad refrigerium et valetudinem corporum, ædificare inchoavimus, tu perficis, imperfecta consummas, neglecta ornas, dissipata resarcis, dispersa congregas, et congregata conservas, benedictus tu, fili mi, a Domino, qui Patrem tuum honoras, qui præceptorem tuum diligis, qui eruditorem tuum foves, nutritorem amplecteris. Legem implesti, monasterium tuum auxisti, Ecclesiam Dei ornasti. Scribe tamen nobis stylo hominis cum calamo operis. Molles auriculas habent domini, divites adulatione capiuntur; sed sicut illa a sanctis tuis moribus exsulat et prorsus extranea est, ita nos non eam amplectimur, sed amicorum nostrorum visitatio et scripturæ dulcis confabulatio pro patria nobis est, consolatio nobis est, munimentum nobis est. Scribe igitur ut præteritæ cessationis veniam capias, ut laus tua nunquam deficiat ob ore nostro, ut respondeamus etsi non discrete, tamen affectuose. Provocet te nostrum exemplum, incitet imitatio, accendat sollicitudo. Tantis et tam amaribus occupationibus distracti animum colligimus, manu propria scribimus, et tu juvenis et expeditus cessas. Sed in opere quod tibi scribendum et etiam dictandum injunximus, volumus te intentam dare operam, ut de ingenio tuo perennem fructum capiamus, sicut in opere manuum non mediocriter gaudemus.

EPISTOLA CVII.

FULDENSIVM MONACHORVM AD WIRALDVM ABBATEM.
Orant ut futuræ Fuldensis abbatis electioni velit interesse.
 (Anno 1148.)

WIBALDO, sanctæ Corbeiensis Ecclesiæ religioso abbati, exigua Fuldensis congregatio, G. advocatus cum omni familia Sancti Bonifacii devotissimæ servitutis et orationis obsequia.

Quoniam in tribulationibus et angustiis, quæ invenerunt nos nimis, his diebus paternum affectum vestrum diversis beneficiis sumus experti, de abundantia vestræ pietatis non possumus esse incerti. Quapropter solita erga nos usus gratia, pii Patris ostendite charitatem, et nobis ex merito iniquitatis nostræ tribulatis, pridie Nonas Novembris ad nos veniendo succurrere non differatis. Sumus enim parati præceptis domini papæ in eligendo abbatem obedire. idcirco vos aliosque religiosos abbates a domino papa ad eandem electionem prædestinatos, litteris nostris vocare ratum duximus. Sed quia post Deum maxime in vobis confidimus, paternitatem vestram iterum atque iterum humiliter imploramus, ut ad supra dictum terminum ad nos venire non pigritemini, et nobis consulendo et auxiliando subvenire non dedignemini.

EPISTOLA CVIII.

FULDENSIVM MONACHORVM AD CORBEIENSES.
Ut Wibaldus abbas electioni Fuldensis abbatis velit interesse.
 (Anno 1148.)

Venerabilibus dominis et confratribus nostris sanctæ Corbeiensis Ecclesiæ, Fuldensis congregatio sinceritatem fraternæ dilectionis in Christo.

Fraternis consolationibus vestris, quæ plene lætificaverunt animas nostras, condignas grates referre nequimus, quia miseria et afflictione inebriati jam experimento didicimus, quod longe est a peccatoribus salus. Attamen si Pater misericordiarum et Deus totius consolationis per divitias gloriæ suæ nos aliquando dignatur consolari, pro nimia in nos fide vestra ac devotione, memoriale vestrum apud nos per amplius et perfectius erit in benedictione. Oramus ergo beatitudinem vestram, ut dominum abbatem tempore sibi a nobis designato ad nos venire absque ulla occasione rogare curetis, quatenus ejus consilio et auxilio cor contritorum vivificetur, et spiritus mœrentium relevetur. Nos enim quæque fraterna et amicabilia de vobis speramus.

EPISTOLA CIX.

STEPHANI MONACHI AD WIBALDVM ABBATEM.
Optat maxime reverti ad Stabulense monasterium, scribitque villicationem Godino imponere nequissime.

(Anno 1148.)

Domino et Patri suo charissimo WIBALDO, vene-

(98) Odo ex monacho Mauriniacensi prope Stampas factus abbas Suessionensis S. Crispini, deinde Remensis S. Remigii, qui monasterii sui expensis

A rabili Stabulensi et Corbeiensi abbati, frater STEPHANUS, Dei et sua misericordia id quod est, subjectionem, dilectionis devotionem, orationum participationem, et, ut breviter dictum sit, seipsum cum suis omnibus.

Litteræ humilitati meæ nuper a vestra magnitudine directæ tantam mihi vim et audaciam contulerunt, ut securius ambulem, noverimque procul dubio ex tunc res mihi prosperius cedere: pro quibus gratias vestræ celsitudini referens, hoc solum Deum omnipotentem supplex deosco, ut talem me facere dignetur, quæ vestro contubernio et tam dulci exhortatione diu perfrui merear. Verum quanto fervore vestram requiram præsentiam, adventum desiderem, non credo vestram ignorare scientiam, quippe cuius et sustentor auxilio et delector consilio. De eo autem quod mihi injunxistis, ut Godinum de Barsiez villicationi in Lemgum imponerem, præceptum quidem vestrum rusticis annuntiavi, sed minime obtinere potui, ut eundem Godinum reciperent usque ad vestræ præsentiae discussionem. Cum vero instarem, ut jussio vestra impleretur, advocatum adierunt, et sic omnia non tamen sine magno rerum nostrarum damno dilata sunt, et contentiose relicta usque ad vestram præsentiam. Quidquid tamen vel scripto vel verbo mihi mandaveritis, ego adimplere pro posse et nosse meo paratus sum. De cætero de pasnagiis pro quibus mihi scripsistis, ut exigerem et comportarem, pauca quidem sunt, sed eadem non solum devote et sollicite exigam, sed etiam fideliter congregabo. Paternitatem vestram nobis et Ecclesiæ nostræ utilem multis annis incolumem Deus conservare dignetur. Amen.

EPISTOLA CX.

O. ABBATIS S. REMIGII AD WIBALDVM ABBATEM.
Significat ei obitum Stephani monachi Stabulensis.
 (Anno 1148.)

Reverendo Patri et amico WIBALDO, Dei gratia sancti Remiaci venerabili abbati, et ejusdem Ecclesiæ priori omniique conventui, frater (98) O. eadem gratia beati Remigii humilis minister, sicut cedrum Libani multiplicari in domo Domini.

Cum nobis sit insolitum maxime fratribus et amicis nostris aliquid sinistram insinuare vel mandare, tamen quoniam terminos Dei nullius est terminare, mandamus fratrem Stephanum nostrum monachum et vestrum hominem exisse, quatenus ei sicut et nos obsequium persolvatis, et domui vestræ, quæ nunc caret provisore, de cætero provideatis. Depositum vero illius, quod ipso dictante supra pectus ejus scriptum est, vestris plicatum litteris vobis transmittimus. Valet.

Carthusiam Montis-Dei erexit, animam suam Deo consignavit anno 1151.

EPISTOLA CXI.

HENRICI MONACHI AD WIBALDUM ABBATEM.

Gratias agit pro benevolentia, spondetque ei de sua semper servitutum, etc.

(Anno 1148.)

Reverendissimo suo et domino WIBALDO, venerabili Stabulensis Ecclesiae abbati, exiguus HENRICUS, quidquid tanto et tam dilecto Patri humilis debet monachus et devotus filius.

Lectis amantissime Pater, sinceritatis vestrae monitis, quibus imperitiam meam instruere, desidiam redarguere, stultitiam reprehendere dignatus estis, multo repletus sum gaudio, quippe qui nihil me esse fateor, nisi quandiu a vestra magnitudine diligi, foveri, sustentari mereor. Quia igitur parvas imo nullas aliquando vestris multis beneficiis re-
compensare potero vices, in hoc saltem meam circa vestram celsitudinem experiemini benevolentiam, quod vobis, quandiu superero, artis meae obsequio, etsi minus celeriter, devote tamen et infatigabiliter serviam. Aliud enim in persona mea nescio, quod vestrae placeat celsitudini. De caetero juxta admonitionis vestrae diligentiam, otii vitium pepuli, fabulis, si quando vacavi, jam non intersum, vagationibus fidem dedi. Et econtrario intendo Scripturae, chorum frequento, scholae petitione fratrum sub magistro meo Henrico deservio, qui nuper aedificia infirmariae mirifice consummavit. Denique hoc solum restat, quod vestra praesentia careo, qua habita, nihil mihi deesse arbitror, et ut ea cito perfruar Dei omnipotentiam exoro. Melotam tum pro vestra
dilectione, tum pro sui utilitate non modicum diligo. Valeat paternitas vestra in Domino.

EPISTOLA CXII.

WIBALDI ABBATIS AD EUGENIUM PAPAM III.

De electione abbatis Fuldensis.

(Anno 1148.)

Reverendissimo Patri suo et domino EUGENIO uni et universali pontifici, frater WIBALDUS Dei gratia et vestra, id quod est in Ecclesia catholica, dilectionem ut Patri, obedientiam et servitium ut Domino.

Non sumus immemores multitudinis misericordiae, quam nostrae parvitati in synodo Remensi exhibere dignatus estis, et praecipue in causa Fuldensium, quam pro maxima humilitate, qua sacrum pectus vestrum, Deo inspirante, praeditum est, consilio nobiscum communicare placuit. Et nos siquidem, sicut cum vestra celsitudine condiximus, solliciti fuimus, ne aliquis propter jussionem vestram motus fieret, usque adeo, ut cum de facienda electione Fuldensi praecipuum vestrum vi Idus Aprilis Remis datum sit, dominus noster junior rex litteras in castro Nuremberch, quod est in Bavaria xvii Kal. Maii acceperit. In quibus quam sollicite quam instanter eum praemunierimus ac praemonuerimus in exemplo litterarum sibi missarum, quod vestrae

A discretioni transcriptum direximus, animadvertere poteritis. Dulcissime Pater, neminem apud vestram censuram accusare volumus, nec vestram mansuetudinem ad iracundiam provocare, sed tam veraciter quam breviter pietati vestrae suggerimus, quod hi, a quibus puer rex regi debuit, huic causae obstiterint, summopere laborantes, ut aliquid in Fuldensi Ecclesia fieret, quod vestram auctoritatem aliquatenus offenderet. Nos autem longe positi eramus, et quandoque praesentes pluribus et majoribus nostris reniti non valebamus. Petitionibus nostris quae subter annexae sunt, aurem vestram clementer accomodate, ut sub umbra alarum vestrarum securius viventes, vestrae magnitudini devotius et uberius servire valeamus. Pro recuperata sanitate vestra, Deo gratias referimus orantes, ut ipse ad regimen Ecclesiae catholicae diu vestram sanctitatem servare incolumem dignetur.

EPISTOLA CXIII.

WIBALDI ABBATIS AD GUIDONEM CARDINALEM.

Commendat ei Bremensem electum, et praepositum Hartvicum.

(Anno 1148.)

Reverendo Patri suo et domino GUIDONI, sanctae Romanae Ecclesiae cardinali diacono apostolicae sedis cancellario, frater WIBALDUS, Dei gratia id quod est in Ecclesia catholica seipsum.

Non abs re hanc possessionem sublimitati vestrae offerimus, quam ita memoriter et affectuose tenetis, ut licet vos orbis terrarum cura sollicitet, et responsa Ecclesiae catholicae detineant, non tamen exiguitatis nostrae sitis immemores quod binae epistolae ad episcopum (99) Anselmum a vobis missae satis patefecerunt, in quibus subscriptam salutationem ad nostram personam pia recordationis affectu subjunxistis. Accepimus litteras vestras, quas nobis per puerum nostrum Ludovicum transmisisistis, plurimum ex eis gavisi, quod dominus papa et vos nobis tanquam fidei servo suo aliquid imponere voluistis, in quo studium, ac devotio nostra circa Romanae Ecclesiae obsequium appareat. Causam Bremensis electi, quem eidem Ecclesiae plurimum posse proficere non diffidimus, vestrae clementiae suppliciter commendamus. Lator praesentium praepositus Hartvicus, vir prudens et litteratus, et in terra sua sublimiter natus, nostrae parvitati a longo tempore notus et dilectus est, quem dignum credimus, ut ei gratiam vestram cum benevolentia exhibeatis, et in suis petitionibus eum misericorditer exaudiatis.

EPISTOLA CXIV.

WIBALDI ABBATIS AD EUGENIUM PAPAM III.

De actis in electione abbatis Fuldensis.

(Anno 1148.)

Reddituri rationem villicationis nostrae, quam vestra celsitudo nostrae parvitati commisit, opus habemus brevitate, ne mentem vestram, quam omni-

(99) Halvelbergensem, uti conjicimus, cujus libros tres dialogorum habes Spicilegii tom. XIII.

nium mundi Ecclesiarum cura sollicitat, prolixa A relatio diutius detineat. Postquam discretio vestra justo Spiritus sancti iudicio Roggerium (100) Fulden-
sis monasterii electum ab ejusdem Ecclesiæ regi-
mine ob canonicam notam removit, fratribus præ-
fati cœnobii per dignationis vestræ apices præci-
piendo mandastis, ne personam de sua congrega-
tione eligerent, sed ad visitandam ecclesiam suam
reverendos fratres Eberacensem, Everbacensem,
Heresfeldensem abbates et nosipsos omnium mini-
mos ad sese convocarent; quorum mediante consi-
lio, talem, Deo auctore, personam de alieno clau-
stro studerent eligere, per quam ruina Fuldensis
monasterii tam in religione quam in possessionibus
posset, Domino adjuvante, fulciri. Misistis etiam
prædictis quatuor personis jussionis vestræ litteras,
quatenus auctoritate vestra ad Fuldense monaste-
rium accederent, et juxta præcepti vestri formam
in electione faciendâ consilium præstarent. Quas
litteras nos tertia die post festum Nativitatis beatæ
Mariæ primo accepimus. Siquidem fratres Fuldenses
pro obtinendo electo suo, quem duobus decretis ca-
nonica ratione subnixis notaveratis, ad vestram cle-
mentiam remiserunt, sed cum Petro petram invene-
runt. Redeuntes igitur legati eorum absque man-
datis et epistolis vestris, nostram parvitatem adie-
runt, rogantes ut electioni eorum, quam XII Kal.
Novembris facere disponebant, interessemus. Nos
vero considerantes immutatum fuisse statum causæ,
et nullum de novo a vestræ sanctitatis celsitudine
nobis manasse imperium, venire quidem dubitavi-
mus, quoniam frequens rumor insonuerat, ventu-
rum fore legatum vestrum, qui Fuldense monaste-
rium per semetipsum ordinaret. Direximus tamen
eis per duos fratres litteras nostras, quarum exem-
plum vestræ censuræ cum præsentibus mittere
curavimus. Verum parvo tempore interjecto ve-
nit ad nos camerarius Fuldensis cum altero quo-
dam fratre, et cum litteris conventus sui tam
ad nos, quam nostrum conventum, quatenus ob
reverentiam nominis vestri, Fuldam absque dila-
tionis impedimento veniremus, futuris ibi tribus
prænominatis abbatibus, et electione ad manda-
tum vestrum celebranda, si per absentiam no-
stram non impediretur. Allegabant præterea defe-
ctum monasterii sui in rebus vitæ necessariis, quo-
niam quidem omnia diripiebant, qui prætergrediun-
tur viam. Diu multumque dubitantes timuimus ne
vel agendo vel cessando vestram paternitatem offen-
deremus. Sed tandem de consilio religiosorum,
quos venturos audieramus, sperantes, Fuldam cum
Heresfeldense abbate 9 Novembris pervenimus. Sed
cum Eberacensis et Everbacensis abbates non ve-

nissent, alter, quia mandatum vestrum super hoc,
ut ipse per nuntium fatebatur, non acceperat;
Eberacensis vero, quia sese apud vestram clemen-
tiam, ut postmodum per epistolam ejus cognovimus,
de non veniendo excusaverat, turbati corde et ino-
pes consilii fuimus, plurimum verentes ne impru-
dentia nostra vestram offensam mereremur. In hac
itaque nostri cum Heresfeldense consilii summa pro-
posita est, firmata fuit, ut quoniam hi duo abe-
rant, qui nobis doctiores et meliores longe exsta-
bant, nullum in electionis actione assensum præ-
beremus, sed suspensis atque incertis omnibus, ve-
stra iterum jussio et legati vestri auctoritas exspe-
ctaretur. Demum vocati a fratribus capitulum ipso-
rum uterque intravimus, jussique verbum exhorta-
tionis ad ipsos facere, prout Spiritus sanctus in ar-
ticulo temporis dedit, de charitate, de obedientia, de
humilitate sermonem habuimus.

Quo terminato, majoris monasterii præpositus
surgens egredi volebat ad Lothewicum comitem
regionarium, et ad alios quosdam laicos, sed re-
tentus est a nobis multum suadentibus et petenti-
bus, ut cum fratribus suis, qui in tempore discor-
diæ de monasterio egressi vel ejecti fuerant, in
concordiam redirent, ut si de electione agendum
esset, is ab omnibus communiter eligeretur, qui
omnibus præesse deberet. Dissimulabamus enim,
quod causam differre vellemus, donec in ipsorum
verbis vel re aliquid aptum et commodum invenire
possemus, quo absque invidia et odio, infecto ne-
gotio, discederemus. Itaque nobis duobus et fratri-
bus, qui nobiscum venerant remotis, prolixa con-
sultatione rem in tempus traxerunt, revocatisque
nobis in armarium (101) librorum, et adhibitis suo-
rum fratrum paucis, responderunt, se cum eisdem
fratribus, pro quibus intercedere volebamus recon-
ciliari non posse, nisi ordinato prius abbate, qui eos
monere et cogere auctoritatis jure posset. Et quid,
inquam, laici vobiscum de instanti negotio contu-
lerunt? nullam, inquiunt, personam obligatam et
in alio monasterio ordinatam ut assumamus, hor-
tantur. Recte, inquam, et canonice, ac de sacræ
Regulæ sententia vos admonent. Cum enim hujus
monasterii possessio pariter et sacra domino no-
stro pontifici Romano pertineat, is vobis eligendus
erit, cui secundum vetustam cœnobii vestri digni-
tatem manum imponere possit. Si enim ordinatum
abbatem eligitis, optandum potius quam impetran-
dum vobis erit, quoniam canonico et directo cle-
ctionis jure cum ipso agere non poteritis, sed mul-
to labore ac precibus insinuandum erit, quæ vos
necessitas a sanctarum tramite regularum deviare
compulerit. Præterea domino papæ, quem jamdiu

quos regularis disciplina ita defecerat, ut abbatem
alieno in claustrum quærere jussi fuerint.

(101) Armarium librorum in omnibus antiquis mo-
nasteriis esse solebat prope capitulum, ut fratres
qui lectioni in claustrum incumbabant, libros in-
promptu haberent.

(100) Hunc Roggerium seu Ruggerum interfuisse
concilio Remensi scribunt Sammartani, ac divinis
rebus vacaturum secessisse in montem Virginis; ve-
rum ex plurimum Wibaldi litterarum contextu con-
stat eum ab Eugenio papa III ob proprios defectus
in ordinem redactum, ipsius rescissa electione, nec
tantum fuisse tunc Fuldensium fervorem, apud

laborare fecistis, de vobis persuasum est a multis, quod postposito Dei timore, omnes quæ vestra sunt, quærat, non quæ Jesu Christi, neque tutum vobis est ut eum de cætero inconsiderate agentes ad iracundiam provocare non timeatis. Hæc verba nostra dominus Heresfeldensis cum maximo favore prosequatur, materna lingua sententiam amplificans et ornans.

Dum hæc aguntur, intromissus est ad nos comes Godefridus et advocatus ejusdem Ecclesiæ, orans tam sua quam laicorum unanimi voce, ne adversus libertatem electionis canonicæ, pro qua parentes ipsorum sanguinem suum multis præliis fudissent, aliquid statuere vellemus; nihil actum esse quod regibus per vim electionis potestas esset adempta, quod Ecclesiis in arcu et gladio laicorum libertas electionis esset asserta; si papa pro suo arbitrato Ecclesias vellet ordinare, et personas in ipsis provehere, satius fuisse regiam vim quam pontificalem sustinere, modis omnibus velle et consulere, ut de ipsa Fuldensi congregatione frater aliquis ad regimen omnium assumeretur, nisi forte quod fieri non posset, nullus in ea dignus ad præsidendum inveniretur. Nos vero cuncta hæc suaviter et blando miligare volentes alloquio, et opportunitatis locum reperire cupientes, quo ab eorum actione sub aliquo rei honestæ titulo possemus discedere, postulavimus ut a nobis tantisper egrederentur, donec collatis omnium sententiis pari atque consono verbo respondere possemus. At illi regressi quidem mox plures numero redierunt, transacto brevissimi temporis spatio, petentes instantius ut eis privilegia Fuldensis Ecclesiæ super electione abbatum panderentur, nefas esse protestantes illa violari; sese pro dignitate monasterii stare usque ad mortem esse paratos: quæ si hoc continerent, ut de monasterio nullus eligeretur, sequendum esse ac tenendum; sin autem contra, ruinam esse et omnium interitum, si ab his aliquatenus recedatur. Hortabamur impense fratres, ne contra mandatum vestrum novum, quod urgente necessitate et poscente utilitate factum fuerat, privilegii alicujus auctoritatem prætenderent, ne inter eos, quorum ea minime interest, dissensionis materiam seminarent, sed juxta præcepti vestri formam ad Ecclesiæ suæ salutarem provisionem sese unanimiter coaptarent, scituri quod si aliter præsumptum foret, quoniam manus Moysi graves sunt.

Præterea jam non cum ratione honestatis amplius dissimulandum esse judicantes respondimus illis assertoribus libertatis, nihil a vestra sublimitate factum esse in hac causa violentum, nihil insolitum, nihil contra justitiam et libertatem universalis Ecclesiæ, nihil contra privilegia et dignitatem Fuldensis monasterii. Quia, inquam, quod a domino papa prohibitum est, ne de Fuldensi congregatione in præsentis articulo ad regimen aliquis assumeretur, de sacro fonte Regulæ sancti Benedicti manavit, quæ præcipit ut, si concursus in malis

A congregatio personam vitii suis consentientem eligere voluerit, episcopus ad cujus dioccesim locus pertinere videtur, non sinat pravorum prævalere consensum. Electio vero vestra, quæ proxime auctoritate apostolica fuit cassata, qualis fuerit, dominum nostrum papam, qui vester specialis dominus est et episcopus, tota regione clamante, et ipso electo annuntiante, non latuit. Ipse vero electus vester qualis foret in longum futurus, in principiis suis, quæ valde nociva fuere, patenter edocuit, qui consilio advocati et laicorum ad dispergendum non ad recolligendum utebatur; et sacri canones loquuntur, quod privilegium meretur amittere, qui privilegii abutitur libertate. Non igitur vestra libertas subversa est, sed correctæ; quia nec esse potest honor legitimus, qui fuerit de prævaricatione collatus. Prohibitio hæc tanquam medicina contra vehementem morbum ad tempus indulta est, non valitura diutius, nisi quandoque necessitas duraverit. Licuit semperque licebit Romano pontifici, pro rerum qualitate et temporum varietate, rigorem canonum intendere vel remittere, et nova remedia novis morbis adhibere. Porro quod ad electionis vestræ sinceritatem procurandam visitatores a sede apostolica transmissi sunt, veneranda sacræ canonum auctoritas canonicum esse plurimis Scripturæ paginis demonstrat; nec abhorrere vel aspernari debuistis duos illos abbates, viros utique religiosos et sapientes, quibus visitandi cura, et præcipua consulendi facultas est attributa, sine quorum præsentia et nutu nos duo nec consilium nec consensum præbere possumus. Quod vero sacrosanctum et dulcem libertatis titulum tanto pondere opponitis, pace omnium dictum sit, velamen potius est malitiæ quam assertio justitiæ; quoniam alius castellum in faucibus monasterii ædificat, alius pensiones, quæ monasterio inferri solent, usurpat, alius incendiis vastat, alius prædis et rapinis infestat. Fratres in claustris inedia, sitim, nuditatem patiuntur, ut ne nobis quidem fratribus suis, domini papæ famulis, officia hospitalitatis et humanitatis possint impendere. Ordinate pacem Ecclesiæ, solvantur fratribus necessaria et debita stipendia, revocentur ad diem aliam non solum Eberacensis et Everbacensis, sed etiam plures alii viri prudentes ac Deum timentes, quorum consilio et opera talis Spiritu sancto præstante eligi possit in abbatem, cujus conversatione et studio tam spiritualia quam temporalia correctionis effectum valeant recipere. Minime indignabantur laici ad verba hæc, veritate seipsam tuente, quæ ipsos recognoscere et fateri cogebat, quod ea, quæ dicta fuerant, virtute rationis non carebant. Cœperunt itaque consultare inter se, atque conferre bini simul vel terni aut quaterni: et cum sermonem nobiscum nemo haberet, diesque jam usque ad octavam horam processisset, egressi inde dormitorium intravimus, atque mox parvulo temporis interveniente spatio revertentes, quosdam priores cum aliquibus fratribus obviam habuimus, qui pedibus

nostris advoluti obnixè et cum lacrymis petebant, A quatenus eis adiutorium in necessitate impendere-
mus, ut dominus Heresfeldensis abbas prælationis
illius sarcinam susciperet, et adjunxit unus ex eis :
« Quoniam, inquit, noster monachus et frater fuit,
antequam in abbatem promoveretur. »

Ad hæc a nobis sic responsum est : « Nos, fratres
charissimi, quod de alicujus abbatis electione domi-
no nostro papæ credidimus beneplacitum, quod
Ecclesiæ vestræ salutare, quod personis vestris tu-
tum, palam ac simpliciter protestati sumus, nec
sententiæ nostræ prævaricatores esse valemus. Præ-
terea non credimus abbatem, qui sit compos discre-
tionis canonicæ, hoc onus regiminis absque domi-
ni papæ jussione recipere, quod longi temporis, et
grandis expensæ, et infiniti laboris, et eventus in-
certi opus est. Si dominus Heresfeldensis de pro-
priis viribus confidit, si de gratia et consensu do-
mini papæ sperat, sua potius deliberatione, quam
nostro consilio nitatur. »

Quibus auditis, fratres rogabant tamen quod ab-
batem, quem cum ipsis paululum reliqueramus, de-
tinentes, a cognitione hujus verbi subduceremus,
donec capitolii ædem communiter ingressi super
persona illius eligenda cunctorum assensum re-
quirerent. Introierunt illi, nos remansimus, et as-
sumpto abbate seorsum, quid fratres Fuldenses
nobiscum egissent ei annuntiavimus. Dubitantem et
querentem super hoc consilium nostrum ad cor-
sum et conscientiam remisimus, et cum se con-
sentire nullatenus assereret, suggestimus ei, ut sic
ut nos, ita et ipse ab eis recederet, ne opus, quod
illi nobis absentibus et dissuadentibus faciebant, ad
nostrum consensum spectare videremur. Ille abiit,
nos in mensa relecturi corpora nostra consedimus.
Post cœnam salutavimus abbatem, salutavimus et
fratres Fuldenses, significantes eis, quod facto
mane vellemus discedere. Precabantur fratres ut
manere vellemus, quandoquidem ipsi abbatem ele-
gissent, sed dilatio a laicis usque in crastinum esset
interposita, ut eorum electioni consentirent. Nos
vero petitioni eorum nequaquam acquiescentes,
summo diluculo recessimus. Hæc sunt, charissime,
Pater, quæ Fuldæ præsentibus cognovimus, quæ
vero post exitum nostrum acta sunt, ex litteris, D
quas quidam frater Fuldensis nobis non in mem-
brana scriptas sed in tabella, transmisit, cognoscere
poteritis, quas ad vestræ sanctitatis pedes, transcri-
ptas direximus. Enim vero apud vos est manna,
apud vos virga, apud vos canonum dispensatio, apud
vos decretorum interpretatio, apud vos Regulæ mo-
deratio, apud vos vinum, apud vos oleum, novit dex-
tera vestra.

Parcere subjectis et debellare superbos.

(VIRG. *Æneid.* VI, 855.)

Cuncta discretioni vestræ per ordinem intimare
studuimus, ut pia et perspicax anima vestra, cui
discretio spirituum a Deo collata est, plura lægendo

intelligat, quam nos videndo et agendo. Siculi ar-
mante pietatis zelo decreta vestra et jussiones in-
sipienter defendimus, et quasi cœlum sustinere
humeris tentavimus, etsi effectus laudem non mere-
tur, devotio tamen veniam a vestra clementia impe-
trabit.

EPISTOLA CXV.

H. MONACHI, UT VIDETUR, FULDENSIS WIBALDO ABBATI.

Scribit ei electum assensum præbuisse electioni suæ.

(Anno 1148.)

Domino suo reverendissimo, H. ille suus seip-
sum.

Quoniam, Pater charissime, vos ut dominum am-
plector et vereor, in omnibus sequi præcepta vestra
non dubito. Notifico igitur sanctitati vestræ quod
post recessum vestrum, fratres nostri cum quibus-
dam laicis in electione convenerunt, multi autem
eorum recessum vestrum audientes, interesse con-
tempserunt. Illi autem qui convenerant, ipsum
electum ut onus regiminis susciperet rogaverunt,
sed ille repugnabat tanquam qui vincere nollet, tan-
dem itaque acquievit. Quidam etiam ex laicis et
monachis hoc vos velle, ut præpositus vester elige-
retur, vobis imposuerunt, et me in hoc assensum
præbere affirmabant. Post recessum tamen electi in
hoc convenimus, ut usque ad festum sancti Nicolai
vos et alios duos abbates vocare debeamus. Legatus
vester apud nos portarium non invenit. Valeat
sanctitas vestra.

EPISTOLA CXVI.

WIBALDI ABBATIS SEU DIPLOMA.

De locatione cujusdam possessionis.

(Anno 1148.)

In nomine domini, WIBALDUS, Dei gratia Corbeien-
sis abbas, notum sit omnibus, quod in possessione
monasterii nostri, quæ est in Meretha, locavimus
Conrado de Orio in pacto pro quatuor marcis probati
argenti, quas per singulos annos in die festo sancti
Jacobi apostoli solvet apud Koiforde in domo, quam
nunc habet mulier quædam nomine Sigardis, came-
rario monasterii vel certo nuntio ipsius. Quod si
solvere neglexerit, possessione et pacto postmodum
carebit. Si filius ejus hæreditare voluerit, in investi-
tura pro recognitione quatuor marcas abbati dabit.
De tota possessione illa nihil a nobis vel a præde-
cessoribus nostris venditione vel commutatione
alienatum est.

Actum est apud Anlon, anno Domini 1148, in
præsentia domini Hariberti Trajectensis episcopi et
multorum aliorum.

EPISTOLA CXVII.

F. ABBATIS SANCTI GODEHARDI AD WIBALDUM ABBATEM.

*Hortatur ut Henrico abbati deposito reconciliari
velit.*

(Anno 1148.)

Domino suo venerabili Corbeiensi abbati WIBALDO

F. (102) beati Godehardi (103) qualiscunque servulus, quod spes non confundens promittit Deum diligentibus.

Ex quo notitiam vestri, brevi licet temporis articulo, nuper accepi, ita vobis cordetenus adhæsi, ut si fieri posset, lateri vestro famulus indivisus adhærere vellem. Sed hoc quod fieri posse non video, litteris et præsentia quoque corporali, cum opportunum fuerit, vos frequentius visitabo. Cæterum de domno Henrico exabbate, quem in conventu vestro causatus estis vobis scandalo esse pro posse suo, noveritis, quod postquam a vobis redii, continuo per præpositum Richenbergensem, circa quem tunc morabatur, pro hac causa cum objurgavi et monui. Ille vero non quidem per omnia se in hac causa insonstem, ut mihi videtur, recolens, hoc solum respondit: Quod si quid, licet minimum, verbis in vos excesserit, dolore depressionis suæ eregit: de cætero gratiæ vestræ ita reconciliari desideret, ut amplius sui culpa nullatenus a vobis elongetur. Pro hac compositione litteris semel et secundo, deinde viva voce frequenter me interpellarunt ipse et præpositus, cum vos regulum novum adissetis, ut me interponerem mediatorem, obtestantes hoc per eum qui vera pax est, Christum, et intuitu præmii, quod in Evangelio beatis pacificis ille promisit. Itaque cum illo et pro illo genibus vestræ paternitatis procumbens, obsecro ut ei reconciliemini, et quod facile vobis est, ei assistatis in causa, quam per bajulum litterarum secretius vobis mandavi. De hoc responsum vestrum exspecto, et litteras, si vobis ita placeat, ad marchionem, quarum rescriptum ego videam. Confido enim vobis in hac parte licere quod vultis. De conventu abbatum quid egerimus, nostis, sed quidam nostrorum abbatem Hinsbergensem exspectandum aiunt, qui cito, ut speramus, a domino papa redibit. Audio, quia Fuldæ fuistis, ubi quid agatur vel agendum sit de abbate loci, si placet, nobis renuntiabitis. Valeat in Domino dilectissima mihi sancta paternitas vestra.

EPISTOLA CXVIII.

WIBALDI ABBATIS AD FREDERICUM F. S. GODEHARDI ABBATEM.

Rejectis oblati sibi laudibus, respondet se Henrico Corbeiensi abbati deposito omnes injurias ex animo remittere, inflictas vero in cum censuras a sede apostolica, solum papam remittere posse.

(Anno 1148.)

Reverendo in Christo Patri F., Ecclesiæ beati Godehardi venerabili abbati, frater WIBALDUS, Dei gratia id quod est in Ecclesia catholica, orationem cum vera dilectione.

Sinceritatis vestræ apices plenos jucundæ consolationis, plenos gratiæ accepimus, in quibus quasi quodam cœlesti munere et divinæ pietatis dono exhilarati fuimus. Nam laudatio vestra plenos nos

(102) Fredericus primus abbas a S. Bernardo institutus. Hunc alii Corbeiensem, alii Fuldensem dicunt, quod certius videtur ex Chronico S. Godh. tom. II, cript. Brunswic, pag. 407.

A bonæ sp̄ei effecit, quoniam charitas Dei, quæ diffusa est in corde vestro per Spiritum sanctum, qui habitat in vobis, falli non potuit usquequaque, quin aut præsentia aut procul dubio futura bona prædicanda in nobis æstimaretis. Sane conscientia nostra graviter nos impugnat et accusat, neque nos non dicam vestra, sed nec cujusquam quidem infimi hominis commendatione se dignam arbitratur. Verumtamen quoniam sic de nostra parvitate sentire visum est, enitemur id esse, quod vos affirmatis; studebimus conformes fieri gratiæ, quam vos prædicatis. Cæterum de domno illo Henrico, qui aliquando præfuit Corbeiensi monasterio, cui nunc nos Deo auctore deservimus, vestræ benignitati respondemus quod, cum in multis accusaretur tam de violenta intrusione sua, quam de aliis quibusdam capitulis, nos non solum absentes, verum etiam omnium istarum rerum ignari, et longe positi in curia domini papæ eramus, et post sex fere mensium spatium sæpe vocati et venire jussi, et ex parte non modica coacti, ad regimen Corbeiensis Ecclesiæ non absque cura et sollicitudine et gravi timore accessimus, cum tamen inter ipsius depositionem et nostram ordinationem medius quidam unanimi et concordî fratrum electione fuerit promotus. Nostram itaque innocentiam, qui ei antea, dum frequenti accusatione passaretur, studiose aslitimus, ipse fatigarit, et incedens Romanæ Ecclesiæ, et ipsius decretis minime obtemperans, ore in cœlum posito, scandala inter fratres nostros seminavit, et quantum in ipso fuit, materiam modis omnibus dedit, quominus regularis disciplina et ordo monasticus debito et canonico tramite in monasterio nostro procederet. Et illis quidem reconciliatus est, qui erant ei, dum præsideret, in præsentia blandi, in absentia mordaces, qui eum cogebant, quasi consilio salutari illa facere, quæ ipsi mox reprehendentes accusabant, et cum essent malorum auctores, eum in jus tanquam nocentem trahebant. Nobis vero infestus est, qui eum nunquam ne verbo quidem scientes ostendimus, et quod si fieri posset, salva religione et honestate nostra, mallems abesse, quam in tempore tantæ perturbationis præesse. Super hoc vero, quod sicut in vestris litteris habetur, nobis reconciliari desiderat, plurima nobis sollicitudo imminet, quis sensus quæve sententia sub verbo reconciliationis contineatur? quoniam testis est nobis conscientia nostra, quod nihil in eum peccavimus; si vero ipse in nos deliquit, totum ei ex corde perfecto ob divini respectum amoris indulgemus, et tam in anima quam in corpore vera ei bona provenire exoptamus, nec invidemus ei, si salva pace nostra et monasterii nostri cautela, fecundior ei quies aliqua concedatur, siquidem et homines sumus, et cum hominibus flagellati, et humani aliquid alienum a nobis non

(103) S. Godehardi insignis abbatia ordinis S. Benedicti in civitate Hildesheimensi a Bernardo episcopo fundata, qui S. Godehardum sanctorum albo inscribi curavit.

sentimus. Sed de litteris marchioni Adelberto super ipsius negotio mittendis, non facilis nobis ad consilium via fuit, pro eo quod idem marchio, vir sane prudens, totius honestatis et disciplinæ speculum, nos nequaquam super eodem verbo consuluit, cum tamen sit nobis intima fide et familiaritate conjunctus. Porro Ecclesia Romana hoc præ cunctis mortalibus privilegium in terris post Deum obtinuit, ut sola cum ipso dicere possit: *Ego occidam et ego vivere faciam, percutiam et ego sanabo*. Quæ igitur est fortitudo nostra aut virtus, ut erigere possimus, quem manus elisit omnipotentissima? Et ipse quidem dominus Henricus, cum fuerit ab apostolicæ sedis legato excommunicatus, et ab omni tam abbatiæ dignitate quam ecclesiastico officio depositus, nullas reconciliationis suæ litteras a Romanæ Ecclesiæ clementia retulit, fortassis quia secundum morem et instituta sedis apostolicæ, jurare tactis sacrosanctis Evangeliiis noluit, quod de cætero Corbeiensem Ecclesiam nec per se, nec per submissam personam vexaret. Tum vero in synodo Remensi, quæ proxime celebrata est, dominus papa tam verbo quam scriptis confirmavit sententiam legati sui magistri Thomæ, quam in prædictum Henricum dictaverat, sed ipse, ut dictum est, et a gradu et ab ordine ecclesiastico eum deposuit, et tanquam inobedientem, imo vero aperte rebellem anathematis sententia percussit. Quantum vero piaculum sit illud recipere quod Romana Ecclesia respuit, sacerorum canonum paginæ vestram eruditionem manifeste docuerunt. His nimirum et aliis rerum difficultatibus perterriti, quid vestræ sapientiæ respondere debeamus, aut in quo Ecclesiæ nobis commissæ ac nostræ quieti consulamus, ex imbecillitate mentis nostræ non facile disquirere potuimus. Sed considerabit et animadvertet et eliget discretio vestra, quid sancta mater nostra Romana Ecclesia in hac causa velit admittere, quid Corbeiensis Ecclesiæ paci conveniat, quid nostræ quieti proficiat, quid tandem ecclesia de Adesleve et amicus noster marchio in hoc negotio tute recipere valeat. Nam verbum de Adesleve, quod nobis per nuntium vestrum non litteris tanquam rem secretam mandastis, jam apud nos vulgatum erat. Siquidem ille idem bonus vir solita levitate non amicis, sed depositoribus suis; non familiaribus, sed post depositionem suam in fama hæc eadem propalaverat, et eosdem, ut ad diem quo nos et ipse conventuri eramus, venirent, rogaverat, cum nos de hac conventionem prorsus ignoraremus, atque imo reconciliationis colloquium prius fuit nobis suspectum quam cognitum.

EPISTOLA CXIX.

R. ABBATIS AD WIBALDUM ABBATEM.

Orat ut Henrici quondam Corbeiensis abbatis miseretur.

(Anno 1148.)

Domino WIBALDO, venerabili Corbeiensi abbati,

(104) Forte Reinardus abbas Rheinhusensis.

(105) Ordinis S. Benedicti, quod monasterium anno 1510 congregationi Bursfeldensi unitum est.

A frater R. (104) in abbatum numero minimus, quid quid devotissimus ac fidelissimus animus.

Dilectionis vestræ præsentiae, virorum charissime, proposueram me corporaliter exhibere, sed ne id fieret, equitare [f. equitaturæ] defectus prohibuit, quem mihi ejusdem vani et perfidi hominis fraus et deceptio fecit. Ideo venio per litteras et spiritum, eo vestram dilectionem salutans affectu, quem vos ex longo probasse non dubito. Causam vero, quæ me hoc tempore præter visitationis vestræ desiderium venire voluerat, probatissimæ discretioni simulque pietati vestræ committo, quatenus apud eam non minus pro ea mea scripta, quam vivæ, voeis verba valeant, et hi qui me huic interesse causæ desideraverant, familiaritatem meam apud vos aliquid posse cognoscant. Est autem domini H. aliquando Corbeiensis abbatis dicti, super quem vos oculos paternæ pietatis ponere decet, ut ipse pietatis effectus eum non frustra aliquid solatii sperasse laudabili veritate comprobet. Utriusque hominis vestri salutem bonus ille Samaritanus, qui vulneratum collegit, providere et custodire dignetur, abbatum charissime.

EPISTOLA CXX.

EUGENII PAPÆ III AD WIBALDUM ABBATEM ET FRATRES CORBEIENSES.

Ut nullum apud eos locum Henricus depositus inveniat.

(Anno 1148.)

C EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei dilecto filio WIBALDO abbati et capitulo Corbeiensi salutem et apostolicam benedictionem.

Quantum sit necessarium religiosorum monachorum quieti prospicere, etc. *Vide in Eugenio III, ad an. 1155.*

EPISTOLA CXXI.

HENRICI ARCHIEPISCOPI MOGUNTINI AD WIBALDUM.

Rationem eorum reddit quæ egerat in concilio Erfordensi.

(Anno 1149.)

H. Dei gratia Moguntinæ sedis humilis minister, WIBALDO speciali amico suo, Corbeiensis Ecclesiæ venerabili abbati, dilectionis et benignitatis ad omnia devotam et promptam exhibitionem!

D Fideli admonitioni et piæ devotioni vestræ, quam in profectione nostra ad dominum papam nobis exhibuistis, non solum gratias referimus, verum etiam suo loco et tempore condigna operis exhibitione respondere parati sumus. Juxta autem petitionem legati vestri actionem quorundam negotiorum, quæ ex præcepto domini papæ presentibus suffraganeis nostris Erfordiæ tractavimus et terminavimus, vobis innoscere curamus. Primum capitulum erat de quodam abbate de (105) Burgilin, qui querimoniam habebat adversus comitem Sizonem, quod quædam bona Ecclesiæ suæ violenter tulisset et pertinaciter teneret, quam a domino papa nobis injunctam con-

silio et auxilio fratrum nostrorum utrinque facta pace et concordia terminavimus. Secundum erat de comite H. qui uxorem suam dimiserat, et aliam superduserat. Hujus negotii talis erat actio. Dominus Hildeneshemensis episcopus asserebat, quod inter ipsum et priorem, quam pro uxore habebat, propter cognationem canonica facta erat separatio, sed quod de incestu, quem cum nepte sua commiserat, poenitentiam suscepisset vel peregisset non affirmabat. Unde fratribus nostris decernentibus, quod ante peractam poenitentiam matrimonium contrahere nec posset nec deberet, Maguntiam ad synodum nostram in feria secunda post Ascensionem Domini ad satisfactionem cum vocavimus. Præterea Hereveldensem abbatem, quia inconsulta Ecclesia nostra et absque verbo nostro Fuldensem suscipiens abbatiam, ab obedientiam nostra se alienavit, fratribus nostris sanctientibus vocavimus. Post hæc multa erant, quæ singula longum esset enumerare, sed hæc vos magis scire conjecimus desiderare.

EPISTOLA CXXII.

WIBALDI ABBATIS AD EUGENIUM PAPAM III.

Scribit in gratiam abbatis S. Medardi adversus Balduinum canonicum Leodiensem.

(Anno 1149.)

Reverendo Patri suo et domino EUGENIO uni et universali pontifici, frater WIBALDUS, Dei gratia id quod est in Ecclesia catholica, dilectionem filii et devotionem servi.

Venerabilis frater noster J. (106) abbas ecclesie Sancti Medardi, quæ vestræ devotioni et defensionis specialiter pertinet, a nostra parvitate expetiit, ut actionem suam quam adversus magistrum Balduinum Ecclesie Leodiensis canonicum nobis presentibus habuit, sublimitati vestræ intimaremus, quæ in quantum recordari possumus, sic se habet. Monasterium Sancti Medardi habet in parochia Leodiensi prædium nomine Hanzines, a quo non longe remotum est aliud prædium nomine Hanzineles, quod canonicis ecclesie Beati Lamberti pertinet, cujus prædii curator et præpositus pro aliis canonicis suis est prædictus magister Balduinus. In Hanzineles est capella, quæ synodali et canonico jure subest matri ecclesie, quæ est in Hanzines, cum tota decimatione quæ a colonis prædicti prædii solvitur. Volebat magister Balduinus ab abbate Sancti Medardi habere calicem argenteum ad prænominatam capellam, et omnia tam altaris quam missæ instrumenta. Super quo verbo cum neque abbatem neque monachos ipsius ordine judiciario interpellasset, totam decimationem de Hanzineles, monachis Sancti Medardi negavit, et ex consensu et jussu canonicorum Leodiensium detinuit. Fratres Sancti Medardi hoc in synodo Leodiensis episcopi sibi factum querebantur, nulla canonica actione,

(106) Ingrannus ex monacho Corbeiensi factus abbas Marchianensis, mortuo vero Galterio Suesionensi abbate S. Medardi anno 1148 successit ex brevi Chronico S. Med. Spicilegii tom. II; cessit

A nulla judiciali sententia præcedente, et petebant ut ablata sibi restituerentur, responsuri postmodum secundum juris rationem. Negabat episcopus, negabat archidiaconus, quod, eis scientibus vel consentientibus, prædicta decimatio a magistro Balduino vel canonicis esset detenta, unde et juxta legum tramitem idem magister Balduinus in integrum restituere cogebatur. Quod quia ignominiosum videbatur cathedrali ecclesie, ut rapinæ palam argueretur, et ecclesia Beati Medardi nostro et multorum studiis pro vestræ dominationis reverentia juvabatur, petiit magister Balduinus ex consensu canonicorum, ut causa differretur usque ad absolutionem conventus, qui tunc frequens convenerat, futurus postea in potestate et consilio Lobiensis (107) abbatis et aliorum virorum religiosorum. Quod et ita simpliciter factum est. Postquam vero clericorum frequentia recessit, dominus abbas Lobiensis, adhibitis secum viris religiosis et prudentibus, dedit magistro Balduino et canonicis consilium, ut ablata restituerent, et ab exactione calicis et aliarum rerum cessarent, quoniam nulla capella hæc a matrice sua jure solet exigere, quia hi qui capellas construxerunt, propter laboris compendium, ne ad matricem ecclesiam longe laborarent, ex suis propriis collatis ad omnem opportunitatem capellæ providere promiserunt. Cui sententiæ cum magister Balduinus non acquiesceret, et monachi Sancti Medardi videntes se dilatione esse frustratos, et neque per jus aut concordiam sua posse recipere, vestræ celsitudinis præsentiam appellaverunt, et magistrum Balduinum vestris adesse tribunalibus in octava Sancti Martini nobis et multis audientibus indixerunt.

EPISTOLA CXXXIII.

WIBALDI ABBATIS AD OMNES FIDELES PAROCHIE LIENWART.

De negligentia quatuor-presbyterorum.

(Anno 1149.)

WIBALDUS Dei gratia Corbeiensis abbas omnibus fidelibus Christianis, qui sunt in parochia Lienward, salutem et benedictionem.

Notum facimus vobis quod nullus illorum quatuor, qui in Ecclesia vestra præbendas habent, ad nos adhuc venit, nec possessionem Ecclesie nostræ a nobis accepit, cum nos jam duobus annis abbatiam Corbeiensem tenerimus. Insuper ex ipsorum negligentia nobis labor et detrimentum accidit, pro eo quod donum altaris non acceperunt, pro qua re tota Ecclesia nostra in jus et potestatem episcopi adjudicata fuit. Sed per Dei misericordiam et ipsius episcopi gratiam cum integritate Ecclesiam, sicut prius habueramus, nunc recepimus. Et illis quatuor qui Ecclesiam tenent, diem ponimus, ut in proximo festo Purificationis sanctæ Mariæ,

autem anno 1177 successorem sortitus Gaufridum.

(107) Lamberti qui obiit anno 1149 ex Chronico brevi tom. III. Anecd.

præsentiam suam nobis Corbeie exhibeant, ostensuri nobis quam justitiam in nostra possessione habeant. Quod si tunc non venerint, sciant pro certo quod nos justitiam nostram usque ad extremum prosequemur, nec eis quidquam de jure nostro remittimus.

EPISTOLA CXXIV.

THIEBOLDI AD WIBALDUM ABBATEM.

De abbatisa Gesekeensi.

(Anno 1149.)

Venerabili fratri et amico WIBALDO, Corbeiensi abbati, THIEBOLDUS, Dei gratia, si quid est, cum servitio intimam dilectionem.

Exhibitæ dilectionis vestræ memoriam non amisimus, et quamvis gratias, sicut decuit, minime egerimus; tamen ingrati non fuimus, nec unquam erimus. Novit, domine mi, dilectio vestra valde indecens nobis fore, quod cum abbatisa de (108) Geseke negotium suum in nostrum consilium posuit, per nos et causam et compositionem perdat. Quam obrem vestram dilectionem diligenter commonemus, quatenus verbum vestrum, quod super hac re mecum habuistis, vestrum faciat, et dictam compositionem provenire sinatis atque hujus rei qualitatem in brevi nobis rescribatur.

EPISTOLA CXXV.

WIBALDIS ABBATIS AD THIEBOLDUM PRÆPOSITUM.

De abbatisa Gesekeensi.

(Anno 1149.)

Frater WIBALDUS, Dei misericordia id quod est in Ecclesia catholica, dilecto fratri et amico suo THIEBOLDO, venerabili præposito, dilectionem et benedictionem.

Gratum nobis valde est, quod memoria vestra firmiter tenet, quam sincero affectu vos a longis retro temporibus dileximus, quanto fidei studio ad vestri honoris incrementum gavisi fuerimus, et quod de his certa promissione vestra dignam remunerationem exspectamus. Recordari autem debet vestra prudentia, quod anno præterito, cum dominus papa Trevirim esset venturus, et fama referente didicissemus, quia intendebatis abbatisam de Geseke ad præsentiam domini papæ perducere, et causam ipsius adversum nos agere, monuimus vos tanquam virum discretum et intime familiarem, ne adversus innocentem et amicam studium vestrum in negotio parum honesto et debili procederet. Siquidem abbatisa eadem novem fere mensibus antequam ad regimen Corbeiensis Ecclesiæ accederemus, deposita fuit, et remota a Kaminatensi abbatisa per dominum Thomam cardinalem presbyterum, atque cum per vim contra canones obtinere conaretur, ab advocato ejusdem Ecclesiæ non sine contumelia fuit expulsa. Ea remota, electæ sunt per contentionem duæ et de tertia disputatum est. Cum omnia tam in spiritualibus quam in temporalibus in deterius ruerent, dominus noster rex ad cujus

(108) Gesekeense virginum monasterium anno 946 fundatum est in Westphalia ab Aheldo comite Anhol-

A ordinationem locus pertinebat, ex consilio et admonitione domini papæ delegavit Corbeiensi Ecclesiæ et nobis præfatæ abbatisæ ordinationem. His ita se habentibus, dignum duximus, ut prædictum est, vestræ discretionis suggerere, ne adversus decreta Romani pontificis, et contra præcepta domini regis in defensionem personæ illius stare videremini. Rescripsistis nobis, si bene recolimus, quod membro Coloniensis Ecclesiæ deesse non possetis. Venit tamen illa Trevirim ad præsentiam domini papæ sine vobis, et quantum potuit in nos egit, veritatem tacens et mendacium loquens. Sed dominus papa per litteras nostras veritate comperta, præfixit nobis et ipsi diem audientiae in concilio Remensi. Nos venimus, illa non venit. Laqueus contritus, et nos liberati sumus. Dominus papa depositionem suam decreto confirmavit, et possessiones, quas illa alienaverat, monasterio sub anathematis interminatione restituit. Nos, charissime frater, memores non sumus, quid vobiscum pro ea postquam a Treviri recessit, sive per verbum sive per litteras sponderimus, cum nostra promissa memoriter observare valeamus.

EPISTOLA CXXVI.

WIBALDI ABBATIS AD ARNOLDUM COLONIENSEM ARCHIEPISCOPUM.

De quibusdam ministerialibus qui conspiraverant in eum.

(Anno 1149.)

Reverendo Patri suo et domino ARNOLDO, sanctæ Coloniensis Ecclesiæ venerabili archiepiscopo frater WIBALDUS, id quod est in Ecclesia catholica, exiguas orationes et devotum obsequium.

Quia post Deum et dominum regem caput omnium principum in hac terra estis, et ad vos potissimum respicit status pacis terræ, vobis conquerimur tanquam Patri et Domino, quod quidam ministeriales Corbeiensis monasterii, qui erant in convictu nostro assidue, quadam nocte cum cœnarem, a mensa nostra egredientes, equos nostros effracto stabulo furati sunt, et quosdam, quos abducere non potuerunt, gladiis interfecerunt. Facto clamore ad arma, ut mos terræ est, convenerunt alii ministeriales Ecclesiæ plures numero, et pro sua fide conservanda, et pro honore omnium suorum parium vocaverunt quosdam ad duellum, quorum consilio tantum facinus fuit perpetratum, cum eis pugnaturi in octava Epiphaniæ. Siquidem consilium eorum et machinatio fuit, ut nos illi ipsi latrones interficerent, vel membris truncarent, ut postmodum veraciter didicimus, quod cum ad effectum ducere non potuissent, nocturno furto equos nostros invaserunt. Proinde advoluti animo ad pedes celsitudinis vestræ, et omnium principum sive nobilium, et cæterorum qui in curia vestra sunt, humiliter auxilium vestrum imploramus, quatenus respectu divinæ pietatis et pro reverentia domini

tensi, sub invocatione B. Mariæ et S. Kyriaci, cujus foundationem anno 952 confirmavit Otto imperator.

regis et omnium principum, et pro statu tam divini quam humani juris, scutum vestræ protectionis tantæ audaciæ opponatis, et ne malefactores illi in terra vestra refugium habeant, sicut magnitudinem vestram decet, provideatis, et ad præfatum diei tempus nobis in adjutorium aliquos de vestris transmittatis. Valet.

EPISTOLA CXXVII.

CONRADI IMPERATORIS AD WIBALDUM ABBATEM.

Quæ ipsi Damascum obsidenti contigerint.

(Anno 1149.)

CONRADUS, Dei gratia Romanorum rex augustus venerabili WIBALDO Corbeiensi abbati gratiam suam et omne bonum.

Quod maxime de nobis te desiderare cognovimus, de prosperitate videlicet status nostri, hoc primitus significare opportunum duximus. Sani siquidem Dei misericordia sumus, naves redituri in festo beatæ Mariæ in Septembre, intravimus, peractis omnibus quæ in partibus illis vel Deus voluit vel populi terræ permiserunt. De hominibus enim dicimus, cum Damascum communi consilio venissemus, et castra ante portam civitatis cum magno nostrorum discrimine locassemus, etiam prope esset, ut sine ambiguitate civitas caperetur, traditio, a quibus minime cavimus, in hunc modum facta est, quod ipsi eo in loco civitatem inexpugnabilem esse asserebant, et ex industria in aliam partem, ubi nec aqua exercitui suppetebat, nec accessus alicui patebat, nos ducebant; et ira omnes in indignationem pariter et in dolorem conversi infecto negotio redierunt. Expeditionem tamen ibidem versus Ascaloniam unanimiter se moturos sponderunt, locum et diem præfixerunt: illic ex condito venientes neminem fere invenimus; ibi universitatem octo frustra diebus præstolati, secundo ab eis delusi, ad propria tendimus. In brevi igitur, Deo annuente, ad te venturi, grates tibi debitas referimus, quod filium nostrum manutenuisti, et fidelitatem omnem nobis exhibuisti, et ut de cætero id facere te non pigeat, rogamus, omnem tuam benevolentiam digne remuneraturi.

EPISTOLA CXXVIII.

HENRICI EPISCOPI MINDENSIS AD WIBALDUM ABBATEM.

Optat uti consilio Paterbornensis et Monasteriensis episcoporum super lite quæ eos inter versabatur.

(Anno 1149.)

Venerabili domino sanctæ Corbeiensis Ecclesiæ abbati WIBALDO HENRICUS (109), per misericordiam Dei id quod est in Ecclesia Mindensi, orationum et fidelis obsequii, quantum permittit, devotam exhibitionem.

Legatos et litteras vestras sæpius audivimus, offerentes nobis fraternam satisfactionem super omni injuria et molestia qua ex parte vestra læsi tenemur. Quod vero usque modo vobis respondere di-

stulimus, non fuit ex contemptu vestræ personæ vel ex aliqua animi nostri elatione, sed propter hoc, quod desiderando exspectavimus, ut venerabiles domini, Patherburnensis videlicet episcopus et Monasteriensis, negotio per suam præsentiam adjutores assisterent, et ex eorundem prudentia et consilio ea, quæ inter nos aguntur, fraterne componerent. Sed licet præfati domini nostri et amici contra suum promissum, sicut Remis audieratis, moras faciant, et propriis impedimentis occupati huic nostræ causæ non subveniant; nos tamen in Deo curam nostram jactantes, adhuc eorum consolationem et consilium attendere disposuimus, quorum mecum conscientie determinabitur iudicio, quod de vobis querimoniam non habuerim immerito.

EPISTOLA CXXIX.

BERNARDI EPISCOPI HILDENESHEIMENSIS AD WIBALDUM ABBATEM.

Intercedit pro Henrico quondam Corbeiensi abbate, ut in professionis suæ claustrum recipiatur.

(Anno 1149.)

BERNARDUS, Dei gratia Hildenesheimensis Ecclesiæ minister humilis, venerabili fratri WIBALDO Corbeiensi abbati, sinceræ in domino fraternitatis ac dilectionis affectum.

Luctuosus ac varius humanarum calamitatum eventus nos admonet afflictis compati, et in aliorum pressura dolorem nostrum vel laborem considerantes, contritos corde pro posse nostro consilio atque auxilio sublevare. Frater itaque Henricus quondam abbas Corbeix, nunc autem manu Domini humiliatus, ad nos confugiens, obsecrat, ut nostro interventu misericordiam apud vos inveniat, videlicet ut in claustrum professionis suæ benigne illum recipiatis, et paterna consolatione contritionem ejus sublevando foveatis. Et quia forte suspitioni vobis est, ne controversiam pietati vestræ apud aliquos vestratum interiores vel exteriores generet, quamecunque dignam iudicaveritis de hac causa certitudinem, et perseverantem obedientiæ subjectionem ab eo recipietis. Peto igitur, ut quod per nos obtinere se posse confidit, dilectionis vestræ benevolentia consequatur. Valet.

EPISTOLA CXXX.

BERNARDI EPISCOPI HILDESHEIMENSIS AD CORBEIENSES.

Ejusdem argumenti.

(Anno 1149.)

BERNARDUS, Dei gratia Hildenesheimensis dispensator humilis, dilectis fratribus Corbeiensibus, ire de virtute in virtutem, donec videant Deum deorum in Sion.

Sicut in detrimento gregis sancti religiosorum mentibus gravis oritur mœstitudo, sic in recollectione dispersorum lætitia generatur et gratiarum actio. Frater igitur Henricus quondam loci hujus abbas, modo vero iudicio domini depressus, ad vos

(109) Ex monacho Bursfeldensi et abbate S. Mauritii factus episcopus Mindensis.

redire desiderans, nostra intercessione apud vos commendari flagitat, ut ei ipsi fraterna compassione nostræ dilectionis respectu eum recipiatis, et domini abbatis affectum pietatis mediatores illi concilietis. Si quem vero vestrum fortasse sua culpa in aliquo contristaverit, et ipse pro posse satisfaciet, et vestra charitas ejus, quam passus est, calamitati compatiens pie remittet. Valeant itaque apud fraternitatis vestræ dilectionem pietatis et justitiæ preces, ut quod per nos obtinere nititur, effectu desiderato consequatur. Deus pacis sanctificet vos per omnia.

EPISTOLA CXXXI.

WIBALDI AD BERNARDUM HILDENESHEIMENSEM EPISCOPUM.

Fuse enarrat totam seriem suæ in abbatem Corbeiensem electionis, et quæ eam secuta sunt.

(Anno 1149.)

Reverendo Patri suo et domino BERNARDO, sanctæ Hildenesheimensis Ecclesiæ, venerabili episcopo, frater WIBALDUS, Dei gratia id quod est in Ecclesia catholica, exiguas orationes et fidele servitium.

Litteris prudentiæ vestræ, quas nobis dignatio vestra per venerabilem confratrem nostrum abbatem ecclesiæ Sancti Godehardi transmisit, respondere distulimus, non ex oblivione vel ex negligentia, sed tantis postea curis et laboribus agendo et itinerando fuimus occupati, ut rescribendi opportunitas nulla nobis posset accedere. Reddentes itaque nunc vestræ sublimitati devotum salutationis obsequium, breviter si fieri posset, ad vestram petitionem, quæ apud nos jussionis pondus obtinet, respondere vellemus, nisi quod tanta est rerum series, ut per brevitatem narrationis cognitio veritatis excludatur. Ac primo discretionem vestram scire volumus, quod in causa fratris illius Henrici, quem reconciliare Corbeïensi Ecclesiæ vestra celsitudo conatur, nos depositoribus ipsius neque consilium neque auxilium impendimus, quin potius in curia, quæ Corbeïæ anno 1144 in festo sancti Bartholomæi apostoli a domino rege Conrado celebrata est, pro prædicto fratre regimen tunc ejusdem monasterii tenente stetimus non solum constanter, sed etiam efficaciter; quoniam a clementia domini regis multa precum instantia obtinuimus, ne adversus eum lite contestata accusatorum actio et ordo iudicii procederet. Quando vero in præsentia et jurisdictione felicis memoriæ domini Thomæ, cardinalis presbyteri apostolicæ sedis legati, de Simonia in venditione ecclesiæ de Linwert perpetrata convictus Corbeïæ in capitulo et confessus fuit; nos earum rerum prorsus ignari eramus in Stabulensi monasterio, quod a Corbeïensi distat itinere sex dierum. Quando etiam duodecimo Kalendas Aprilis a prænominato iudice suo apud civitatem Pather-

(110) Hassungense splendidum ordinis S. Benedicti monasterium ab Aribone Moguntino archiepiscopo in honorem SS. apostolorum Petri et Pauli atque

burnam, ubi venire se absentaverat, in solenni religiosorum conventu depositus fuit: nos eramus Stabulaus præparati et succincti causa regiæ legationis Romam proficisci, quod et fecimus, mox inde moventes Nono Kal. Aprilis. Depositus itaque ibidem tam ab officio sacerdotali, quam a dignitate abbatia, atque insuper excommunicatus, si personas vel res monasterii ullo modo vexaret vel disturbaret, non recognovit manum Domini super se, nec acquievit sententiæ judicantis, sed in rebellionem et in apertam violentiam conversus, res abbatia ubique locorum potuit, nimis immoderate diripuit, et in proximo Pascha in monasterio Hasunge (110) infulis abbatia ornatus incessit, et publice divinum officium celebravit. Quasdam integras curtes abbatia infeodavit, et multos mansos tam impignorando quam præstando alienavit, quibus peractis, regiæ præsentia in curia, quæ apud Kuina xviii Kal. Maii habita est, sese obtulit, opinatus regiam æquitatem posse inflecti, ut per violentiam obtineret abbatiam, quam ordine judiciario perdidit. Sed quia honor regis iudicium diligit, non potuit etiam oblata pecunia distortere virgam directionis inclyti regnatoris, quin a Cæsare firmaretur, quod a Petro processerat.

Interea dum sic minis, muneribus, pollicitatione monasterium vexat et invadit, reverendus Pater noster Bernardus Patherburnensis episcopus ad Ecclesiam Corbeïensem vocatus, eundem Henricum in pulpito sub generali conventu pronuntiavit auctoritate apostolica excommunicatum, et omnes fautores atque adutores illius: unde etiam plurima hominum pars metu divino territa ab ejus factione dilapsa est. Urgebat interim multis decretis jussio apostolica Corbeïensem Ecclesiam, quatenus mediante Spiritu sancto talem personam in abbatem eligerent, quæ ruinas Corbeïensis Ecclesiæ tam in spiritualibus quam in temporalibus resarcire idonea esset, sed partibus in sua studia nimium adhuc ferventibus, canonica et concors electio fieri non potuit, usque ad Nonas Maii, quo die nos eramus apud Sutrium civitatem Tusciæ in curia domini papæ Eugenii III. Tum denique vix tandem unum sapientes elegerunt virum integræ famæ et laudatæ conversationis, Henricum præpositum ejusdem monasterii, qui a domino rege institutus est vi Non. Augusti. Quo tempore eramus in Stabulensi monasterio, vix recepta non ad plenum valetudine, quoniam febre Romana quinque hebdomadibus apud Viterbium decubueramus, et vi non naturalis caloriscute et omnibus pilis amissis, fauces mortis vix evaseramus. Sedit itaque ordinatus prædecessor noster usque viii Idus Octobris et viam universæ carnis ingressus est. Orbata ergo iterum Corbeïensis Ecclesia suo pastore nos absentes et procul positos unanimi prorsus conniventia in Patrem et pastorem

S. Heimeradi confessoris inceptum, atque a Sigefrido itidem archiepiscopo perfectum est.

animarum suarum voluntarie adoptavit et elegit, A in capitulo Corbeicæ xi Kal. Novembris. Stabulaus pervenerunt nostram imbecillitatem ad regimen tantæ rei tam per litteras suas quam etiam per epistolam domini regis ac domini Patherburnensis episcopi et aliorum quorundam principum, nec non præsentis nuntiorum alloquio officiose et suppliciter invitaverunt. Nos, tunc eramus in synodo Leodiensis Ecclesiæ, quam venerabilis Pater noster Henricus hujus nominis secundus Leodiensis episcopus ex more celebrabat. Unde cum revertemur, ad monasterium Malmundariense festum Omnium Sanctorum celebraturi diverteramus, atque cum ad vespertinam synaxim jam ingredi essemus parati, venit Stabulensis nuntius significans nobis quod legati regis curiæ nostrum apud Stabulaus B præstolarentur adventum; nullo modo inde recessuri, vel alias suæ legationis verba exposituri, nisi in ecclesia Stabulensi coram positis ejusdem monasterii fratribus. Nos vero pro reverentia domini nostri regis, continuo ascensis equis, ad Stabulense monasterium transire festinavimus. Ubi jam sero facto, mandata domini nostri regis et principum, nec non Ecclesiæ Corbeiensis petitionem tum per scripta, tum per missorum verba suscepimus.

Inspectis omnibus et auditis, rem omnem usque in crastinum ad responsa præmeditanda distulimus. Jam, venerande Pater, ad eum locum narrando pervenimus, ubi nec tacere audeamus, propter sanandas ac muniendas conscientias fratrum nostrorum Christi sanguine redemptorum, nec loqui tute valeamus propter irrisiones eorum, qui superbia inflantur, et ambitione flammantur, et propter secreti nostri bonum, quod evacuari formidamus. Sed accipiant homines, ut volunt, et judicent, nos quoniam in innocentia ingressi sumus, verum, teste Deo, referemus. Cum ad matutinam synaxim sono canonica excitati fuimus, talis cogitatio nobis suborta est, ut peracto matutinali officio fideles nostros, tam de fratribus quam etiam de laicis, convocare deberemus, ut de verbo quod acceperamus morosa et diligenti deliberatione tractantes, ex consilio respondere possemus. Quod autem in alterutram partem dubitavimus, nec oblatum nobis honoris locum debita humilitatis fortitudine [f. formidine] respuimus, C quædam præteritarum rerum recordatio suadebat. Siquidem et ante ea nonnullæ Ecclesiæ nos ad locum regiminis vocaverant, quodam popularis iudicii deceptæ præconio; sed nos propriæ fragilitatis et ignorantie conscii, plena et veraci libertate, illud eis propheticum respondebamus: Non sum medicus, non est in domo mea vestimentum, nolite me constituere principem populi. Atque ita formatis absque avaritia moribus, contentique præsentibus, ei monasterio cui ascripti eramus, etsi non bene videndi exemplo vel fideliter administrandi studio deserviebamus.

Orta est interim, instigante omnium bonorum æmulo, inter nos et quosdam villicos Stabulensis

monasterii, viros utique genere, clientela, et opibus potentes, gravis et in longum agitata dissensio, pro eo quod ipsi villici volebant hæreditarie possidere sanctuarium Dei, et ipsa villicationis officia ex successione paterna et avita capientes, dominabantur in rebus, nostraque et præpositorum nostrorum statuta contumaciter rescindentes, et colonos indebitis et assiduis exactionibus opprimebant, et justas pensiones monasterio nequaquam inferebant. Ita miserabili et importuno clamore populi, cujus terra jam fere vastata et desolata erat, nec non inedia monachorum ac ruina ordinis propter alimentorum defectum sæpe et nimis exarcebati, cœpimus iniquo tempore tyrannis resistere, certi quantum de futuris fieri poterat, quod aut circa salutem nostram periclitaremur, vel ad salutarem effectum causam tam necessariam perducere non possemus. Etenim, quod cum dolore et gemitu dicimus, jura omnia interierunt, leges occubuerunt, morum disciplina extincta est, consuetudo vetustatis abolita est, regis et principum virtus et potestas obsolevit, licet unicuique quod libet, et quod statuit vim legis obtinet. Cum igitur in ea perturbatione labores infinitos et expensas toleraremus, cum apud Romanam Ecclesiam in urbe, cujus elementia et defensione plurimum præmuniti fuimus, tum in curia serenissimi et inclityi triumphatoris domini nostri regis Romanorum Conradi II cujus potissimum favore et munificentia illas mirabiles elationes maris per mirabilem in altis dominum mirabiliter enavigavimus; inter peregrinationis et quasi cujusdam exsilii molestias, inter itinerandi et agendi fatigationes, inter periculorum aculeos, quædam infirmitatis nostræ cogitationes adversus nos murmurabant, et vellicabant amarius aurem cordis nostri dicentes: Merito hæc pateris, quoniam Deus tuus, refugium et virtus et adjutor in tribulationibus quæ invenerunt te nimis, in semetipso et per semetipsum jam aliquoties tibi refugium obtulit, qui has miseras vel prorsus evitare vel securius tolerare potuisses. Et licet, venerande Pater, jam de præfatis tempestatibus in aliquem quietis portum introissemus, tamen de futuris incerti, et similia vel acerbiora metuentes, in ambiguo, ut dictum est, fuimus, utrum oblatam gratiam recipere vel recusare deberemus, cum antea in animum induissemus, nec duabus abbatibus simul præesse, nec ad aliam sive majorem sive ditorem ullo modo transferri sustinere.

In hac itaque ancipiti meditatione, in qua jam exarserat ignis desiderii volentis quæ potiora sunt, eligere, processimus ad ecclesiam, aliquid psalmodum lingua proferentes, cum tamen animus ab eorum intellectu salutari longius esset evagatus. Venientes ante altare illud, ubi benedictionem episcopalem in nomen et officium abbatis suscepimus, commovit nos repente quidam familiaris et intimus amor, quem ad patronum ejusdem loci, sanctissimum videlicet confessorem atque pontificem Christi Remacum, ejusdem cœnobii fundatorem habe-

mus, et concussit animæ nostræ interiora quodam affectuoso timore, ex eo videlicet quod in mente nostraolvebamur, utrum ipsius monasterium sic relinquere pergeremus. Clamavit itaque anima nostra ad Deum, et ad ipsum clamore vehementi in verbo interiori, in verbo non diffidentis spei absque sono oris corporei: fiat, Domine, voluntas tua, jam de cætero neque deliberationem nostram, neque amicorum nostrorum sequi consilium statuimus, sed tuam voluntatem et te, qui es via, veritas et vita, in hoc præsentī negotio sectari desideramus. Sed qualiter tuam voluntatem cognoscemus, qui præsens es majestate, sed nos in regione longinqua dissimilitudinis porcos pascentes a te recessimus? Temerarium est, ut certam voluntatem tuam super hoc verbo, quam nobis indicare digneris sive per angelum, sive per aliquam subjectam tibi creaturam tuam, sive per visionem, sive per oraculum expetere præsumamus. Per eos itaque in quibus habitas scrutari tuæ voluntatis arcanum, impium et præsumptuosum non est; atque ideo fratrum et filiorum nostrorum sententiam sequendam voto tali tibi obligati arbitramur, ut quidquid ipsi dixerint, tenendum sit, quorum animas nobis servandas tradidisti, cum simus ipsi animæ nostræ mali custodes. Sic omni dubietate remota, ac ratiocinandi et judicandi cura deposita, mente placida, sedatisque ac compositis cogitationibus, matutinas laudes cum fratribus peregrimus. Hora regulari quando fratres capitulum ingressi sunt, nos pariter introivimus, atque post exhortationis verbum, post disciplinam claustralem, jussimus afferri litteras cum sigillis domini regis et principum atque Corbeiensis Ecclesiæ.

Quibus perlectis, fratres attoniti rerum novitate, nostræ voluntatis et responsionis modum intenti præstolabantur. Ad hæc, inquam, fratres mei, ex quo divinæ Providentiæ, quæ disponit omnia suaviter, placuit nos omnium vitæ merito et sapientiæ doctrina extremos, per unanimis consensus vestri ministerium ad hujus Ecclesiæ regimen provehere, mei et animi et corporis potestas mea desiit esse, et totum quod nobis a Deo in utriusque hominis substantia collatum est vestræ ditioni ac potestati quasi quodam jure proprietario cessit et vindicatum est. Nos vestri sumus, nec vos aut monasterium vestrum deserere volumus, unde et vestrum consilium tanquam divinum responsum interrogantes expectamus. Nulla vero vos formido, nulla vos suspicio terreat, quin, inspirante Deo, quod opportunum videbitur loquamini, quoniam cum Deo nostro tale voti et sponsionis fœdus inivimus, ut a vestri consilii verbo recedere nequaquam valeamus. Neque enim si grata nobis esset hujus dignitatis oblatio, si Corbeiensi Ecclesiæ præesse juxta suam electionem appetere, hoc sub incerto multitudinis consensu tractare, sequentes videlicet nostri desiderii propositum. Nunc vero, Deo adjutore, nostri cordis intentionem ita firmavimus, ut ea nobis consilii portio pergrata sit, quæ, donante Spiritu

A sancto, nobis a vestra fraternitate intimata fuerit. Hoc tantum vestram prudentiam admonere nequaquam dubitamus, ut quantum per Dei providentiam corda hominum moventis, et in eorum cordibus operantis, ad inclinandas eorum voluntates quocumque voluerit, vestræ discretioni licitum est, hoc provideatis, hoc consulatis, hoc suadeatis, quod animabus et corporibus nostris atque monasterio vestro utile et tutum maxime judicabitis. Tanto pondere sibi imposita fratres primum exterriti fuerunt, sedulo petentes, ut fratrum suorum, qui aberant, et ministerialium Ecclesiæ præsentiam expectare valerent cum quibus communicato consilio, quid optimum factu videretur, pariter ordinarent. Nos econtra instantiam legatorum jam regredi desiderantium opponere, et præcipue voti nostri ac sponsionis vinculum, quod sic obligati eramus, ut sub eadem hora ab his qui præsentibus erant selvi in alterutram partem oporteret. Itaque emissis nobis a capitolio, fratres plurimum anxii ac mœrentes causæ hujus utrumque latus sollicitè pertractantes, diuque ac multum inter utrumque cunctati, legatos tandem admiserunt, totius rei gestæ ordinem plenius addiscere cupientes. Bruno præpositus novæ Ecclesiæ, qui inter missos erat honoratior, loquebatur quædam grandia, videlicet Corbeiensem Ecclesiam jus liberum electionis habere, quo nunc esset usa et concorditer et absque ulla vel minimi verbi dissensione, futurum ut prius tria millia marcarum argenti expenderet quam ab obtinendo electo suo desisteret. Corbeix maximas et pacatas divitias esse, fratres religionem tenere, et ut augeatur desiderare ac petere; ministeriales valde locupletes esse, nullum inter eos verbum seu litigium de villicationibus jure obtinendis exstitisse. Omne feodum vel beneficium liberum vel absolutum fore, ubi mares non succederent patribus; servitium regis tam in expeditione quam in curia adeunda et in hospitiiis procurandis exuberare, fratrem illum Henricum, de quo nunc agitur, judicium Dei et suæ depositionis sententiam patienter sustinere, ipsum quoque desideranter electi adventum expectare, gaudentem, quod nullus eorum, qui ei adversati fuerant, succederet, Stabulensis monasterii defectum de plenitudine Corbeiensis posse submoveri. Locus quidem invidiæ videbatur, Patrem ac provisorem tantis et tam insperatis bonis velle fraudari, cum in facultate Stabulensis Ecclesiæ nihil aliud nisi labor et dolor haberetur. Incredibilia tamen hæc videbantur, atque ideo nobis ad suum colloquium revocatis, consilium subeundi sarcinam prælationis sub tali moderatione dederunt, si videlicet, quemadmodum acceperant, rerum status apud Corbeios inveniretur.

Multum itaque renitentibus legatis, unum de Stabulensibus monachis, fratrem scilicet Henricum, virum utique excellentis ingenii et prudentiæ, ac singulari constantia præditum, cum litterarum nostrarum attestazione Corbeiam direximus,

qui subtili inquisitione diligenter investigaret de A toto electionis ordine, et universa rerum Corbeien-
sis cœnobii qualitate. Veniens igitur Corbeiam, sus-
ceptus est ab omnibus officiose, et cum gaudio, ex
cœo tamen dolentibus, quod adventus noster aliquo
modo tardabatur: atque cum in communi fratrum
cœtu admissus esset, nullam invenit in tota ele-
ctionis actione dissonantiam, sed excluso præcipitis
ac temerarii verbi vel actionis vitio, omnium pariter
vota concordabant. Observatum est summa cautela,
ne intelligeret illum dominum Henricum jam fuisse
Romam profectum, ad reparandam causam suam,
et ad repetendam abbatiam, quia jam ex legatis pro
certo compererant, quod ad res etiam tutas non li-
benti animo migraremus, nec certamen pro aliqua
prælatione obtinenda subire vellemus. Remissus B
est ad nos frater noster prædictus cum litteris Ec-
clesiæ, quæ de omnium desiderio et conniventia
circa nostram personam plenius continebant, quæ
nos ad regimen ipsorum favorabili affectu invita-
bant. At vero dominus noster rex frequenti jussione
nos ad curiam suam vocabat, graviter succensens,
quod Ecclesia Corbeiensis, non modicum videlicet
regni sui membrum, nostra vel negligentia vel tar-
ditatè collaberetur. Venimus itaque ad oppidum
Frankenevort, v Idus Decembris, credentes dominum
regem ibidem esse, sicut ipse nobis per nuntios et
litteras significaverat, et invenimus ibi Corbeiensis
monachos, clericos et laicos non paucos, qui pro
sua electione obtinenda omnium reliquorum man-
dato et testimonio advenerant. Didicimus tunc quod-
dam casu, cum hoc nollent Corbeiensis, domnum C
illum Henricum adisse domini papæ pro sua resti-
tutione præsentiam. Quanto metu ac dolore affecti
fuerimus, nequaquam explicare verbis possumus.
Tenebamur obligatione divini præcepti, quod per
os fratrum Stabulensium acceperamus, quatenus
ad vocationem Corbeiensium cœpto itinere proce-
deremus, resistebat nobis ratio nostra, et deterre-
bat nos non improbabili conjectura, quod impin-
gere possemus in Romanam Ecclesiam, et graviter
sub potenti manu collidi, si causam Corbeiensium
retractare dominus papa insisteret. Doluimus et fle-
vimus, et male nobis erat.

Ad primum igitur pullorum cantum, cum dormi D
rent Corbeiensis, non clam recessimus, sperantes
quod in monasterio Laurisamensi (411) dominum
nostrum regem, sicut ab ipso per nuntium accepe-
ramus, invenire possemus, et aliquo modo apud
ipsum satagere, si forte voluntas Dei esset, ut Cor-
beiam non perveniremus. Sequebantur nos Cor-
beiensis mane facto indignati ac, disponente Deo,
dominum regem antequam ad nos perveniret, in via
obvium habuerunt, et totis ingenii viribus apud
ipsius mansuetudinem egerunt, ne ipsos spe sua et

(411) Laureshamense ordinis S. Benedicti insigne
cœnobium in insula diœcesis Moguntini Alden-
munster postmodum appellata, circa annum 764
fundatum est a Cancore illustri Rhenensis pagi co-

electione vacuos et sub ancipiti periculo constitu-
tos in se confidentes dimitteret. Consolatus est
eos benigne, et plenos bonæ promissionis fecit ho-
spitari secum in villa Winheim nominata. Die in-
secuta nos non solum vocati, sed etiam per fidem
et sacramentum adjurati venimus, plus cogente Dei
ordinationis articulo, quæ in ore servorum suorum
sonuerat, quam impellente regiæ majestatis et of-
fensæ formidine. Consumpta est dies illa in utrius-
que partis allegationibus, et quærebat in domo
regia intercessores, qui antea pro multis etiam
damnatis sæpe interveneramus, et sollicitabamus
amicos nostros, quasi de eorum fide dubitantes.
Anselmum videlicet Havelbergensem venerabilem
episcopum et Arnoldum majoris ecclesiæ in Colo-
nia præpositum, regiæ curiæ cancellarium, quos a
juventute nostra summa dilectione sumus amplexi,
et diligenti studio cum quotidiano charitatis incre-
mento venerati, atque ut nobis assisterent, et ani-
mum principis ab hac intentione revocarent, magna
precum instantia rogabamus. Siquidem disputandi
et refragandi ausum ultra voti nostri et responsi
accepti stabilitatem nobis illud exhibebat, quod
fratres nostri sub quodam interpositæ conditionis
pendulo consilium dederant, ut tunc sequeremur
rationem, si nullum vitium sive dolus in actione
vel narratione subesset. Quid multis moramur?
cum universa, quæ dicta sunt nec temporis, nec
epistolæ brevitatis possit comprehendere. Turbati
ergo et inopes facti totius consilii, cum maxima la-
crymarum et singultuum interruptione defensio-
nem causæ nostræ reliquimus, domini regis arbi-
trio rei summam et terminum committentes, ea ta-
men prudentiæ ratione considerata, ut tunc regia
mansuetudo cogeretur a proposito declinare, cum
nos et honorem nostrum ac famam suæ fidei tradi-
dissemus. Verum ipse in sui promissi stabilitate
perseverans, et tanquam de suæ voluntatis processu
adepto triumphans, vocatis Corbeiensibus, nobis-
que tacentibus, nos more solenni publice de ab-
batia Corbeiensis investivit. Induimus ibidem quam-
dam animi firmioris constantiam, personam prius
et rem omnem jacturæ subicere statuentes, quam
Corbeiensem Ecclesiam nostro consilio et auxilio
contra prædicti Henrici impetus nudare. Dimissi
ergo a regia curia pervenimus Corbeiam xv Kal.
Januarii, ubi mirabili omnium favore suscepti fui-
mus.

Nuntiatum est nobis Goslariæ, Nonas Januarii,
quod idem Henricus ab urbe esset reversus, con-
fecto negotio. Nos tamen, Spiritu sancto roborante,
processimus ad res Ecclesiæ obtinendas, et contra
spem humani iudicii tam personas, quæ illi fidelius
adhæserant, quam possessiones, quas ipse aliena-
verat, absque majoris difficultatis obstaculo recep-

nite et religiosa ejus matre Williswinda, sub pa-
trocinio SS. Petri et Pauli, quibus S. Nazarius non
multo post additus est patronus, ob translatas eo
ejusdem sancti reliquias.

mus. Hæ vero sunt possessiones, quas liberali manu post depositionem suam donaverat. In Cro-
penstedem viginti mansus, in Nortlandia curtem in-
tegram Loningen, curtem integram Buochoru. In
curte Visbich duos mansus. In curte Loten unum
mansum, in curte Werletem unum mansum, in
curte Mettesdorp unum mansum et alia quædam,
quæ universa Deo propitio recuperavimus. Sed ru-
mor, quem acceperamus de illius restitutione, va-
nus fuit, quoniam usque adeo nihil egit, ut a sede
apostolica absque formata epistola redierit, nec lit-
teras commendatitias, nec recepti sacerdotalis offi-
cii et absolutionis suæ ab excommunicationis vin-
culo testimonium referret. Quid vero de epistolis a
domino papa accipiendis, præcipue ab his, qui ad
ipsum venientes negotium habent, sacra canonum
auctoritas decernat, vestra melius eruditio novit.
Cunctis itaque dissensionibus Corbeiensis Ecclesiæ
tam intus quam foris per Dei misericordiam sopitis,
omnibusque difficultatibus complanatis, missi fui-
mus a domino rege cum Wormatiensi et Havel-
bergensi episcopis obviam domino papæ Eugenio
ingredienti Galliam Comatam, cui occurrimus in
oppido Divionis tertio Kal. Aprilis anno Domini
1147, cui cum suggestum esset quod nos Ecclesia
Corbeiensis in abbatem elegisset, discretione apo-
stolica et providentiæ singularis causa edoctus,
nullas Corbeiensi Ecclesiæ sive in privilegiis sive in
epistolis sub nomine nostro litteras dirigere voluit,
nisi prius de tota electionis serie et sinceritate ple-
nius cognovisset; arbitratus etiam personarum
translationem de ecclesia ad ecclesiam, vel quod
una persona in altera Ecclesia pastoris, in altera
visitoris officium obtineat ad suæ moderationis
gubernacula pertinere. Fuimus tamen ab ipso libe-
raliter et honorifice habiti, non solum pro reveren-
tia regiæ majestatis, cujus legationeungebamur,
sed etiam pro privatæ dilectionis gratia, qua nos
jampridem cognitos pie amplexari dignatus fuerat.
Tunc etiam injunxit nobis in virtute obedientiæ, et
in remissionem peccatorum nostrorum, ut ad de-
bellandos Christiani nominis hostes, ac Dei Ecclesiæ
vastatores trans Albim super paganos militaremus,
cum tamen sciret hoc nequaquam a nobis posse
fieri, nisi ex Corbeiensis Ecclesiæ expensa et mili-
tia. Misit ergo Corbeiensis Ecclesia communi con-
silio et nostro assensu duos ex fratribus suis, Wal-
terum scilicet monasterii priorem et Reinherum
præpositum de Cresburch viros sane probati testi-
monii et honestæ conversationis, sed neque pro-
fundi sermonis neque discretionis, armatos quidem
non arte, sed veritate; non facundia, sed innocen-
tia. Hi nunquam curiam Romanam prius intrave-
rant, et pervenerunt ad dominum papam apud
Sanctum Dionysium in territorio Parisiensi. Decima
postmodum die absoluti sunt in civitate Meldis,
confirmata prius in celebri conventu nostra in

A Corbeiensi Ecclesia electione et ordinatione sub
die x Kal. Julii. Siquidem reverendus ac pius Pa-
ter nostram parvitatem publica laudatione prosecui
dignatus est, nosque amplissimis verbis apud igno-
tos commendavit, mandans legatis, et per ipsos
omnibus, ut nos tanquam Patrem et dominum di-
ligerent atque honorarent, atque cum ipsis tanto
studio et labore expetiti tantopere placuissemus, ne
tunc displicere inciperemus, cum de religione re-
formanda et possessionibus recolligendis agere
tentaremus, sed tam ad ordinis reparationem,
quam ad fundorum restaurationem communi con-
silio et auxilio fulciremur

B Intellexerat namque vir subtilis ingenii, nos ne-
que in obtinenda neque in conservanda hujus præ-
lationis dignitate cum aliquo ambitionis nævo la-
borare, sed stetisse pro innocentia et fama nostra,
et pro quibusdam rebus nostris, quod ad incremen-
tum cœnobii Corbeiensis non modico sumptu in-
choaveramus. Nondum reversis legatis, intravera-
mus cum armata militia et exercitu Christianorum
principum terram Leutitorum, transmisso Albi
flumine, et eramus in obsidione castri Dunin [l.
Dinin] sub vexillo Crucifixi, cum ecce jam sæpe
dictus Henricus parvo quidem armatorum numero,
sed multum armato animo Corbeiam accessit, mis-
sisque legatis suis, Ecclesiam de fide et juramento
suo admonuit, et ut ipsum tanquam proprium do-
minum reciperent, postulavit. Verum illi veræ fidei
et jurisjurandi non immemores, monasterium ar-
C mnis et propugnaculis, quæ usque hodie exstant,
muniunt, et vim vi repellere jure gentium moliantur.
Fecerat et antea simile quid in monasterio de
Aldesleve, ubi ab Hillino ejusdem monasterii ab-
bate, qui de Corbeiensi congregatione illic assum-
ptus fuerat, quia multis vir discretus et litteratus
putabatur, hospitio post reditum ab urbe receptus,
ipso annuente, in stationibus festis cum virga
pastorali insignitus processit. Cujus prævari-
cationis præsumptori consiliario trans-
gressor ipse reddidit, in eo videlicet quod, eo-
dem abbate absente, sedem suam et abbatiam in
capitulo invasit, sed a Frithero ejusdem loci
advocato paulo post circumseptus, fuga et pedibus
D pœnam evasit. Prædictus abbas contemptor sane
canonum et apostolicæ sedis, relicta monasterii
et fratrum suorum cura, Jerosolymam profectus est
armatam militiam sequens, ubi et in mari submer-
sus est, cujus obitu nuntiato, præfatus Henricus ab-
batiam sine canonica electione obtinere voluit, at-
que ut per nos a marchione Adelberto induceretur,
efficere laboravit. Exstat epistola (112), in qua persua-
sioni ejus et quorundam virorum non obscuri no-
minis respondimus. Reversi ab expeditione Sclavi-
ca in Nativitate beatæ Mariæ, quam etsi peccatis
exigentibus non efficaciter, sed tamen obedienter
complevimus, ad quam nos traxerat et Christianæ

salutis intuitus et specialis monasterii nostri causa, pro recipienda videlicet regione quadam, quæ a Teutonicis Ruriana, a Sclavis autem Rana dicitur, quæ Corbeiensi monasterio imperiali dono collata est a Lothario Cæsare, invenimus Ecclesiam assultu prædicti hominis turbatam, plus dolentes ac metuentes de fraude ac pertinacia eorum, qui consilium et adiutorium illi impenderant, quam de ipsius temeritate. Anno præterito fuimus Treviri in curia domini papæ, unde cum gratia et apostolicæ benedictionis roboratione revertentes, accepimus litteras ad Corbeiensem Ecclesiam plenas favoris et bonæ spei, in quibus continetur, ut Corbeienses nos tanquam boni et humiles filii diligerent et honorarent, atque ut pastori suo condignam nobis reverentiam, ei obedientiam impendentes, ad recuperandas et retinendas possessiones et bona Corbeiensis Ecclesiæ viriliter assisterent. Non profuit tam frequens sua depositio, tam crebra nostra confirmatio, tam perseverans apostolicæ auctoritatis jussio, seminatur terra mendaciis, seminatur scandalis, et, ut mos est gentis, prius hominem falsa delatione suffocant, quam ipse sese appeli intelligat. Venimus ad synodum Remensem, quæ celebrata est mediante Quadragesima, ubi dominus papa paci et tranquillitati Corbeiensis Ecclesiæ providere volens, sententiam, quam venerabilis Pater noster bonæ memoriæ Thomas, presbyter cardinalis et apostolicæ sedis legatus, in Henricum, quondam monasterii ejusdem abbatem, verbo dederat, verbo et scripto confirmavit. Sententia vero prædicti cardinalis et legati, quam apud nos scriptam et imagine ipsius obsignatam habemus, hæc fuit :

« Nos, inquit, communicato consilio episcopi Patherburnensis et aliorum, qui præsentés aderant, pro inutilitate personæ et confessione Simonæ, et inobedientia, et cæteris, eum de abbacia et sacerdotio deposuimus, monachos ab obedientia, et omnes, qui juraverant sibi fidelitatem, a debito juramenti absolventes. Quod si visis aut auditis his litteris in abbacia consistere pertinaciter voluerit, et Ecclesiam in personis vel bonis suis per se, vel per aliquam submissam personam, lædere molitus fuerit, a proxima Dominica palmarum eum excommunicamus. » Viderit de absolutione sua, viderit de restitutione sacerdotalis officii. Hæc in eum prolata in judicio et scripta sub sigillo fuerunt. Sed videte qualiter toties tam acerbe admonitus resipuerit. Venit in mense Junio Giseke in domum sororis suæ abbatissæ, quæ nec sacrum virginis velamen per consecrationem episcopi suscepit, nec benedictionem ad abbatiæ regimen a pontifice accepit, cum tamen jam antea duas abbacias, videlicet Eskenewege et Kaminata per violentiam occupaverit, præter illam, quam modo tenet, et habuit consilium cum ministerialibus nostris numero quatuor, qui soli de omnibus laicis ad depositionem ipsius maxime sunt

adnisi. Reconciliatus est eis in osculo pacis, utinam propter eum, qui est charitas. Sed inventus est dolus in ore ipsorum, quoniam eorum quidam spe cujusdam temporalis commercii et ipsum vocavit, et ipse illuc venit, cujus rei relatione nec aures vestras sanctissimas decet gravari, nec nostram professionem, nec stylum contaminari. Radicem conveniendi et arborem consilii nos de fructibus plane cognovimus. Recedentes enim ab eodem colloquio, cœperunt paulatim et occulte per extremæ conditionis et fortunæ personas in vulgus spargere, quod nequaquam essemus ultra redituri, dominum illum, cui reconciliati fuerant, abbatiæ sive jure sive injuria recepturum, atque interim maledicta et incredibilia probra de persona et conversatione nostra in populum spargebant. Procedebat eorum audacia, et incipiebant grassari in suos compares, ac projecta nominis nostri ac potestatis reverentia, prædis eos et rapinis incessebant. Induxerunt præterea intra muros atrii monasterii nostri genus hominum desperatorum, prædones videlicet et latrones, et quosdam proscriptos, de quibus publica querimonia clamabat, quod vias et itinera obsiderent, et latrociniis omnia permiscerent. Commovebant clandestinis consiliis corda quorundam fratrum in ordine suo dissolutorum, quod malum usque adeo invaluit ut, post reditum nostrum, quem hac necessitate ante præfinitum et opportunum tempus acceleravimus, tres de junioribus fratribus in anniversario die obitus prædecessoris nostri abbatis Henrici pro eo nobiscum orare multoties admoniti detrectarent, eo quod dominum suum deposuisset et in sede ejus sedisset contra canones. Pro qua rebellionem et contemptu tanquam inobedientes et temerarii de monasterio communi omnium judicio sunt ejeti. Quæ actio aliis singularibus litteris tota (115) conscripta est. Hoc venenum de conflatorio prædicti conventiculi fluxisse non dubitatur. Crevit quòtidie simultas, et novicis augmentis in tantum propecta est, ut illi ipsi, de quibus dictum est, nos per submissos latrones trucidare tentaverint iv Kal. Januarii. Quo nequitie conatu frustrati, effracto stabulo nostro, quatuor eques abduxerunt, tres gladiis confoderunt. Hoc factum in ore omnium, cum maledictione versatur, et nos anxietate ac sollicitudine implevit. Perpendat nunc reverende Pater, ac judicet vestra prudentia de vestra petitione super illius fratris in claustrum nostrum receptione, qui tam mobilis et convertibilis animi est, qui consuevit pravorum magis quam prudentium acquiescere consiliis, hoc est ignem in sinu recondere. Audistis nunc quæ mala nobis fecerit, intelligite nunc quæ nos ei bona contulimus.

Fuerat in obsequio suo juvenis quidam filius fratris sui, nomine Conradus, qui ad nos reversus est nondum detergo sudore itineris Romani. Eum nos

(115) Supra in epistola ejusdem Wibaldi ad suos Stabulenses.

non solum clementer, veram etiam familiariter atque in cibo et potu et somno tanquam custodem corporis habuimus, quem etiam honore, possessione, et honesto matrimonio sublimavimus. Puerum quemdam reliquerat Corbeixæ filium sororis suæ, illo nativitatibus ordinè genitum, de quo leges et Patrum instituta decernunt, ut in ergastulis monasteriorum sic concepti retrudantur, quem ipse in monasterio collocare nequiverat; sed nos eum intuitu divinæ retributionis tonsuratum et vestimentis regulæ indutum collegio fratrum aggregavimus. Quidam ex eis, quibus nuper reconciliatus est, cui frequenter legatos dirigit, gravi eum ignominia cauterio adusserat, quasdam aedes prope monasterium destruendo, et inhabitantes in eis ingressu monasterii arcendo, quam notam nos, humanitatis verecundia suadente, abolere festinavimus. Hunc locum erubescens atque cunctantes attingimus propter illud Apostoli: *Considerans teipsum ne et tu tenteris; et: Qui stat, videat ne cadat.* Illud verum, quod licet munus fuerit, non tamen a nobis beneficium reputatur, prætereundum putamus, videlicet quod a nobis fuerit vestitus cunctis duplicibus eadem die, qua a submissis latronibus vitam fere cum caballis amisimus. Propterea detestanda est ambitio quæ mentis oculum cæcat, quæ religionis intuitum tenebrat, quæ Dei timorem et hominum reverentiam annullat. O altitudo divini consilii! O profundum justissimum providentiæ! O investigabiles viæ Dei! Dum honorem conscii fragilitatis rejicimus, consilio divino capimur; cum ad quietem diu desideratam et corpore et animo tendimus, æternæ providentiæ judicio labores inextricabiles et anxios incidimus, et in hac via Domini cum amamus, odium recipimus; cum miseremur, affligimur. Accusatores quidam et testes atque cooperatores depositionis hominis illius elisum recolligunt, odia incendunt, armant iras, præsumptionem roborant, non quia eum diligunt, sed quia ipsi inquieti sunt. Quod autem vestra eruditio scripsit, ut jam sæpe nominatum fratrem in claustrum professionis suæ benigne recipiamus, et paterna consolatione contritionem ejus sublevando foveamus, quamdam juris rationem prætereundum videtur; sed imbecillitati nostræ nequaquam justum sive legitimum aut regulare creditur, ut ad tutelam redeat, de qua fuit semel emancipatus. Emancipationem vero intelligimus abbatis promotionem, quia capite diminutus non potest fieri legitime tutor. Sicut ergo a prælatione alicujus dignitatis depositus, jure cogi non potest, ut ibi nolens habitet, ubi præfuit; sic nobis videtur Ecclesiam cogi non posse, ut depositum suum, non dicimus alat, sed in suæ habitationis penetralia cum formidine futuri scandalii recipiat, nisi forte quis suæ depositionis sententiam patienter ferat, et reversus cum adversariis in concordiam in electionis assensu illum arroget, quem postea Patrem et tutorem absque contradictionis obstaculo habere valeat. Ille vir dua-

bus electionibus, quæ post depositionem suam canonicæ institutionis ordine celebratæ sunt; nec interfuit, nec acquievit, sed potius contradixit, et usque hodie clamare non cessat se fuisse circumventum et vi oppressum, cum tamen et confessio ejus, et accusatorum attestatio, et operis istius irrefragabilis evidentia justè damnatum manifestè ostendant. Non est ei tutum, non est ei honestum, non est ei pacificum in domo una inter personas esse, quæ agente Dei judicio sua accusatione et testificatione eum deposuerunt, nisi forte in animo ipsius soliditate humilitatis fundato, mundanæ altitudinis desiderium penitus excoctum sit. Præterea excellentiam vestram latere nolumus, quod in litteris, quas dominus papa Eugenius depositionem illius confirmans scripsit, statuisse dignoscitur, ut si idem Henricus pacem monasterii Corbeiensis perturbare præsumpserit, et bis tertioque commotus non resipuerit, non solum ibi ulterius non habeat prælationis officium, sed ne postmodum ibi inter subditos maneat, prohibuisse.

Cum a conventu illo malignantium, qui apud Gyseke, ut supra dictum est, fuit habitus, revertetur, habuit hospitium præ foribus monasterii in domo cujusdam laici sibi antea familiaris, ubi a quibusdam juvenibus nova cupientibus visitatus fuit et antelucanis horis in ecclesiam vocatus et salutatus fuit. Unde egrediens mane invenit operarios in muro novarum ædium, quas erigere inchoavimus, hortatusque eos ad studium operis promisit a seipso condignam retributionem accepturos ipsum quoque camerarium nostrum, cui hanc sollicitudinem injunxeramus. Verba hæc inepti hominis; sed, ut scitis, populus cœpit ea exaggerare, et suscipione ac metu omnia implere, ita ut etiam viri, quos majoris oportuit esse consilii, in offensionem sint adducti. Pro qua re admonuimus eum per venerabiles Patres et coabbates nostros, per abbatem videlicet de Reinehusen, per abbatem de Northheim, per abbatem de Sancto Godehardo, per abbatem de Gravenkirch, per abbatem de Flietorp, per præpositum de Richenberch. Sic firmatam credimus sententiam domini papæ, ne idem dominus de cætero sit habitator vel dominus Corbeiensis monasterii. Hæc, Pater amantissime, vobis scribere dignum judicavimus, prolixiora fortasse, quam vestris occupationibus seu valetudini conveniat, sed eo animo factum est, ut totus rerum ordo vobis plenius innotescat, et nostra parvitas apud vestram discretionem in eo quod petitionem vestram tanta necessitas exaudiri non patitur, placidam excusationem inveniat. Quod vero plurali numero scribimus, non venit ex elatione cordis et pompa verborum, neque ut ex tumida dictione oratio fiat crassior, aut ex producta positione numerosior, sed ex nostra, id est monachorum consuetudine, hoc facimus, qui nihil singulare aut proprium nisi: *Mea culpa peccavi.* Superfluum fortasse, sed tamen officiosam operam assumimus, videlicet Minervam docere

artes, in silvam ferre ligna, mittere aquas in flumina, juvare lumen solis facibus accensis. Non doleatis, charissime Pater, quod hoc non habetis, quod habent cimices et vermiculi (114) quoniam habetis quod multi homines non habent: non, inquam, tristemini, quod non habetis illud, ex quo nemo Deum vidit unquam, quoniam illud habetis, ex quo beati sunt, qui Deum, videbunt. *Judicia Dei abyssus multa, et: O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei, quam incomprehensibilia sunt judicia ejus et investigabiles viae ejus!* Tyrannis et ecclesiarum subversoribus dat incolumitatem et rerum omnium affluentiam, religiosis et eruditis episcopis subtrahit visionem oculorum, ne gregem suum oculis carnis videant et officium altaris implere valeant. Patitur et Apostolus aliquid, quod non vult, propter quod ter Dominum deprecatur. Sed dicitur ei: *Sufficit tibi gratia mea.* Et ad revelationum humiliandam superbiam monitor quidam humanæ imbecillitatis apponitur, in similitudinem triumphantium; quibus in curru comes retro adhaerebat per singulas acclamationes civium dicens: *Hominem te memento. Valete.*

EPISTOLA CXXXII.

CORBEIENSIVM MONACHORVM AD BERNARDVM EPISCOPVM
HILDENESHEIMENSEM.

Exponunt tres rationes, quæ ipsos deterrent a recipiendo Henrico quondam abbate deposito.

(Anno 1149.)

Domino et Patri sanctissimo BERNARDO, venerabili episcopo sanctæ Hildenesheimensis Ecclesiæ, conventus Ecclesiæ Corbeiensis devotæ orationis instantiam et debitam charitatis perseverantiam.

Venit ad nos venerabilis abbas Sancti Godehardi (115), homo in nostro monasterio ex longo jam tempore dilectus et familiaris, afferens parvitati nostræ litteras vestræ sanctitatis, quæ hoc deprecabantur, ut domnum Henricum, quondam Ecclesiæ nostræ abbatem, ad nos reconciliarem, et volentem conversari inter nos non repelleremus. Quod vero tunc impræsentiarum vestræ paternitati respondere distulimus, causa erat quod in hoc verbo magna anxietate tenebamur, nec in re tam difficili, quæ scandalum Ecclesiæ nostræ gignere poterat, inconsultatis universis, qui tunc plerique aberant, quidquam statuere incongruum arbitrabamur. Quid autem nunc in consilio invenerimus vestræ celsitudini per unanimatis nostræ litteras aperimus, hoc in principio postulantes, ne indignetur nobis dominus noster, quod petitioni vestræ satisfacere non possumus. Homo enim iste, pro quo interpellatis, magnam Ecclesiæ nostræ afflictionem intulit. Primo quidem cum a fratre suo comite Sifrido ad dignitatem abbatæ violenter est intrusus; deinde,

(114) Oculos scilicet, quibus Bernardus privatus fuit annis novem antequam ex hac vita migraret. Idcirco assumpsit in coadjutorem Brunonem decanum summi collegii ex Chronic. episc. Hildesh. edit. tom. II Script. Brunswic., p. 292.

A cum in prælatione positus Ecclesiæ inutilis fuit et damnosus; postmodum etiam, cum ex Dei judicio depositus, Ecclesiam nostram multis et magnis injuriis, in quantum potuit, est persecutus. Siquidem ut apud excellentiam vestram excusabiles esse valeamus, violentam intrusionem ejus in abbatiam paucis verbis exponemus, in quibus tam vera loquemur, quam visa et experta dolemus. Cum dominus noster piæ memoriæ Adelbero abbas viam universæ carnis ingressus esset, idem domnus Henricus erat apud nos adhuc in annis adolescentiæ, et nuper absolutus de sub jugo claustralis custodiæ. Hic aspiravit ad dignitatem abbatæ, quam etiam adeptus est, fratre suo Sifrido cooperante. Misit namque idem comes ipso articulo temporis, quo abbas senior decesserat, secretos nuntios ad Moguntinum archiepiscopum, et cum hoc ignorarem, callide egit, ut electionem, quam de consuetudine monasterii eadem die celebrare debueramus, per triduum differremus. Peracto triduo, venerunt legati domini Moguntini cum litteris ipsius missis ad nos. Litteræ autem continebant petitionem et suasionem archiepiscopi de eligendo in abbatem fratre comitis, postremo etiam comminationem quamdam si petitioni ejus in eandem personam non præberemus assensum. Si, inquit, eum non elegeritis, et sinistri aliquid provenerit, neque iniquitas mea neque peccatum meum.

Legati præterea ipsius quædam immania loquebantur, comminantes, si alius electus foret, dominum suum archiepiscopum, ne consecraretur, prohibitorum, denique in conspectu domini papæ eum nobis adversaturum. Venit ergo dies, cum facta secundum consuetudinem Ecclesiæ solemnique invocatione Spiritus sancti, ad eligendum Patrem et pastorem animarum nostrarum in capitulo consedimus. Comes vero supranominatus de promovendo fratre suo sollicitus erat. Unde et ambiendo singulatim omnes, qui desiderium suum promovere poterant, per se et per secretos nuntios conveniebat, et alium quidem suasionibus, alium blandimentis, alium terroribus ad electionem sollicitabat. Nam et præposito nostro per familiares nuntios sub diligenti interminatione ita pollicitus est, quod si electionem fratris sui in aliquo impediret, omni honore eum in Ecclesia nostra prorsus nudaret. Cum igitur de voluntate comitis in publicum dictum fuisset, et quidam de fratribus repleti Spiritu Dei resisterent, et causas contradictionis suæ multas et convenientes redderent, sive quod prædictus Henricus, quem eligere cogebantur, infra annos esset, sive quod pene illitteratus hujus dignitatis officium verbo et doctrina minime administrare sufficeret, sive quod inops consilii et totius

(115) Fredericus procul dubio, de quo supra, Corbeiensibus ex longo tempore dilectus et familiaris, et ideo a quibusdam dictus Corbeiensis; tametsi magis constat ex popularibus chronicis, Fuldensem fuisse.

prudentiæ neque seipsum, neque rem tam grandem gubernare vel regere prævaleret, sive quia libertas et ordo regularis electionis per eum cassata videretur, qui propter timorem fratris magis quam respectu Dei et communis utilitatis assumeretur: cum tales, inquam, excusationis causæ exponerentur, comes qui cum armata manu nobiscum in capitulo sedebat, adversus eos, qui hujusmodi loquebantur, multo furore et ira magna efferebatur; quibus et postmodum satis innotuit, quid tunc in eos moliebatur. Novissime cum in electione consensus fieri nullatenus potuisset, gravis sententia nobis proposita est, quod si hanc denominatam personam non eligeremus, corpus venerandi Patris nostri Adelberonis abbatis, beati utique senis, et cujus memoria in pace est apud nos, ejici ex ecclesia ad contumeliam nostram cito aspiceremus. Pollicebatur nihilominus idem comes, si frater eligeretur, multo adiutorio se Ecclesiæ adfuturum, et tam in persona sua quam in rebus se fideliter et devote servituum. Quod qualiter expleverit, rerum exitus comprobavit, cum, facto abbate eodem fratre suo, assidue cum uxore sua et maxima multitudine super eum et Ecclesiam incumberebat, nec prius eum deserebat, quam annonam, de qua toto anno victurus erat, sic prorsus consumpserat, quod nec mensæ panem residuum ei dimittebat. Non itaque tam inducti his promissionibus, quippe quas vanas ac falsas suspicabamur, quam superati terroribus ac minis, quem solum principem et dominum super nos aspicebamus, maxime ne contumelia Ecclesiæ fieret in defuncto Patre nostro, ita coacti fratrem ejus elegimus, non ausi dimittere, quod voluntatis ejus esse perspeximus, non tamen communiter, quia prædicti fratres in contradictione sua perstiterunt, et cum a domino rege multum etiam invito ac fratris precibus constricto investitus de Fulda rediret, illi susceptioni ejus se subduxerunt, quod electioni ejus, quæ secundum Deum facta non erat, consentire noluerunt. Unde et eosdem, qui erant numero quatuor, nobis inconsultis, comes et novus abbas exsiliaverunt, cum quidam ex eis satis eruditi et honeste apud nos conversati, multum a nobis fuerint dilecti, nec sine magno dolore sint a conventu nostro subtracti. Quemdam vero ex eis, qui præsentiam domini papæ interpellaverat, postmodum idem dominus Henricus cepit, et in vincula conjecit, et fame ac siti, frigore ac nuditate intolerabiliter afflixit, et per tres menses carceri mancipavit. Talem introitum habuit in abbatiam. Quam inutilis autem fuerit in ecclesia tempore prælationis suæ, et quam stulte omnia egerit, uno exemplo demonstrari sufficiet.

Quod cum fratris sui beneficium liberum ad Ecclesiam redisset, de quo multum res nostræ augmentari poterant, absque omni et sua et nostra utilitate de manu ejus excidit, et hanc honestam opportunitatem benefaciendi, quam quasi dormienti Deus obtulerat, prorsus neglexit, et ne aliquis suc-

cessorum suorum utilitatem inde consequatur variarum rerum intricatione effecit. Qualiter denique per dominum Thomam, cardinalem presbyterum apostolicæ sedis legatum, depositus sit, accusatus et convictus de Simonia, de violenta intrusione, de inutilitate personæ, de inobedientia, quia vestræ discretionis incognitum esse non credimus, ob fastidium prolixitatis hic inserere supersedemus. Quoniam igitur per misericordiam Dei de persona ejus Ecclesia nostra liberata est, gratias agimus Deo, et quod de cætero neque dominus, neque habitator loci nostri sit sponsione in perpetuum valitura firmavimus. Neque enim propterea depositioni ejus consentientes fuimus, quod eum denuo nobis præponere voluerimus. Scimus autem quod, nisi affectaret restitutionem dignitatis suæ, nequaquam tantopere quæreret ibi subesse, ubi aliquando præfuit, præcipue cum in principio sedi apostolicæ rebellaverit, et tot conatum suorum, amputatis capitibus, quotidie trigeminis assultibus resurgere attentaverit. Non ergo inter nos eum esse volumus, qui si oportunitas accederit, iterum nobis dominari concupiscat. Litteras etiam domini papæ confirmantes depositionem ejus præsentis anni habuimus, in quibus hoc demandavit, quod si Corbeiensem Ecclesiam fatigare præsumpserit, et semel ac bis tertiove monitus non resipuerit, non solum prælationis dignitatem, de qua depositus est, in Corbeiensi monasterio non habebit, sed nec inter subditos postmodum habitabit. Fatigantem igitur Ecclesiam nostram per venerabiles et religiosas personas dominus noster abbas ex communi consilio capituli nostri jam plusquam tertio commonuit, nec tamen de fatigatione nostra post commonitionem cessavit. Ex mandato igitur domini papæ astricti, eum in consortio nostro recipere non præsumimus, quoniam incidere in manus domini papæ, et similes inobedienti existere per nostram inobedientiam formidamus. Obsecramus itaque paternitatem vestram, ne dare accipiatis, quod in receptione ejus vestræ petitioni annuere non valemus, quia causas impossibilitatis nostræ, quanto potuimus brevius vestræ discretionis ostendimus, quas secundum insitam vobis prudentiam considerando in gratia vestra nos excusatos habeatis, quoniam excepta hac petitione, quam nulli mortalium concedimus, nos ad vestram omnem pro posse nostro promptos et devotos famulos invenietis. Valete in Domino.

Hæ litteræ in communi fratrum conventu recitatae sunt et omnium testimonio approbatæ. Hi autem fratres præsentis aderant. Waltherus prior, Erminoldus, Ingrammus, Engelgerus, Thidericus, Heremanus, Adelbertus præpositus, Adolfus, Conradus, Elvingus, Metfridus, Ysico, Thegenhardus, Henricus, Bruno, Abraham, Marquardus, Bruningus, Eico, Luidolfus, Lampertus, Erkebardus, Henricus, Adelbertus, Werncherus, Othelricus, Arnoldus, Reimarus, Fridericus, Unarchus, Wernherus, Ruopertus, Hartmannus, Saxo, Adelbertus, Reinherus.

EPISTOLA CXXXIII.

WIBALDI ABBATIS LITTERÆ.

De concordia inter Reinherum præpositum et Elvirum comitem.

(Anno 1149.)

In nomine sanctæ et inviduæ Trinitatis WIBALDUS Dei gratia Corbeiensis Ecclesiæ abbas omnibus præsentibus et futuris in perpetuum.

Officium prælationis nostræ exigere videtur, ut circa res ecclesiasticas et personas, quas, Deo ordinante, regendas et procurandas suscepimus, circumspecta providentia invigilemus, ne vel in rebus suis Ecclesia nobis commissa detrimentum patiat, neve subditi nostri propter res Ecclesiæ ex aliqua schismatis occasione, ut plerumque fieri solet, disturbentur, quia profecto sicut iram Dei meretur qui seminat inter fratres discordiam, sic nos gratiam a Deo accepturos speramus, cum seminamus inter fratres concordiam. Noverit igitur universitas fidelium nostrorum, qualiter dilectum filium nostrum Reinherum præpositum de Eresburg, et ministerialem nostrum Elvirum, comitem de Horhusen, ad pacem et concordiam revocavimus, pro pacto decimarum de Nien et Heflike quæ pertinent ad custodiam Corbeiensis Ecclesiæ. Has siquidem decimas cum omni tempore custos Corbeiensis libere habuisset in manu sua, et venderet vel exponeret, cui volebat, Elvericus tempore domini senioris Henrici prædecessoris nostri hoc obtinuit ut easdem decimas dimidias uno tantum anno redimeret. Quo concesso sequenti anno multis precibus a nobis et a custode iterum redemptionem earundem decimarum impetravit, nec de pacto quidquam adhuc quæsivit. Tertio nihilominus anno in pacto redemptionis eas se a domino Henrico prædecessore nostro recepisse affirmabat. Cui cum contradiceremus et pactum esse negarem, nobis reclamantibus, iudicario ordine ex jure comparium suorum pactum suum in eisdem decimis assere volebat, sed quia hoc fieri prohibuimus, quasi justitiam suam ei auferremus, diu multumque nobis molestus erat. Denique cum in determinanda hac causa nullam viam invenire possemus, ut pax et concordia inter eum et præpositum de Eresburch haberetur, hujusmodi tandem consilio litem diremimus. Ex consilio fidelium nostrorum redemptionem earundem decimarum inter ipsos divisimus, ut medietatem unam præpositus de Eresburch, alteram medietatem Elvericus annuatim usque ad finem tantum vitæ suæ redimat, hac conditione, ut in vigilia sancti Jacobi uterque eorum custodi Corbeiensi triginta solidos pro decimis, per proprios nuntios transmittant. Post finem vero vitæ Elverici medietas decimarum ad manum custodis Corbeiensis libera redeat. Ut autem hæc constitutio tam Elverico quam præposito Eresburgensi atque custodi Corbeiensi rata et inviolabilis permaneat, chartam hanc in testimonium factæ rei conscribi, et sigillo beati Viti præcepimus signari.

A.

EPISTOLA CXXXIV.

WIBALDI ABBATIS AD B. PRÆPOSITUM.

Discrimen inter mentiri et mendacium dicere.

(Anno 1149.)

Frater WIBALDUS, Dei gratia id quod est in Ecclesia catholica, dilecto fratri et amico suo B. præposito salutem et benedictionem,

Cujusdam sapientis verba sunt hæc: Inter mendacium dicere et mentiri distat. Qui mentitur, ipse non fallitur, alterum fallere conatur. Qui mendacium dicit, ipse fallitur. Item hoc addidit: Qui mentitur, inquit, fallit quantum in se est; at qui mendacium dicit, non fallit quantum in se est. Item hoc quoque super eadem re dicit. Vir bonus, inquit, præstare debet ne mentiatur, prudens ne mendacium dicat. Et nos, frater charissime, nequaquam mentiti sumus, sed mendacium dicere coegit nos non imprudentia, sed necessitas. Itaque longiores adhuc inducias petimus, ut neque mentiti fuisse, neque mendacium dixisse comprobemur.

EPISTOLA CXXXV.

THEOTUINI ET GUIDONIS CARDINALIUM AD HENRICUM MINDENSEM EPISCOPUM.

Arguunt eum quod in Kaminatensi ecclesia divina officia celebrare prohibuerit.

(Anno 1149.)

T. Sanctæ Rufinæ episcopus et G. sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconus cardinalis et cancellarius, venerabili fratri HENRICO, Mindensi episcopo, salutem.

Fratres Corbeiensis monasterii nobis conquesti sunt, quod cum apud dominum papam perrexissent, et apud eum aliquandiu moram fecissent, in Kaminatensi ecclesia in qua ipsi religionem reformare ceperunt, divina prohibueris officia celebrari. Quia igitur officio tuo nequaquam expedit, ut servos Dei et in bono proposito perdurantes contra justitiam debeas molestare, dilectioni tuæ mandamus, quatenus cum prædictis fratribus ita componas ut non habeant, unde apud sedem apostolicam juste conquiri valeant.

EPISTOLA CXXXVI.

WIBALDI ABBATIS AD SUOS STABULENSES.

Luget fratrum suorum mortem, de quorum felici obitu gratulatur; sed maxime dolet de transitu E. apud quem plura tenacitatis vitia reperta sunt quam expediret.

(Anno 1149.)

Frater WIBALDUS, Dei gratia id quod est in Ecclesia catholica, Roberto venerabili decano et cæteris in Christo dilectis fratribus Stabulensis Ecclesiæ filiis benedictionem et vitam usque in sæculum.

Luctuosas jam a longo tempore litteras a vestra parte accepimus, non equidem vitio vestro, qui semper et optare nobis et anuntiare prospera consuevistis, et quæcunque fuerint acerbiora usque in extremum necessitatis articulum celare, sed quod manus Dei supra monasterium nostrum est extenta, evocando ad se et subtrahendo nobis fratres nostros

rebus utique divinis maxime utiles ac necessarios; nos tristamur, frares, atque lugemus illos nobis esse ademptos, qui orabant pro populo et pro civitate nostra, intenti jugiter corde et voce ad sui Conditoris amorem et laudem, sectantes humiliter omnem obedientiam, diligentes veraciter nostram personam, sed lætatur in cœlis Christus cum angelis factos eos esse ex ipsius gratiæ dono gloriosæ civitatis suæ municipes. Domine Jesu, ignosce nobis, quia ploramus eos quos tu recipis: non tibi invidemus quod habes, sed de acie nostra fortissimos bellatores subtractos dolemus, licet apud te jam nos familiariter adjuvent de se nunc securi, sed de nobis solliciti. Flevisti et tu, Domine, Lazarum, sed quia fortassis resuscitabas iterum hujus vitæ passurum ærumnas, qui mortuus fuerat ad quietem. B Lacrymatu es tamen ex humano et amico affectu quocunque, et fundimus lacrymas non desperationis sed dilectionis, non odii sed desiderii, non quia ad te transierunt, sed quia a nobis recesserunt. Verum sicut quatuor illi fratres G. S. A. W. sancto et catholico fine decedentes, spei et fiduciæ plenos ad sequendum se nos provocaverunt, ita hic extremus frater E. vir quidem castigatæ vitæ, et totus in lege Dei sui die ac nocte, in quadam parte minus cautus suo improvise transitu nos non absque gravis offendiculi scrupulo conturbavit. Siquidem, ut nostis, partem quamdam administrationis ei commiseramus, de qua monasterii præstationibus servire deberet, in qua tenacitatis culpa seductus est, ut plura relinqueret, quam ejus saluti expediret, de quibus C omnibus vobis in commune mandando præcipimus, ne quis vestrum eas tanquam proprias seu communes, vel quasi ex testamento delegatas vindicare præsumat, sed salva et integra omnia ad nutum decani serventur, donec vobis divina opitulante gratia redditi, quid de his agendum sit sollicite una vobiscum inquireamus. Recordetur eruditio vestra de præda Jericho anathemati et ignibus devota, et de periculo Achar, qui de eodem anathemate furtim subduxerat, non quod creatura Dei inanimata et insensibilis et ad usum hominis instituta præmium mereatur vel pœnam, sed quod earum excidio hominum sit inobedientia vindicanda et avaritia cohibenda. Rumor de nobis nuper acceptus; qui vos de salute nostra sollicitos conturbavit, ex parte falsus est, et ex parte verus. Damno enim aliquanto et ingenti injuria affecti sumus, Deo propitio rerum humanarum vicem dispensante, et tumorem superbiæ, qui de munerum suorum mirabili collatione nasci poterat, quadam interjectæ amaritudinis temperantia reprimente, ut veraciter illud Cantici canticorum possimus dicere: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi*. Verum quod a paucis latronibus desperatis commissum est, tanto ulciscendi studio a cæteris omnibus, qui fidem suam et devotionem servare desiderant, expiatur, ut valde divinam offensam reformidemus, nullum interim honoris vel salutis periculum sustinentes. Potens est autem Deus de his

omnibus nos clementer eripere, et ad vos tempore accepto reducere.

EPISTOLA CXXXVII.

WIBALDI ABBATIS AD BERNARDUM EPISCOPUM
PATHERBURNENSEM.

Quandam causam suam ejus judicio diffiniendam relinquit.

(Anno 1149.)

Reverendo Patri suo et domino BERNARDO, sanctæ Patherburnensis ecclesiæ venerabili episcopo, frater WIBALDUS, Dei gratia id quod est in Ecclesia catholica, dilectionem filii et obedientiam servi.

Multas debemus, et multas referimus sanctitati vestræ gratias, quod a longis retro temporibus nos paterno affectu diligere et honorare dignatus estis, quod maxime nunc experti sumus, quando acceptæ tam evidentis calumniæ amaritudo nos acerbius pulsavit. Siquidem et laborem et expensam non solum æquanimiter, sed etiam hilariter pertulistis, et in dando consilio tanta fuistis moderatione usus, ut cauta et circumspecta vestræ discretionis regula paucis possit esse imitabilis. Quamobrem de amico facti vobis amicissimi, finem rei nostræ vestro examini committendum judicavimus, ut eam partem consilii sine dubitationis angustia tenendam arbitremur, quæ nobis a vestræ pietatis et fidei solertia proponetur. Thidericus, comes de Huxara, vult se, ut verbis ejus utamur, in nostra misericordia dare, et ad nostram satisfactionem et reconciliationem sic accedere, quemadmodum dictaverint compares sui, videlicet ministeriales Corbeiensis Ecclesiæ, qui a nobis ex nostra optione fuerint electi et ex nomine designati. Et quoniam turbati sumus et moti sicut ebrius, et si qua in nobis fuit sapientia, devorata est, cogitque nos rerum necessitas quædam dissimulare, quædam tolerare, ne forte frangatur vas, dum æruginem eradere cupimus, tamen nihil animo sequendum statuimus, nisi quod vestræ diligentiae complacuisse senserimus. Propterea causam hanc distulimus tractare, ac de ipsa respondere usque ad proximam feriam secundam, quatenus vestræ discretionis consilio præmuniti, tutius ac melius quæ agenda erunt perficere possimus. Nec vero litterarum nostrarum bajulum verbum quod portat vel accipit, intelligere volumus quoniam ex illis est, sed per epistolam vestram de omnibus certificari volumus.

EPISTOLA CXXXVIII.

BERNARDI EPISCOPI PATHERBURNENSIS AD WIBALDUM
ABBATEM.

Respondet ad præcedentem.

(Anno 1149.)

BERNARDUS, Dei misericordia Patherburnensium pusillus famulus, dilecto fratri WIBALDO, venerabilii sanctæ Corbeiensis Ecclesiæ abbati, cum omni charitatis obsequio orationes in Domino.

Affectum dilectionis, quem, ex quo vos novimus, circa vos habere cœpimus, inviolatum conservare satagimus, ita ut nec personæ meæ nec rebus pro

honore vestro conservando et voluntate promovendo parcamus, cupimusque vobis in omnibus proficere, si quid Deus annuit solerter nos deliberando providere. Unde in præsentis causæ compositione, hoc vestræ discretioni fideliter suggerimus, ne sine fidelium vestrorum tam amicorum quam hominum consilio quidquam faciatis, quatenus si forte, quod absit! tale quid posthac emergerit, ad assistendum vobis paratos inveniatis. Fatemur quidem quod multa tolerare vel dissimulare rerum cogit necessitas; sed sicut pro evitando vulnere graviori interdum sapientis est usque ad vivum putrida non rescare, ita nonnunquam si non ab imo plagæ sanitas exsurgit, gravior tortura succedit. Et, ut præmissum est, discretam sollicitudinem vestram præmuniendo cohortamur, ne sine gravis testimonii confirmatione ullam admittatis compositionem. Tutius enim esse putamus apertos habere inimicos, quam occultos læta fronte pacem mentientes. Quo semel est imbuta recens servabit odorem testa diu.

EPISTOLA CXXXIX.

GUIDONIS CARDINALIS AD ANSELMUM EPISCOPUM
HAVELBERGENSEM.

Scribit ei suam voluntatem per legatum Poloniæ.

(Anno 1149.)

Charissimo fratri et amico ANSELMO, venerabili Havelbergensi episcopo, GUIDO, sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconus cardinalis et cancellarius, salutem.

Cum tuam non possimus frequenter habere præsentiam, scripta tua tanquam personæ vicem gerentia læto corde suscipimus. Per fratrem nostrum G. cardinalem, qui ad partes Poloniæ mittitur, litteras voluntatem nostram pro eo et de eo continentes tibi direximus. Breviter vobis cuncta complectimur, vestri memoriam gerimus, et ut vobis prospera cuncta succedant optamus. Communem amicum nostrum abbatem Corbeiensem nostro nomine salutem.

EPISTOLA CXL.

EJUSDEM AD EUNDEM.

Cupit informari de ipsius statu.

(Anno 1149.)

Charissimo fratri et speciali amico ANSELMO, Havelbergensi episcopo, GUIDO, sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis et cancellarius, salutem.

Attendentes ea quæ de dulcedine cordis tui sæpe gustavimus, amicitiam inter nos per scripta præsentia innovamus, optantes ut statum tuum, quem prosperum esse cupimus, nobis quantocius studeas intimare. Communem amicum nostrum Corbeiensem abbatem per vos in Domino salutamus.

EPISTOLA CXLI.

ANSELMI EPISCOPI HAVELBERGENSIS AD WIBALDUM
ABBATEM.

Causatur quod sibi amico non scribat, significatque proximum suum ad papam iter.

(Anno 1149.)

Charissimo fratri et speciali amico WIBALDO abbati ANSELMUS pauper Christi se.

Quidam sapiens dixit breves rationes habendas esse cum amicis: sed tu nec longas nec breves mecum jamdudum habuisti, nec una saltem littera me salutasti, præsertim cum tibi, non mihi sit copia legatorum. Quid est hoc? ubi es? quo pervenisti? quid tibi et mihi? quare me dimisisti?

Wisera, curre retro; currat tamen Havala recte.

Ego tamen tuam absentiam semper habeo præsentem, sive velis, sive nolis. Quod si velis, mecum est voluntas tua; quod si nolis, consequenter verum est, absente tua absentia, te ipsum præsentem esse, et itidem tua voluntas mecum. Ego ad dominum papam in proximo iturus sum si quid mandare volueris, per me tuum, sicut per teipsum facere poteris. In Dominica *Esto mihi* movebo. Cancellarius te plurimum diligit, quod ut certius scias, litteras, quas nuper mihi misit, tibi mitto; quas cum legeris, mihi remitte.

EPISTOLA CXLII.

WIBALDI ABBATIS AD ANSELMUM EPISCOPUM
HAVELBERGENSEM.

Romam eunti quædam commendat negotia, præsertim in gratiam abbatis Hersefeldensis.

(Anno 1149.)

Reverendo Patri suo ANSELMO, pauperis civitatis et modici cleri Havelberch venerabili episcopo, frater WIBALDUS, Dei gratia id quod est in Ecclesiâ catholica, seipsum.

Arguistis nostram, ut vos æstimatis, negligentiam verbis quidem de intimo charitatis sacrario depromptis, eo quod vos tanto temporis emenso spatio nec viderimus nec salutaverimus, præsertim cum nobis non desit legatorum copia; sed absit a nobis, Pater charissime, illa lethæa oblivio, illa non puerilis, sed stultissima negligentia, quæ ab animo nostro avellat vestri cum intima dilectione memoriam. Scriptum est: *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* Vos utique et paucissimi de perfectorum numero, quos divinæ largitatis bonitas nobis absque ulla meritorum prærogativa, absque ulla similitudinis cohærentia dedit amicos, estis thesaurus noster, de quo sæpe haurimus et non minuiur, de quo fures nihil possunt excerpere, quem tinea et ærugo non possunt corrumpere. Credite mihi, episcope, si totum mundum haberemus, ac vos et vestri similes, qui paucissimi esse possunt, amicos non haberemus, pauperes essemus. Vestri ergo memores, et per incrementa fortius in amorem accensi, exspectavimus temporis opportunitatem, quando desiderata jam prius præsentia vestra perfrui possemus, et longo colloquio effundere fluctus animæ nostræ, quibus quotidie turbamur et movemur sicut ebrius. Siquidem, Pater amantissime, habebamus prius uxorem et lippam et infecundam et præterea macram; hæc vero posterior, cujus matrimonio copulati sumus, pinguior quidem est, sed non minus lippa et sterilis, et præterea contumacior, nova quærens, et sua quiete dolens. Utinam, bone Jesu, mihi dares illam Habacuc prophetæ translationem,

ut cum venerit Anselmus episcopus Romam ad il- A
lum nostrum cancellarium tam bene nostri memo-
rem, possemus utrique animæ nostræ arcana patefa-
cere, et eorum consilio et consolatione solidari: nam
utrobique divisi, lupum tenemus per aures. Misera-
mus Romam pro intimanda domino papæ Fuldensi
electione, cui ex ipsius mandato interfueramus. Re-
liquit nuntius noster in Kal. Januarii dominum papam
sanum et incolumem apud Viterbium, et cancella-
rium nostrum Guidonem plenum jucunditatis et bonæ
spei, qui nobis affectum, quem in nostra parvitate
concepit, et quem in litteris suis toties cum deside-
rio prodit, epistola prolixiore scripta manifestavit,
quem nos tantum diligimus, quantum possumus et
intelligimus, non quia nos adjuvat, sed quia nos B
diligit; non quia potens est, sed quia bonus. Domi-
nus quoque papa sua humanitate et clementia nos
fecit veraciter suos, ita ut charitas foras miserit
timorem: quem ex nostro nomine intime salutabi-
tis, immensas ei gratias pro universis beneficiis
nostræ parvitatî collatis referentes. Dicite nostro
communi amico cancellario, quod si nunquam de
cætero Romanam Ecclesiam et Urbem videremus,
si remotissimam eremum habitarem, sui tamen
quodam singulari modo essemus, et ea quæ nobis
per litteras suas mandavit, usque ad calcem dili-
genter observabimus. Misimus ad pedes pietatis ve-
stræ abbatem Hersfeldensem, qui quoniam vim (116)
patitur, respondete vos pro illo, quia nescit quid
dicat inimicis suis, tanta est hominum temeritas et C
vesania. Summa petitionis nostræ pro hoc abbate
hæc est, ut ei officium suum apud dominum papam
recuperetis: quod si vultis, et potestis, deinde ut
apud dominum Bremensem, quod vobis facile est,
obtineatis, ut eum in abbacia sua restituat, et cau-
sam suam canonico jure terminet. Quidquid huic
faceretis, mihi feceritis. Videte quam immemores
vestri simus! non est dictum, fuerimus, quod de
præterito et futuro dicitur; sed simus, quod est de
præsenti, hoc est de æternitate. Meditati fueram
quæstionem de creatione angelorum non ignobilem,
quam eruditioni vestræ scribere statueramus, ut
respondendi necessitate studium vestrum excitare-
mus; identidem inquisitionem vestram sive ratioci-
nationes et argumenta de illa vestra positiva justitia D
a vobis poscere volebamus, ut nos quoque vel con-
ferendo, vel opponendo, vel consentiendo vigilare-
mus. Utinam liceat nobis vos ab Urbe revertentes
ulnis veræ charitatis amplexatum deosculari, ac de
statu sacrosanctæ matris nostræ Romanæ Ecclesiæ,
nec non de regni totius habitudine, et de mundi
totius qualitate secretius vobiscum ac diutius con-
ferre! Fere enim solus estis, aut inter paucissimos
unus, qui de his aliquam meditandi viam ingredi
et ambulare noveritis.

(116) Vide supra epistolam archiepiscopi Mogun-
tini ad Eugenium papam III.

EPISTOLA CXLIII.

WIBALDI ABBATIS AD EUGENIUM PAPAM III.

De statu Fuldensis monasterii eum informat.

(Anno 1149.)

Reverendissimo Patri suo et domino Eugenio, uni
et universali pontifici, frater WIBALDUS, Dei gratia et
vestra id quod est in Ecclesia catholica, dilectionem
ut Patri, obedientiam et servitium ut domino.

Postquam ab æquitatis vestræ censura A. (117)
quondam Fuldensis abbas, apud Trevirim depositus
fuit; Fuldensis Ecclesia nunquam in generalem
concordiam rediit, quoniam hi qui cum abbate et
pro abbate steterant, omnes fere de monasterio ex-
puli sunt, et maxime illi, qui alicujus administra-
tionis officia a longis retro temporibus habere vide-
bantur. Quod dissensionis malum in tantum crevit,
ut lator præsentium frater Dudo, cum litteras ves-
træ jussionis de facienda electione dedisset, mox in
porta monasterii captus sit. Nos quoque a vestra
celsitudine Fuldam venire jussi, revocare ipsos ad
pacem, et ut fratres suos in congregationem reci-
perent, studiose tentavimus, sed facientibus peccatis
nihil profecimus. Quia igitur ad vestram modera-
tionem pertinet, ut instar divinæ potentæ, quæ sa-
nat contritos corde et alligat contritiones eorum,
omnium curam cum misericordia habeatis. Provi-
dere ne aberrantes oves luporum morsibus lacera-
tur, et Ecclesia Fuldensis, quæ amplissima est et
suis spatiis, et vestra speciali dominatione, et ordi-
natione per vos in pace ac religione reformata to-
tius honestatis principatum obtineat.

EPISTOLA CXLIV.

WIBALDI ABBATIS AD HENRICUM ABBATEM FULDENSEM ET
HEREVELDENSEM.*Ut dispersos filios benigne recipere velit.*

(Anno 1149.)

Reverendissimo Patri et amico suo H. venerabili
Fuldensi et Hersfeldensi abbati, et omnibus Ful-
densis Ecclesiæ filiis tam monachis quam laicis,
frater WIBALDUS, Dei gratia id quod est in Ecclesia
catholica, exiguas orationes et devotum servitium.

Filii et fratres vestri Lampertus et Dudo, et alii
quidam nostram parvitatem vel per se vel per nun-
tios suos sæpenumero adierunt, orantes attentius,
ut ad pacem et reconciliationem vestram, et ad re-
gressum monasterii sui, de quo se injuste pulsos
conqueruntur, vestram per nostræ petitionis inter-
cessionem aperiremus. Quod nos charitatis intuitu,
licet inviti, tandem assumentes, omnium et singu-
lorum pedibus animo advoluti, suppliciter deprecamur,
ut misereamini fratrum vestrorum, et quia
propriæ actionis vitio de Ecclesia nec egressi nec
ejecti sunt, sed quædam communis discordia, quam
esse firmiter sopitam oportet, de vestro eos collegio
proturbavit, ipsos cum bona venia in congregatio-

(117) Ascholfus, cujus vide supra epistolam ad
Wibaldum abbatem.

nem recipiatis, et sicut filios et fratres vestros benigna charitate foveatis. Omnium fratrum nostrorum circa nos positorem sententia et petitio eadem est, timentium ne forte scandalum gravius aliquod inde valeat oboriri.

EPISTOLA CXLV.

NOTITIA DE DUELLO IN JURAMENTUM COMMUTATO.

(Anno 1149.)

Anno Domini 1149, prælationis autem domni Wibaldi abbatis in Corbeïensi Ecclesia III, Theodericus comes villæ Huxariæ a Reinhero de Porta interpellatus est de duello, qui hoc imponebat ei, quod ex consilio ejus equi domini sui abbatis sublatis atque enecatis fuerint, idque singulari certamine contra cum se asserturum proposuit. Cum ergo pro hujusmodi perfidiæ suspicione tam a domino abbate quam ab omnibus pene coministerialibus suis Theodericus execrabilis et odiosus haberetur, volens se expurgare de imposita sibi perfidia, paratum se et promptum ad duellum contra Reinerum dicebat. Prudentiores vero condomestici eorum considerantes non absque communi turpitudine comparium suorum inter duos cœquales suos hujusmodi pugnam posse committi, dominum abbatem obnixis precibus rogabant, quatenus satisfactionem Theoderici reciperet, qui ad gratiam ipsius redire et pro objecto sibi crimine, sive per justitiam, sive per misericordiam satisfacere paratus esset. Huic ergo petitioni dominus abbas non abnuens, elegit ex ministerialibus suis octo, videlicet Carolum senem, Elvericum comitem, Henricum de Riteh, Henricum de Liutem, Godescalcum de Godenlevesse, Brunonem, Udonem, Reinmarum, quos hujus reconciliationis consiliarios constituit, ut quidquid isti secundum honestatem ipsius et Ecclesiæ in consilio invenirent, ipse sequeretur, hocque eis se facturum promisit. Exponens itaque eis causas, pro quibus in gratia sua Theodericus non esset, reliquit eis qualiter secundum honestatem suam et Ecclesiæ, communicato inter se consilio, reconciliationem ordinarent, hoc præmonito, ut Reinherum de reconciliatione non exciperent. Prænominati igitur octo diu inter se consilio habito, in hoc tandem consenserunt, ut dominus abbas sua auctoritate et imperio duellum inter Reinherum et Theodericum eximeret, ac Theodericus in sacris reliquiis B. Viti juramento comprobaret se innocentem esse de his, quæ Reinherus ipsi objecerat, et pro quibus eum ad pugnam vocaverat, et hoc juramentum absque contradictione Reineri fieret. Sicque per dominum abbatem tam de hac causa quam de aliis, si quæ inter eos essent, in præsentem reconciliarentur. Juramentum deinde Theodericus in eisdem reliquiis præstaret, quod absque et voluntate atque conscientia sua dominus abbas equos suos perdidisset. Postmodum juraret, quod cum domno Henrico post depositionem ejus reconciliationem nullam fecerit. Duodecim præterea obsides de propinquis suis domino abbati daret, quod nunquam deinceps contra

A dominum abbatem vel facto vel consilio scienter ageret. Quod si hujus sponsionis prævaricator aliquando existeret, hos duodecim obsides æquæ ut dominum abbatem inimicos et adversarios haberet. Hoc ergo dominus abbas, quemadmodum promiserat, secutus est. Theodericus primum juramentum explevit, quod ad Reinerum pertinuit. Secundum et tertium juramentum, quæ ad dominum abbatem pertinebant, per misericordiam abbas sponte etiam non rogatus ei remisit, pugnam utriusque interdixit, deinde ipsos ad invicem reconciliavit. Dedit consequenter Theodericus obsides fidei suæ duodecim ex propinquis suis, hos videlicet: Fritherium dapiferum, Bunonem, Godescalcum de Godenlevesse, Reinmarum, Conradum Damet, Liuddagum, Henricum fratres, Bertoldum, Elvericum comitem, Godofridum de Munekhusen, et duos, qui præsentem non erant, quos in brevi se adducturum promisit, Wernonem de Jesikhe, Helmwigum de Codolumen. Decem igitur qui præsentem erant, data fide, et propria manu in manum abbatis singillatim una eademque sententia promiserunt, quod si Theodericus fidem suam circa eum violaret, se inimicos et adversarios, nisi gratiam ipsius sine ipsorum interventu reciperet, jugiter habiturus esset. His ergo fidejussoribus sub hac conditione receptis dominus abbas Theoderico gratiam suam reddidit, et in osculo pacis eum recepit. Acta sunt hæc Corbeïæ vi Idus Februarii, præsentibus fratribus nostris senioribus et præsentibus nobilibus pueris hominibus Ecclesiæ, Adelberto comite de Evelstein, Widikindo de Sualemberch; erat etiam præsens Florentinus filius comitis Sifridi de Erteneburch, et coram ministerialibus Ecclesiæ multis.

EPISTOLA CXLVI.

MANEGOLDI AD WIBALDUM ABBATEM.

Laudat Wibaldum de scientia liberalium artium.

(Anno 1149.)

Domino WIBALDO venerabili Corbeïensium abbati, Manegoldus suus in omnibus negotiis utraque manu uti pro dextra.

Quoties Mercurii, et philologiæ conjugium tanta cura virtutis et Apollinis quæsitum, et omni conventu deorum comprobatum considero, dum inter alia septem Nympharum adventum perpendo, et singularum proprietates attendo, amplexus tam desiderabilis conjugii non carnalibus brachiis exhibitos vobis attribuo, dum totius philosophiæ florem, dum et divinitatis et septem liberalium artium et omnium pedissequarum scientiam apud vos, et armarium studio invenio aptissimum. Præter hanc specialem industriam prædicatur de vobis accidens a vobis inseparabile et proprie proprium, scilicet morum excellens ingenuitas. Quos cum physici secundum qualitates complexionum probent diversificari, facile probari potest, vos optima complexione temperari. Vos igitur qui non estis dealbatus in pariete, sed niger in corporis superficie, mira virtutum, scientiæ et morum claritate fulgetis in pectore. Quorum om-

nium, si quantum scirem, probationes exsequerer, A favorabili aura aures vestras liniendo de vitio adulationis et hyperbolæ notari timerem, et epistolaris compendii metam excederem. Si igitur aliquid perfectum natura in humanis adinventionibus expolisset, vobis profecto plenaria non deesset perfectio, cum tamen nihil emendatione dignum, vel in vobis, vel in domo, vel in familia, nihil omnino vel in contento, vel in continente, quod modo cum artificiosa surgit dispositione corrigendum invenerim, nisi quiddam contra orthographiam in superliminari australis januæ, quam non ex ignorantia, non ex negligentia, sed ex aliqua, quam nostis, factum est industria. Propter hæc omnia ultra quam dici vel credi potest, mihi desiderabilis est vestræ jucunditatis præsentia, non idéo tantum, quia multiplici B ferculorum genere corpus meum nuper pavistis, sed quia gratioribus condimentis mansuetudine scilicet et hilaritate animum meum recreastis.

Multi de mundo docuerunt ore rotundo,
Ad quid sit factus, quo tempore tactus et . . . unde
Nobis auctorum scriptis aperitur ab . . .
Et quorum num eris
Qui dicunt omnia v
Grata temperie primos ortus habu isse
Ortus rebus eos aptos patet attribui
Rex veris t alis
Veris complexio t
Dum constricta gelu nequit arida fructific . . . are
Per calidum, sed et humectum solet anim . . .
Sic fit fec undus.
Redivivo germine in
Abbas, hæc in te complexio mira not . . . atur C
Illa per effectus in te regnare prob . . .
Illa tuum fructus ad tam pulchros cor ar . . . avit
Hæc in corde tuo virtutem fructific . . .
Quæ pulchros in ores
Commendat et auget hon
Ergo tua quis miretur de prosperit ate.
Virtus in tanta tibi cum faveat prohib

EPISTOLA CXLVII.

WIBALDI ABBATIS AD MANEGOLDUM SCHOLÆ MAGISTRUM.

Respondet ad præcedentem.

(Anno 1149.)

WIBALDUS, Dei gratia Corbeiensis Ecclesiæ procurator, dilecto fratri et amico suo MANEGOLDO, majoris ecclesiæ in Patherburna canonico et scholæ magistro, legem ut intelligat, intelligere ut sapiat, sapere ut provideat, providere ut vivat.

Delectatus sum, frater, litteris tuis, non quia me laudas, sed quia te studere intelligo; non quia me effers præconiis, sed quia me diligis. Nulla enim laudatio sine amore fieri potest. Nam ironia et quidquid intortè vel oblique dicitur, laudatio non est: originem suam a fonte amoris laudatio habet; inde est, quod etiam vitiis amicorum plerumque delectamur. Discipuli magistrorum sententias tuentur, non quia veræ sunt, sed quia auctores amant. Schola adversus scholam debacchatur odio vel amore magistrorum, et clamore defendunt, quod ratione non possunt. Beatus Augustinus dicit: *Qui nos diligunt, quærent quæ bona de nobis laudent: qui nos non diligunt, quærent quæ mala de nobis loquantur.* Ita

A verum est, quod probatio dilectionis, exhibitio est operis, est enim laudatio quoddam opus. Non igitur quia a te laudatus sum præsertim in re falsa, quoniam laudis tuæ titulos in me nec sentio nec recognosco, rescribere indoli tuæ tentavi, sed ut dilectionem tuam fortius inflammarem, et studia in te accenderem, furatus sum publicis actionibus nocturnas horas, in quibus tibi responderem. Contra morem meum facio, ut singulari numero loquar, qui cum monachis nostris pluraliter dicere consuevimus. Sed scribo scholastico, et vias philosophiæ ingredienti, qui de ipsis studiorum suorum penetralibus laudationis meæ ornamenta deprompsit. Sed quid loquar vel quid admonbo, cum nihil dici possit, quin jam dictum fuerit? Negat Cicero, si duplicetur sibi ætas habiturum se tempus, quo legat lyricos, eodem loco dialecticos. Putas fortassis dictum, quia vir gravis et serius et philosophiæ disciplinis explanandis deditus, hæc tanquam levia et inepta projecit? Sed libri ejus non solum sententiis, sed et verbis ipsorum referti sunt. Tanta ante ipsum conscripserant poetæ tragici, comici, lyrici, dialectici ac sophistæ, ut taceam de philosophia et artium liberalium præceptoribus. Rusticas quoque res, agriculturam et architectonicam suo jam tempore non pauci in libris ediderant. Quanti sua ætate et post illum fuere philosophi et poetæ! lege Tranquillum, lege Cornelium Nepotem, et alios quosdam gentiles de viris illustribus, tanta esse scripta intelliges, quæ vix a quoquam studiosissimo legi possint. Ad nostros veniam Christianæ legis philosophos: inspicere ecclesiasticam Historiam Eusebii, et aliam ecclesiasticam, quæ vocatur Tripartita; revolve libros Hieronymi presbyteri, Isidori presbyteri, Gennadii abbatis de viris illustribus, et videbis, quos duces habuerit Ecclesia post apostolos, et intelliges quod omnia quæ dici possunt, ab illis summis philosophis præoccupata sunt, ut nihil jam dici possit novum, ne errandi quidem locus relictus est novus.

Erratum est a multis, et errores ipsorum a melioribus redarguti sunt et confutati. Illi ipsi, qui ob ignominiosam gloriam hæretici contendunt fieri, non nova inveniunt, sed vetera replicant, et superfluas D-verborum novitates, quas Apostolus devitandas præcipit, quæ multorum sunt correctione antiquatæ, tanquam propria ratiocinatione inventas in contentione adducunt. Quid loquar de cæteris viris doctissimis, qui post prædictos in Ecclesia Dei scribendo et disserendo præclara ingenii sui monumenta reliquerunt? Bedam dico et Ambrosium, Heimonem, Autpertum, Rabanum, Joannem Scotum et multos præterea, quorum opera legimus; nec non illos quos vidimus, Anselmum Laudunensem, Wilhelmum Parisiensem, Albericum Remensem, Hugonem Parisiensem, et alios plurimos, quorum doctrina et scriptis mundus impletus est, quos nes desidiæ et avaritiæ dediti, sub cæca oblivionis nocte latere sinimus, nullo ipsas vel eorum opera illu-

stantes eloquio. Num igitur ad te scribens nova A possum cudere? Nequaquam, erit tamen aliquid, quoniam si de veterum fuerint decerpta pomariis, nova videbuntur alibi insita, et in eo nova erunt, quod tibi scripta sunt, cui antea scripta non sunt. Nunc itaque ad litterarum tuarum lineas responsurus, primo gratum habeo et laudo, quod de arte tua meae laudationis sumpsisti exordium, juxta illud Flacci:

Quod medicorum est,

Promittunt medici; tractant fabrilia fabri.

Hor., *Epist.* II, 1, 116.

Sed vide, ne erraverit iudicium tuum, quod in me scientiam et facundiam praedicasti, quae illo Martiani Capellae multiplici et aenigmatico epithalamio fingantur. Artes quae dicuntur liberales et caetera B de medicina vel agricultura scribuntur, ab optimis praceptoribus accepi, divinarum expositionem litterarum a catholicis et doctissimis viris, minus quam deceret, studiose audivi, multorum tractatus et commentarios tam in divina quam in saeculari litteratura perlegi, sed vaga et multiplex lectio quantum affert voluptatis, tantum aufert utilitatis. Physico loquor.

Cacostomacha sunt plura et diversa fercula, et onerant valetudinem potius quam reficiunt. Ad consuetos et simplices cibos remittuntur, qui peregrinis et variis aegrotare coeperunt. Prodigus filius cupiebat ventrem suum implere de siliquis quas porci comedebant, quia juxta Psalmistam oblitus C erat comedere panem suum. Multiplex lectio et summis labiis degustata mulcet animum, non pascit; delectat, non instruit. Est quaedam avaritia in scientia, unde et primi parentes tentati sunt. *Eritis, inquit, sicut dii scientes bonum et malum.* Multa discuntur non propter studium, sed propter curiositatem; non ut simus meliores, sed superbiores. Scientia enim inflat, charitas aedificat. Legitime igitur utendum ea, quae juxta Apostolum destruetur, ut illam teneamus, quae nunquam excidet. Neque hoc dico, ut te a studio legendi, meditandi, scribendi ac declamandi deterream, in quorum curriculum nunc maxime versor, illud assequi summo pere desiderans, ut ea quae lego memoriae tenaciori commendem; et in hoc me exercere soleo, ut post D lectum aliquod cujuscumque nodosae quaestionis volumen, locos et argumenta, et disputandi vias et conclusionum laqueos amoto libro memoriter replicem. Ad industriae et studii exempla sequenda proponuntur nobis: Cato, qui sextum et octogesimum agens annum ab inimicis capitali crimine accusatus causam suam egit, neque aut memoriam ejus quisquam tardiolem, aut firmitatem lateris ulla ex parte quassatam, aut os haesitatione impeditum animadvertit, Graecas litteras in senectute didicit. Terentius Varro, Publius Crassus, Marcus Cicero, Julius Caesar inter studiosos Latinorum tenuerunt principatum. De Graecis vero Demosthenes inter oratores maximus, Pythagoras philosophus, Plato patriam

Athenas, praepceptorem Socratem sortitus est, et locum et hominem doctrinae fertilissimum, Democritus physicus, Carneades laboriosus et diuturnus sapientiae miles, qui cum Chrysippo disputaturus elieboro se ante purgabat; Anaxagoras qui cum e diutina peregrinatione studiorum patriam repetisset. possessionesque desertas vidisset, non essem ego, inquit, salvus, nisi istae periissent; Socrates, cujus supra meminimus, qui aetate provecus, fidibus tractandis coepit operam dare, Sophocles et Simonides poetae. Imperatores vero industrii Themistocles, qui omnium civium suorum nomina memoria comprehendit, Cyrus qui cunctorum suorum militum nomina, Mithridates qui duarum et viginti gentium, quae sub regno ejus erant, linguas ediscendo, ille ut sine monitore exercitum salutaret, hic ut eos, quibus imperabat, sine interprete alloqui posset. Longa series adnotare de singulis memorabilia, et texere illustrium virorum operum indicem.

Sed ne forte reprehendere et arguere incipias me monachum et jam canescere incipientem, talia vel lectitare vel cogitare, scias, quod ego haec castra ingredior non tanquam desertor et transfuga, sed sicut explorator et spoliolum cupidus, si forte Madianitem rapere possim, quam pilis erasis et unguibus dissectis legitimo mihi valeam copulare matrimonio. Sed veniam ad nostros, quorum ingenia et studia mirari et laudare possumus, aequare et imitari non possumus. Cyprianus martyr et pontifex, Lactantius, Hilarius Pictaviensis, Ambrosius Mediolanensis, Hieronymus Ephraemus, Augustinus Hipponensis, Leo Magnus urbis Romanae episcopus et alii quamplures praecipui et clari viri, ingenio facili, copioso, suavi, et quae sermonis maxima est virtus, aperto, ut discernere nequeas utrumne ornatiores in eloquendo, an feliciores in explicando, an potentiores in persuadendo fuerint. Hi tamen cum in una et eadem fidei catholicae regula formati fuerint, quaedam scripserunt non solum diversa, sed etiam repugnantia, sicut Lactantius, qui Judaicam secutus novitatem, mille annorum fabulam introduxit, in quibus post resurrectionem ait Dominum in carne cum sanctis regnaturum. Cyprianus contraria sentit de rebaptizandis his, qui baptizati sunt ab haereticis; sed errorem suum sanguine expiavit. Ambrosius et Hieronymus de digamia sacerdotis opposita loquuntur, et suam quisque sententiam fortissima atque insolubili Scripturarum auctoritate tuetur. Augustinus et Hieronymus de eo quod Paulus Petro in faciem restitit, variis et dissonantibus scriptis longa contentione dissenserunt. Non ergo mirum si philosophi gentium doctrina litterarum mirabiles, cogitando ac disputando veritatis inquisitores, sed tamen invenicndi effectum minime assequentes, inter se et contra se discordaverint, si physici contra logicos et logici contra ethicos digladiati sunt, sed in physicis ac logicis disceptationibus et contrarietatibus venia concedi poterat, quia sive aliquid dicebant, ni-

hil proderant; sive delirabant, nihil nocebant. In moralibus vero nullus dissidio, nullus errori locus est, unum sentire omnes oportet, ipsamque philosophiam uno quasi ore præcipere, quia si quid fuerit erratum, vita omnis evertitur. In illa priori parte ut periculi minus, ita plus difficultatis est, quod obscura rerum ratio cogit diversa et varia cogitare. In hac sicut plus periculi, ita minus difficultatis, quod usus ipse rerum et quotidiana experientia possunt docere, quid sit melius et verius. Conclamant igitur adversum se scholæ, Epicurus contra Stoicam, Stoicus contra Peripateticum, Peripateticus adversus Academicum, et pro magistrorum acumine et inventis tota discipulorum turba decertat, et suis quisque munimentis præceptorum sensa et acta tuetur, et multiplicat. Atque in uno, quod est summum et principale, in quo totius sapientiæ cardo versatur, quantum dissenserint, advertite. Epicurus summum bonum in voluptate animi esse censet; Aristippus in voluptate corporis. Callipho et Inomachus Cyrenaici honestatem cum voluptate junxerunt. Diodorus in privatione doloris summum bonum ponit. Hieronymus in non dolendo; Peripatetici autem in bonis animi et corporis et fortunæ summum bonum fatentur; Hebilli summum bonum est scientia. Zenonis cum natura congruenter vivere. Quorumdam Stoicorum virtutem sequi. Hæ sunt fere omnes omnium sententiæ. In tanta diversitate quem sequeremur? cui crederemus? cum par esset omnium auctoritas, nisi venisset ille qui dixit: *Ego sum via, veritas et vita*; et: *Creditis in Deum, et in me credite.*

Hæc tam longo ambitu ad hoc dicta sunt, ut recte scribere, distincte legere, aperte pronuntiare, prædicamenta et sedes argumenti nosse, persuadere dictione, numerorum vim et naturam intelligere, harmoniam et intervalla discernere, abaco et gnomone et astralabio præcellere, complexionis et graduum connexiones judicare, parum vel nihil valere scias, si non cognoscatur, si non ametur Deus: quem si cognoverimus, si amando secuti fuerimus, et sequendo ad ipsum pervenerimus, cum omnia sciente omnia sciemus. Ibi rusticus et illitteratus et acute inveniet, et subtiliter judicabit, et copiose disseret. Et hæc est vera discendi via, quæ adesse ducit, quoniam quidem omne animal non esse formidat. Te igitur moneo, te hortor ut legas, et non negligas; legas libros, et non negligas mores. *Intellectus bonus omnibus facientibus eum, servus sciens voluntatem Domini sui et non faciens plagis vapulabit multis, potentes potenter tormenta patientur.* Argutias et sophisticas conclusiunculas, quas gualidicas, a quodam Gualone vocant, nec exercebis superbe, nec contempnes penitus. Hæc hujusmodi sunt: Quod non perdidisti habes, cornua autem non perdidisti, cornua ergo habes: Item: Mus syllaba est, syllaba autem caseum non rodit, ergo mus caseum non rodit. Mirabatur dominus noster Conradus rex ea, quæ a litteratis vafre

A dicebantur, et probari non posse hominem esse asinum aiebat. Jucundi eram in convivio et plerique nobiscum non illitterati. Dicebam ei hoc in rerum natura non posse fieri, sed ex concessione indeterminata nascens a vero mendacium falsa conclusione astringi. Cum non intelligeret ridiculo cum sophismate adorsus sum. Unum, inquam, habetis oculum? quod cum dedisset, duos, inquam, oculos habetis? quod cum absolute annuisset, unus, inquam, et duo tres sunt, ergo tres oculos habetis. Captus verbi cavillatione jurabat se tantum duos habere, multis tamen et his similibus determinare doctus, jucundam vitam dicebat habere litteratos. Cæterum fac ut hæc exsolvere non possimus, quod periculum aut quod incommodum nobis imminet? de justitia, de pietate, de frugalitate, de pudicitia utraque, et illa cui alieni corporis abstinentia est, et hac, cui sui cura est, disputatio neglecta dispendium parit, non agræ popularis amisso disputationis præconio, sed vitæ potius atque morum detrimento. Porro quod eloquentiæ mihi portionem aliquam tribuisti, judicium tuum amore illectum est ac deceptum.

Est enim res nec parvi temporis, nec exigui studii, nec modicæ exercitationis, scire vim et naturam animorum, excitare pigros, sistere currentes, et tanquam habenis potentibus circumflectere. Licet enim natura sit habilis et ad recipiendas quascunque formas mollis atque tractabilis, quamvis eruditor diligenter et copiose tradat, tamen si frequentis usus actio desit, quæ longe a claustris monachorum seclusa est, lumen a tenebris suffocatur, ignis a cinere non alitur, sed exstinguitur. Oportet oratorem et vinci et vincere, ut noverit se et suos et scuto protegere et gladio ferire. Lege Quintilianum de institutione oratoria, qui ab utero matris susceptum infantem limare incipit et formare in oratoris perfecti substantiam. Hæc vis atque potentia longius a nostra ætate recessit; quoniam omnis jurisdictio aut est ecclesiastica vel sæcularis. Et in foro quidem jus dicunt laici illitterati, optima interdum natura præditi, sed tamen in populo Germaniæ rara declamandi consuetudo; breviter et quasi per quædam puncta significandi potius quam explanandi usum fecit. Altera juris pars, quæ canonica vocatur, a viris litterarum doctissimis administratur, quibus in ore est lex Dei, ex qua audiunt: *Nolite judicare, ut non judicemini*, per quam discunt, quod apud Christianos miser est, non qui patitur, sed qui facit injuriam. In illo summi legislatoris edicto legunt: *Sit sermo vester: Est est; Non non*; quod autem his amplius est, a malo est. Et unus eximie illius curiæ orator dicit: *Amputa opprobrium, quod suspicatus sum.* Si ergo nec suspicionem, nec conjecturam, nec occasionem aliquid vel ad probandum, vel ad non probandum assumitur, restat simplex constitutio causæ. Fecisti? feci vel non feci. Ipsi gentilium disertissimi in suis definitionibus statuerunt, quod aliter censor loqui debet, aliter

rhetor. Rhetori concessum est sententiis uti falsis, audacibus, subdolis, captiosis, si verisimiles modo sint, et possunt ad medendos animos hominum qualicunque astu irrepere. Præterea turpe esse putant rhetori, si quid in mala causa destitutum atque impugnatum relinquat. Non ergo decet sanctum virum fide et gravitate præditum apud Christianorum aures tale quid dicere, quod verum non esse sibi atque omnibus videatur. Qui in causa canonica diserte agit, suæ potius gloriæ quam ipsius rei utilitati deservire putatur. Ariopagitæ castigatissimi Græciæ et Athenarum iudices neque proœmiis, neque epilogis quemquam uti permittebant, sed simplici et minime colorata narratione; sic omnia pene rhetorices fundamenta quassabantur.

Est tamen interdum in Ecclesia quædam rerum opportunitas, in qua dicendi artificium irreprehensibiliter exercetur, et maxime in prædicandi officio. In cujus gratiæ principatu, meo quidem iudicio, ponitur vir nostrorum temporum valde illustris Bernardus Clarævallensis abbas. Oratorem eum non immerito dixerim, qui a rhetoribus definitur: *Vir bonus dicendi peritus*. Siquidem vir ille bono longo eremi squalore et jejuniis ac pallore confectus, et in quamdam spiritualis formæ tenuitatem redactus, prius persuadet visus quam auditus. Optima ei a Deo concessa est natura, eruditio summa, industria incomparabilis, exercitium ingens, pronuntiatio aperta, gestus corporis ad omnem dicendi modum accommodatus. Non igitur mirum si potenti tantarum rerum virtute excitat dormientes, imo, ut plus dicam, mortuos, et Domino cooperante et sermonem confirmante alterat homines, et ad jugum Dei trahit captivos qui fuerant in curribus Pharaonis. Hunc tu vere dixisses eloquentem, qui non destruit opere quod prædicat ore, qui non est intus Nero, foris Cato. Quem si videas, doceris; si audias, instrueris; si sequare, perficeris. Et tu si gloria dicendi tangeris, elige unum quem sequaris, cujus eloquentia tuus animus permulceatur. Maximorum oratorum concors sententia est, ornatus et copiosius dici posse imitando eloquentes, quam artis præcepta sectando. Sed de his hactenus, ut scias quod nesciam. Laudasti mores meos non veritatis, sed benevolentiae ductus testimonio: sed si in cordis mei, quod parvum est et inscrutabile, domicilia fuisses introductus, et audires in iudicio mentis meæ, quando pro tribunali sedet ratio, cogitationum inter se accusantium gravissimos clamores et acerbis quæstiones, ubi nec tonsura, nec habitus, nec pallor, nec macies potest ferre suffragium, videres animal horribile, et omni monstro deformius. Ibi accusator tam forti quam veraci argumentatione intendit, ibi defensor aut nullus est, aut confitetur. Sed cave dixeris mores recta a natura profectos, quia omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est descendens a Patre luminum.

(118) Non modo Galli sed et Itali etiam in hujusmodi nominibus litteram G usurpant, unde et in

A Licet enim æstate conceptus, vere natus fuerim, quæ tempora secundum physicos tuos optimæ sunt complexionis, tamen gratia Dei sum id quod sum, et quotidie, ipso adjuvante, contendo fieri melior. Non est igitur genesis meæ et parentum meorum derivationis qualiter vivam, sed divinæ gratiæ, quæ prævenit et adjuvat, cui vocanti, quinimo trahenti, recalcitrare et reniti quasi ingratus non debeo. Uterinos certe habeo, in quibus Deus tantam suæ bonitatis non est dignatus exercere potentiam. Effers domum nostram præconiis, quæ quidem multo melior, quam dignus sim, sed inordinatio quam velim.

Tantâ est enim hujus temporis contumacia, tanta disciplinæ profligatio, ut non accipere, nedum sentire castigationem velit ulla familia, et fallit sæpe tanto tempore laudata sententiâ, ut pater familias, ita et domus ejus. Cæterum familia nostra arctior non est familia primi parentis Adæ, in qua frater fratris sanguine parricidali terram inebriavit, nec angustior familia Noe in arca, in qua fuit filius qui, derisa postmodum nuditate patris, filiorum propaginem in ipsa stirpe maledicto subjugavit; neque numerosior familia Salomonis, in qua fuit Adath Idumæus sui domini persecutor. Nonne in domo illius, a quo omnis sapientia est, fuit inter duodecim apostolos unus Judas proditor? nos vero interdum ut homines erramus, aliquando negligimus, aut victi rerum necessitate tacemus. Erant habitacula Corbeiensis abbatis angusta et ruinosa, nos ereximus nova et fortia, quæ suam multitudinem possint capere, Tullianum illud præ foribus et præ oculis habentes; non domo dominus, sed domino domus honestanda est. Inscriptum est nomen meum in superliminari australis januæ cum numero quotus sim in catalogo abbatum: quod feci, non ut evacuarem spem, quæ reposita est in sinu meo, sed ut docerem posteros, ne essent avari, sive profusi vel otiosi. Scriptum est ibi Græcis litteris illud de templo Apollinis: *Scito te ipsum*. Causaris quod in principio nominis mei tres vocales contra recte scribendi rationem conjunctæ sint, quarum duæ insertæ pro consonantibus ponuntur et nomen trisyllabum efficiunt. Tu putas id regulariter non posse fieri, et postulas ut prima nominis littera U vel separata vim vocalis, vel juncta sequenti et eidem vim consonantis obtineat, et nomen tetrasyllabum fiat. Verum scholastice: Si possunt in nomine proprio sive appellatorio duæ consonantes ante vocalem jungi, sicut gnato, gnavis, spiro, flores, fructus, cur duæ vocales loco consonantium positæ conglutinari et conflare non possint? sed ut me tua quæstione liberem, et vel iratus, vel placatus a mē recedas, latinis litteris barbara nomina stringi non possunt, et nos Germanici sumus non Galli Comati, qui in talibus nominibus (118) G pro U anteriori ponunt. Hæc, frater dilectissime, pro tuæ amicitiae intuitu, et pro accendendis fortius studiis tuis contra rigorem inepistolis quas ut abbas Casinensis dedit, Guibaldum non Wibaldum se inscribit.

stituti nostri jucundius ad te scripta sunt. Non timeo reprehensores, quia charitas benigna est, patientis est, omnia credit, omnia sustinet. Habui in memoria, dum hæc scriberem, quiddam, quod in libris eorum, qui facta vel dicta memorabilia conscripserunt, invenitur. Augusto Cæsari procedenti e palatio, Græculus quidam impertune solebat occurrere, porrigens ei laudum suarum quædam epigrammata. Offensus imperator hominis frequenti adulatione et intempestiva, ut erat litterarum amator et Græce sciens, aliquando prævenit Græcum, et epigramma, quod ipse in laudem ejus conscripserat, ad legendum ipsi porrexit. Quo decurso, Græcus exclamat, ingenium domini laudibus effert, demissaque in peram manu, assem, quem solum habebat, tulit: Tene, inquit, imperator, non secundum tuam, sed secundum meam fortunam. Qua volubilitate ingenii exhilaratus princeps, largior eum munere ditavit. Ego exemplum sequens pro binis laudationum tuarum schedulis plenam epistolam tibi remitto inter curas et multiplicēs labores dñarum noctium lucubratiunculis effusam.

EPISTOLA CXLVIII.

WIBALDI ABBATIS AD HARTWICUM BREMEMSEM
ARCHIEPISCOPUM.

Hartwicum archiepiscopum sibi iratum, eo quod in electione Bremensis antistitis electorum vota in Wibaldum conspirare visa sunt, sibi reconciliare conatur.

(Anno 1149.)

Reverendō domino H. venerabili Bremensis Ecclesie archiepiscopo, frater WIBALDUS Dei gratia id quod est in Ecclesia Catholica, exiguas orationes et devotum servitium.

Clericus noster Henricus de Kaminatâ quasdam petitiones nostras ad vestram sublimitatem a nobis missus pertulit, indè reversus narravit, quod adversus nos graviter essetis commotus, et coram multis gravem de nobis querimoniam fecissetis, insuper et minas in nos et nostros intentassetis. Quod nos credere nequaquam potuimus, quoniam conscientia nostra nobis veraciter attestatur, quod nec in verbo, nec in opere, contra personam et dignitatem vestram scienter quidquam egerimus. Et quia lex nostrâ non judicat quemquam, nisi prius audiatur, ex eo discretio vestra providere debuit, ut quoniam non exiguo amicitie vinculo devincti eramus, prius interrogaretis, et postmodum judicaretis. Siquidem, ut industria vestra bene recordatur, duo pacta inter nos contracta sunt, alterum divinum et alterum humanum. Et humanum quidem secundum jura et institutiones humanas solvi et immutari potest, ut videlicet qui hactenus noster homo et tanquam miles per hominagium fuistis, nunc dominus et Pater noster fieri incipiat. At vero contractus divini conventio valet in æternum, propter illum, qui in lege sua mandavit, ne assumamus nomen ejus in vanum, propter illum, qui juravit et non poenitebit eum. Unde et David: *Juravi*, inquit,

(119) Quam injusta sit ista criminatio constat ex epistola Wibaldi supra ad Guidonem, cardinalem, in qua commendat ipsi electum Bremensem:

A *et statui custodire.* Recordamini quod priusquam ad archiepiscopatus culmen ascendistis, litteras prudentiæ vestræ transmisimus, in quibus vos intimo affectu de quibusdam præmonere ac præmunire studuimus, in quibus si audire consilium nostrum placuisset, hodie Bremensis Ecclesia et vos pace meliori potiremini. Sed indignamini nobis, ut fertur, quod cum de electione Bremensis archiepiscopi, vacante tunc sede, ageretur, in nostram personam omnium fere vota se inclinarent (119). Nos in Ecclesia Bremensi nullum novimus præter personam vestram, et æquivocum vestrum, Hartvicum præpositum, et Erfonem præpositum, et Albertum canonicum. Cæterum nomina et facies ignoramus. Civitatem ipsam nunquam, nisi semel intravimus, et sero inclinata jam die venimus, et mane facto egressi sumus. Quando prædecessor vester bonæ memoriæ Albero archiepiscopus obiit, et vos ei successistis, eramus in Stabulensi monasterio, quod a Brema itinere dierum septem distat, omnium rerum, quæ ibi agebantur, ignari. A nobis nulla personam sollicitata est, nulla submissa. Nos in talem disceptationis aleam non libenter incidimus, ubi tam de natalibus quam de moribus subtilissime disputatur et frequentissime erratur. Atque infirmitatis nostræ et humilitatis bene conscii ad tantam rem et tam reverendam oportune gerendam nequaquam accedere præsumeremus, præcipue cum eadem Ecclesia prius dominæ gentium et princeps provinciarum tanquam vidua facta sit sub tributo, ad cujus contritiones sanandas, si vestra eruditio, prudentia, nobilitas et fortitudo non sufficiunt, desperandum potius ei erit, quam de alicujus hominis adjutorio confidendum. Abjecto itaque a vestri pectoris sinceritate totius suspicionis rancore, et depulsa omni detractorum fallacia, nos, qui in veritate vos diligimus, redamate, quoniam in eo, qui est veritas, vobis loquimur, quod contra vos in Ecclesia Romana nec litteras, nec sermonem aliquem direximus, imo ad vestræ dignitatis propectum omnibus modis subvenire parati sumus. Vestram vero discretionem intime rogamus, ut sicut dominus papa vestro prædecessori scripsit, nobis de parochianis et ministerialibus vestris, qui bona Kaminatensis Ecclesie invaserunt, justitiam faciatis, quibus nihil prorsus dedimus, vel concessimus, vel datum recognoscimus. Commendamus vestræ pietati latorem præsentium.

EPISTOLA CXLIX.

WIBALDI ABBATIS AD H. EPISCOPUM MINDENSEM.

Petit ut designet sibi tempus et locum quibus invicem convenire possint, res suas amice composituri.

(Anno 1149.)

Reverendo Patri suo et domino H. venerabili episcopo Mindensis Ecclesie frater WIBALDUS Dei gratia id quod est in Ecclesia Catholica exiguas orationes et devotum servitium.

Gratias referimus vestræ celsitudini quod per di-

lectum atrem nostrum magistrum C. et per litteras vestrae dilectionis exiguitatem nostram visitastis. Quia enim de verbo, quod est inter nos, solliciti fuimus, et sinceram inter nos esse dilectionem, quam alicujus discordiae nævum præoptaremus, proxime sicut paternitas vestra recordatur per fratrem nostrum C. litteras sinceritati vestrae direximus, in quibus hoc vestrae excellentiæ obtulimus, ut quoniam domini vestri episcopi Patherburnensis et Monasteriensis majoribus forsitan causis impediti, ad causæ nostræ compositionem venire distulerunt, nos vobis absque eis loco et tempore, quo vestrae dignationi complaceret, occurreremus. In hac petitione perseveramus, et ut diem et locum, quo vobis opportune et tute possimus occurrere, nobis designetis instanter postulamus. Parati enim sumus, sicut a principio vestrae commonitionis loqui consuevimus, innocentiam nostram in facto nostro vobis ostendere, quam sicubi minus valeamus demonstrare, tam vobis quam Ecclesiæ vestrae ad omnem justitiam volumus satisfacere, diem et locum quo apte et secure possimus venire in vestra ordinatione ponimus. Nam necessitatem et quas patimur angustias et partem periculorum nostrorum legatus vester oculata fide satis intellexit.

EPISTOLA CL.

WIBALDI ABBATIS AD ABBATEM S. GODEHARDI.

Excusat se quod abbatum Saxoniae conventui interesse non possit, hortaturque ut in eo causa abbatis Herseveldensis ventiletur.

(Anno 1149.)

Reverendo patri suo F. [Friderico] venerabili abbati Ecclesiæ beati Godehardi frater WIBALDUS Dei gratia id quod est in Ecclesia Catholica, exiguas orationes et devotum servitium.

Lætati sumus in hiis, quæ dicta sunt nobis, quod charissimi Patres et domini nostri abbates, videlicet Saxoniae convenire pariter (120) disponunt, et de his rebus pressius et studiosius tractare et ordinare, quæ ad vitæ nostræ correctionem et monasteriorum nostrorum disciplinam pertinere noscuntur. Cui sancto conventui nos omnium extremi famuli grata animo interesse desideraremus, et eorum aspectu atque colloquio diu desiderato perfrui, nisi quod quibusdam curis interpellantibus versus partes Lotharingiæ nunc avocamur. Aderit vobis Spiritus sanctus, et nos vobiscum mente consistentes ad effectum perducere curabimus, quæcunque ad decorem domus Dei eodem mediatore et auctore ordinaveritis. Inter cætera illi malo fortius occurrendum erit, quod Hersefeldenses monachi fratrem nostrum abbatem suum de claustro et de abbacia sua expulerint, et nullo in eum judiciaræ actionis ordine celebrato, prius exsulare et mendicare compel-

(120) Hic prima mentio congregationum seu capitulorum generalium abbatum ordinis S. Benedicti in Saxonia occurrit, qui eodem sæculo tempore Innocentii papæ II ea celebrare cœperant in Gallia, de quibus vide, si lubet, præfationem nostram ad tom. IV Anecd.

litur, quam delictum vel crimen suum cognoscere. Et quoniam vos misericordem esse non ignoramus, eo fiducialius benignitatem vestram rogamus, ut eum nostra et omnium confratrum nostrorum vice domino Bremensis archiepiscopo præsentetis, quatenus cum eo aut misericordiam agat, aut iudicium juxta canonum tramitem exercent. Orate pro nobis et commendate nos attente fratribus vestris.

EPISTOLA CLI.

WIBALDI ABBATIS AD B. ABBATEM S. MICHAELIS.

Gratulatur ei et ecclesiæ de sua electione.

(Anno 1149.)

Reverendo Patri B. [Borchardo] venerabili abbati Ecclesiæ (121) S. Michaelis, frater WIBALDUS Dei gratia id quod est in Ecclesia Catholica, exiguas orationes et devotum servitium.

Gratulamur plurimum et Ecclesiæ vestrae et personæ; Ecclesiæ cui Deus salutare provisionis adminiculum præstare dignatus est; personæ quod eam præordinatio congruis honorum propectibus sublimavit; quoniam et inhabilis persona loci sublimitate dehonestatur, et Ecclesia personæ humilitate non gravatur. Sed cum hæc persona illustrat Ecclesiam, et Ecclesia ornat personam, dulcis harmonia est et salutaris utique rei symphonia. Vestrae familiaritati arctius inhærere desideramus, et totum studiose perficere quidquid vestrae bonitati de nobis complacuerit.

EPISTOLA CL.

WIBALDI ABBATIS AD H. BREMENSEM ELECTUM.

Scribit in gratiam abbatis Herseveldensis, quem sui monachi ejecerant.

(Anno 1149.)

Reverendissimo Patri suo et domino H. [Hartvico] sanctæ Bremensis Ecclesiæ venerabili archiepiscopo electo, frater WIBALDUS Dei gratia id quod est in Ecclesia Catholica unguento jungi quod de capite descendit in barbam, barbam Aaron.

Veniens ad nos venerabilis frater noster A. Herseveldensis abbas multis fratribus et coabbatibus nostris, qui Corbeia convenerant, lacrymabiliter conquestus est, quod a monachis suis multis sit injuriis affectus, et tandem de monasterio suo per ipsorum violentiam expulsus, quod monasterium nunc a laico et illitterato, qui abbati suo hanc invidiam conflavit, contra sacræ regulæ auctoritatem regatur. Quam querimoniam cum ad pedes vestrae celsitudinis jam frequenter retulerit, non solum non est in sua necessitate adjutus, sed etiam adversarii tanto sunt præsumptionis spiritu animati, ut de ipso ad vicinas ecclesias quædam convitia et probra conscribant contemptores regulæ,

(121) Hildesheimensis ordinis S. Benedicti a S. Godehardo episcopo circa annum 1026 fundatæ, præterquam exstat et alia apud Hildesheim abbacia ejusdem ordinis S. Godehardi nomine insignita, ut supra observavimus.

quæ præcepit honorari abbates a monachis, etiamsi ipsi, quod absit! aliter agant; nec absque ipsorum consensu et voluntate epistolas dare vel accipere, atque ignari canonum, qui hujusmodi scripturas sub magna districtione interdiciunt, et auctoribus earum gravissimæ animadversionis pœnas imponunt. Vacant otio et ideo vociferantur, videntes festucam in oculo abbatis sui, et trabem in suo non considerantes. Reprehendunt abbatem quod insolentiam et temerariam loquacitatem monachi sui una alapa represserit, quod et nos laudandum non putamus, cum potuerit hæc præsumptio vehementius hora et disciplina regulari ad multorum correctionem vindicari. Sed abbatis intemperantiam tanto accusationis pondere exaggerant ipsi patientiæ et humilitatis atque obedientiæ immemores, et in quo ipsum reprehendunt, seipsos judicant, non reducentes ad memoriam, quod omnium monachorum pater et dux Benedictus inquietum monachum virga percusserit, nec sequentes Libertini monachi exemplum, de quo in primo Dialogorum B. Gregorii legitur, quod cum ab abbate suo per gravem iracundiam scabbello suppedaneo esset percussus, tumentemque ac lividam faciem haberet, non solum patienter tulit, sed et quærentibus unde sibi accidisset, tanta verborum moderatione respondit, ut nec Patris proderet vitium, nec falsitatis incurreret peccatum. Proinde nos ac per nos omnes fere Saxonie abbates vestram clementiam humiliter imploramus, ut quia scandalum hoc in principio vestræ ad regimen ecclesiasticum promotionis pullulare et erumpere præsumpsit, tanto id discretionis zelo corrigatis, ut Ecclesia Dei gaudeat se de vestra scientia, nobilitate ac potentia invenisse solatium, et in diebus vestri sacerdotii omnis præsumptio conculcetur, et justitia et veritas accipiat incrementum. Scienti legem loquor. Expulsi aut exspoliati rebus suis vocari ad causam nec judicari possunt, quoniam non est privilegium, quo exspoliari possint jam nudati. Cuncta vero quæ eis ablata sunt potestati eorum legibus redintegrentur, et postmodum non sub angusti temporis spatio ad causam dicendam vocentur, sed tantum temporis spatium eis plenam omnium rerum suarum potestatem habentibus indulgeatur, quantum exspoliati vel expulsi esse videntur. Quod vero dicitur, quod propter bonum pacis sit amotus, ne forte vehementius in eum sævirent monachi: avertat Deus hanc pacem, et hoc bonum ab Ecclesia sua, ut prælati propter hoc fugiant, ne subditi insaniant. Quin potius illi projiciendi sunt, et longe extra fines relegandi, qui abjecta propriæ professionis regula et sacrorum canonum institutis contra Patres armantur, et dum de uno ipsius excessu conqueruntur, scandalis mundum implere non verentur. Mittite Corbeiam illos fortissimos viros, qui adversus abbates suos prius agunt fustibus, quam rationibus; ante pugnis quam ver-

(122) Olim in turribus solebant patres nostri altare aliquod erigere, illudque S. Michaeli tanquam mo-

Abis; et tunc primum infamare per scripta incipiunt, cum de tota congregatione et abbacia expulerunt, ut sciant prophetam esse in Israel. Vestra igitur discretio, vestra pietas, quod per canones factura est, faciet per misericordiam, ac restituto abbate in rerum ac possessionis suæ integritate, ad pacem, si fieri potest, cuncta revocabit, vel certe judicum examine universa pensabit. Benedictus Deus qui dedit vobis in partibus illis omnia posse, quæcunque inspiraverit vobis velle, atque ideo bonum est ut subveniatis oppresso, ne forte desertus a misericordia et justitia supremi judicis clementiam cogatur implorare. De rebus vero Kaminatensi Ecclesiæ vestram benignitatem iterum atque iterum rogamus, ut quod vestro prædecessori Alberoni bonæ memoriæ archiepiscopo a domino papa tam verbis quam litteris injunctum est, vos in parochianos vestros, qui etiam vestri ministeriales et homines sunt, prosequi non dedignemini. Scripsimus pro causa vestra domino cancellario petente præposito vestro Hartwico, in quibus litteris nostræ circa vos devotionis affectus satis apparuit.

EPISTOLA CLIII.

CORBEIENSIVM MONACHORVM AD WIBALDVM ABBATEM

De quodam puero apud Kaminatam casu defuncto.

(Anno 1149.)

Charissimo domino suo et patri WIBALDO Corbeiensi abbati, fratres Corbeienses debitam obedientiam et devotam orationum perseverantiam.

Quod de aliquo tristic rei casu vestram paternitatem conturbare debemus, supra modum ipsi dolemus, sed quia congruum est, ut omnia vestræ scientiæ nuda et aperta sint, non absque magno cordis gemitu, quod pro peccatis nostris nuper apud Kaminatam accidit ex permissione Dei, vestræ prudentiæ notum faciamus. Duodecimo Kal. Maii quidam de pueris nostris scholaribus Herimannus, cognatus fratris nostri H. senioris, cum alio puero super tectum ecclesiæ Kaminatensis, quod noviter tegitur, ascenderat, fratribus nostris nescientibus, et accidente casu ac supremo fastigio tecti per laquear in pavementum decidit, et statim ibidem exspiravit, et mortuus elatus est. Locus autem ruinæ in aquilonari abside fuit juxta altare sancti Dionysii, ubi, cum diligenter quæsitum esset, inveniri non potuit, quod ecclesia sanguine illius polluta sit. Corpus defuncti ad Novale apud Sanctam Mariam sepultum est. Fratres Kaminatenses postea divinum officium in ecclesia non cebraverunt. Super hac re mandatum vestrum exspectamus. Nec hoc lateat discretionem vestram, quod apud Kaminatam in turri (122) singularis ecclesiæ dedicatio est, ubi, si liceat divina celebrari, prudentia vestra discernat.

nasterii tutelari consecrare, ut multis exemplis demonstrari potest.

EPISTOLA CLIV.

[WIBALDI ABBATIS AD SUOS CORBEIENSES.]

Consolatur eos de obitu fratris apud Kaminatam defuncti.

(Anno 1149.)

WIBALDUS Dei gratia Corbeiensis abbas, dilectis in Christo fratribus et filiis Corbeiensibus benedictionem et vitam usque in sæculum.

Mœstos vos esse et afflictos animo super interitu pueri vestri et fratris H. litteræ vestræ ad nos transmissæ patēfecerunt. Sed si recordemini, quod ipsum caput nostrum ipsum Creatorem et Redemptorem nostrum, ipsum mundi totius et omnium rerum dominum princeps invidiæ diabolus de pinnaculo templi præcipitare noxia persuasione voluit; si scriptum recolitis, quod omnes qui pie volunt vivere in Christo persecutionem patiuntur; si memoria tenetis quod, cum immundus spiritus a sua fuerit habitatione expulsus, revertitur assumptis secum septem nequioribus se, facile contemnere poteritis oblatrantis vulgi vana judicia; et solidata in Deum spe certissima ad emundationem et restaurationem Kaminatensis Ecclesiæ studiosius intendere. Succurrere debuit dolori vestro et animi molestias detergere, quod de sacratissimo Patre nostro Benedicto legitur quod, cum in arce Casinensis castri idolum Apollinis contrivisset, et ara subversa, lucisque succisis, oratoria beatorum Joannis et Martini construxisset, dæmon ejusdem loci habitator, cœpit in virum sanctum horrendis vocibus infremere, et fratres ipsius tum saxi pondere, tum phantastico coquinæ incendio, multis fatigationibus illudere, tum etiam pueruli monachi contritione, nec non senioris cujusdam, in quem ingressus erat, vexatione, eos a loci purgatione, et a sancta ibidem conversatione detestabili artis suæ ludibrio deterrere. Non itaque vos deterreant aniles fabulæ, sed confidentes de misericordia Dei et ipsius protectione, firmate in Kaminatensi Ecclesia religionem, quæ ante nostrum ibi adventum prorsus deperierat, purgate et locum et animas a dæmonum contubernio, et observate diligenter ipsorum versutias. Sane sumptis litteris nostris, quas ad vos destinavimus, præsentiam domini et Patris nostri Mindensis episcopi adhibitis, et super reconciliatione ejusdem Ecclesiæ, quam pollutam fratris nostri casu et morte judicat, misericordiam ipsius implorate. Ad quam legationem peragendam nos præpositum A. et camerarium R. designamus. Quod si turris Kaminatensis ecclesiæ seorsum a cætero corpore templi alia Kalendarum die dedicata fuerit, fratres nostri secure poterunt in ea divina celebrare mysteria.

EPISTOLA CLV.

[WIBALDI ABBATIS AD EPISCOPUM MINDENSEM.]

Ut ecclesiam Kaminatensem reconciliare dignetur.

(Anno 1149.)

Reverendo Patri suo et domino H. venerabili

A Mindensis Ecclesiæ episcopo, WIBALDUS Dei gratia id quod est in Ecclesia Catholica, exiguas orationes et devotum servitium.

Fratres nostri dum juxta mandatū domini papæ, et domini regis ad restauratiōnem Kaminatensis ecclesiæ laborant, ab inimico totius salutis tentati et exacerbati fuerunt. Nam quidam puer monachus de culmine templi, cui tunc retegendo insistebant, lapsus in pavimento ecclesiæ collisus exspiravit, nullo tamen cruore effuso. Unde advoluti animo pedibus vestræ sinceritatis rogamus, ut pro reverentia domini papæ, et pro honore domini regis et regni, juxta discretionem vobis a Deo concessam provideatis, ne locus ille divinis pro hoc officiis privetur. Dolemus valde quod desiderato et toties expetito colloquio vestro frui non potuimus, cum vobis in veritate servire et vos honorare parati sumus.

EPISTOLA CLVI.

[WIBALDI ABBATIS AD SUOS MALMUNDARIENSES.]

De quodam fratre inordinato, qui abjecto monachi habitu exiverat.

(Anno 1149.)

Frater WIBALDUS Dei gratia Stabulensis Ecclesiæ servus, dilectis in Christo fratribus et filiis Malmundariensibus monachis, benedictionem et vitam usque in sæculum.

Venientem ad nos fratrem nostrum quondam Liebertum benigne, prout licuit, suscepimus. Quem cum coram fratribus et his quibus nos et Ecclesiam sæpius offenderat, paterne satis pro tempore et re increpavissemus, injunximus ei pro pœna, si tamen pœna dici possit, ut nobiscum apud Stabulaus more fraterno maneret, donec inspecta ejus humilitate, quid agendum esset, Deo auctore, videremus. Non solum non acquievit, sed in furiam, et in eam, qua arreptitii feruntur, vesaniam conversus, cultellos et arma, quibus se et nos interimeret, quærere, desperationis verba ore sacrilego promere, symbolo, id est, *Credo in Deum*, derogare, et quod nunquam amplius Deum invocaret, sæviens et seipsum dilanians dicere inceptit. Hujus igitur desperati hominis et ante altare beati Remacli propter ecclesiam violandam se occidere attentantis, incendiumque monasterio minitantis insaniam non ferentes fratres nostri, nos, qui, data sententia, conventum exieramus, adierunt, nostrum super tam detestabili homine consilium non sine dolore et lacrymis flagitantes. Nos capto cum prioribus nostris consilio, facto tabulæ sonitu, quippe jam missa major cantata erat, capitulum intravimus. Quæsivimus ab eo utrum, post rebellionis ejus acceptam injuriam, obediens nobis et sanctæ Regulæ vellet esse; cum persisteret dicendo se personam suam velle omnibus modis a nobis alienare, nos etiam optionem proposuimus, ut aut juxta monachorum instituta nobis obediret, aut deposito religionis habitu a nobis et a monasterio

suo nunquam reversurus recederet. Et hoc quidem fecimus secundum duritiam cordis ejus, metuentes ne forte in profundum desperationis et in suæ necis appetitum mergeretur, malentes eum utcumque vivere, quam vitam impœnienti animo finire. Ipse vero nihil cunctatus, sed quasi gaudens, quippe quem nequam spiritus jam mente invaserat, abjecto monachali habitu, hilaris et ridens exivit, cum nos in maximo timore pro ipsius animæ interitu dimitteret. Et nos quidem de nostris peccatis iram Dei plurimum metuentes, et nihil in hoc mundo temere judicantes, pio tamen et Catholico sensu nos intelligere credimus, quod ob blasphemiam, quam in Deum semper habuit, et ob invidiam et maledicta atque probra quibus serenissimum confessorem Christi atque pontificem Remaclum insectatus est, et propter fratrum odium et semina scandali, quæ inter duo loca, Stabulaus videlicet et Malmundarium singulari charitatis glutino conjuncta spargere non cessavit in hanc mentis cæcitatem et pertinaciæ laqueum prolapsus est, sicut de Juda traditore legimus, qui post venditum Dominum abiens laqueo se suspendit. De quo universitati vestræ mandamus, et in virtute sancti Spiritus per verbum sacræ obedientiæ præcipimus ut eum neque colloquio, neque consilio, neque auxilio intus sive foris foveatis, sed ipsum tanquam Christianæ communionis extorem et totius obedientiæ ac religionis eversorem devitare ac persequi cum omni veritate et instantia studeatis.

EPISTOLA CLVII.

WIBALDI ABBATIS AD WALTERIUM MONACHUM.

Walterium monachum improbum de multis arguit criminibus.

(Anno 1149.)

WIBALDUS Dei gratia Corbeiensis abbas, fratri WALTERIO concipere spiritum timoris Domini, parturire humilitatem, parere obedientiam.

Multa sæpe et gravia de tua conversatione ad nos referuntur, tam a fratribus, cum quibus habitas, quam a laicis honestis, qui dolent nomen Dei propter te blasphemari inter sæculares, nostramque personam lædi et Corbeiense monasterium infamari, et totum monachorum ordinem per te vilem fieri. Super quo frequenter a nobis affectione paterna commonitus, resipiscere nequaquam voluisti, sed retribuens mala pro bonis, sterilitatem animæ nostræ, maledicta et execrationes tuis correctoribus rependis. Audivimus enim de te rem insanix junctam, imo vero sacrilegio et detestatione plenam, quod videlicet quotidiano desperationis furore accensus missam de sancta Trinitate sine intermissione celebres, sub hoc cæcatæ mentis proposito, ut tam nostra persona quam tuus præpositus per hoc tam in temporali prosperitate, quam in corporum nostrorum valetudine acerbius lædamur. O hominem omni lacrymarum imbre descendum, qui de fide perfidiam facit, de

A pietate sacrilegium, de religione idololatriam! Summa illa et gloriosa atque ineffabilis Trinitas, a quibus digne et laudabiliter invocatur, ad seipsam obtinendam et habendam invocatur, ut ejus visione perfruantur, qui invocant nomen ejus, et ab illa inter mundi hujus adversa et prospera gubernentur, a qua se recognoscunt conditos, et a morte sempiterna per Jesum Christum liberatos. Hoc nomen invocetur super nos quod non perdit innoxios, nec salvat nocentes; invocetur, inquam, non obdurati cordis et infidelis oris alloquio, sed innocentiae et puritatis obsequio. Præterea non dissimilem impietatis errorem incurrisse argueris, in eo scilicet, quod mercatorem quemdam sæcularibus et tibi prohibitis commerciis socium et amicum anathematizaveris. Soles enim tractatis recenter vivificis sacramentis extra ecclesiam in cœmeterium fratrum exire, ut inde possis oppidum Horenhusen, quod in valle situm est, despiciere, et contemplata domo tui sodalis, ipsum et uxorem et liberos excommunicare. Quis te constituit principem populi? cum ad presbyterii gradum ascendisti, potestatem accepisti consecrandi corpus et sanguinem Dei, non potestatem ligandi atque solvendi. Hanc potestatem accepit Ecclesia Catholica cum beato Petro, sed non est diffusa in omnes, qui sacerdotali officio funguntur, sed eis tantum collata, qui ad curæ spiritualis administrationem eliguntur. Nonne cum talia agis Balaam prophetæ recordaris, qui ad maledicendum populo Dei ascendit in montem, et cæcatus avaritiæ tenebris toties prohibitus, dum pertinaciter maledicere desiderat, copiosæ benedictionis munus cum gratia prophetiæ contulit? si benedicitis cum maledicere putatis, et convertitur in vos maledictio, et transit ad proximum benedictio. Vidimus in quibusdam illud Psalmistæ adimpletum: *Priusquam humiliarer ego deliqui*, et quos lascivitiis lubricum carnis evertibat, facti subjectiores et ad omnem obsequii et patientiæ cultum promptiores recompensabant modeste serviendo et mores aliorum sustinendo, quidquid dispendii lapsu carnis commiserant: Tu non audis David dicentem: *Nolite fieri sicut equus et mulus*. Sed peccatum tuum sicut Sodoma prædicas et non abscondis et, quod pessimum est, mentiando, jurando et detestando fratrum animos offendis. Dicetis etiam quosdam characteres habere, et illos ad quædam præstigia et diabolicas incantationes atque usus improbos conscribere, quibus ne gentilium quidem ullus doctus et honestus fidem accommodare voluit. Cum ad cognoscendum hæc et alia quædam, super quibus in te et nos tota clamat provincia, secundum priorem monasterii nostri fratrem videlicet Isiconem Ersborch misissemus, fratres omnes tam illiterati, quam literati, sorores Deo dicatæ et reliqua cellæ familia concurs contra te tulerunt testimonium; sed tu impudentia, qua omnes vincis, cunctis resistebas, non vera dicendo, sed cunctis convitiando. Et nunc quoniam clamor

tuus quotidie ascendit, per verbum sanctæ obedientiæ tibi præcipimus ut ab altaris et missæ officio abstineas, et ut de quatuor parietibus claustrum passum pedis non exeas, et cum laicis et sæcularibus personis colloquium per te vel per submissam personam non habeas, donec obedientia et humilitate tua cognita, quid agendum sit, Deo auctore, provideamus. Quod si nostri mandati quod ex communi fratrum sententia injungimus, contemptor et prævaricator exstiteris, scias pro certo omnem cellæ illius habitationem et reditum ad nos vel monasterii nostri domicilia penitus interdicti.

EPISTOLA CLVIII.

WIBALDI ABBATIS AD SUOS CORBEIENSES.

De H. et A. ministerialibus Corbeiensis monasterii in ejus gratiam receptis.

(Anno 1449.)

Frater WIBALDUS Dei gratia Corbeiensis abbas dilectis in Christo fratribus et filiis Corbeiensibus monachis benedictionem et vitam usque in sæculum.

Venientes ad nos Stabulaus ministeriales Corbeiensis Ecclesiæ H. et A. qui, ut nostis, equos nostros apud Corbeiam furati fuerunt, se more gentis suæ evaginatis gladiis in maximo populi conventu nostræ misericordiæ dederunt. Qua humilitate et insolito ensium spectaculo, nec non labore longioris viæ super ipsos miserando permoti, Stabulenses nostri tam fratres, qui omnes in ecclesia præsentibus aderant, quam ministeriales Ecclesiæ nostræ, quorum maxima pars alia de causa ad nos ea die convenerat, cum ingenti precum instantia apud nos licet invitos et renitentes effecerunt, ut eos in gratiam reciperemus, et tam de eorum peccato quam de pœna et satisfactione ex consilio et sententia vestra et ministerialium Corbeiensis Ecclesiæ diffiniremus. Eapropter scripsimus domino nostro Patherbur-nensi, ut eos ab excommunicationis vinculo, quo innodati erant, sub prædictæ conditionis firmitate absolvat, et usque ad reditum nostrum ad vos pacem in terra habere permittat.

EPISTOLA CLIX.

G. ABBATIS SOLEMNIACENSIS AD WIBALDUM ABBATEM.

Ut pro Solemniacensibus gratias agant S. Remaclo qui eos a tribulationibus eripuit.

(Anno 1449.)

Charissimo nostro et cum omni reverentia nominando GUIBALDO (125) domino abbati S. Remaclo de Arduenna G. (124) suus abbas Sancti Petri Solemniaci (125) ire de virtute in virtutem et videre Deum deorum in Sion.

Ante omnia charissimi petimus, quatenus communi Patri nostro sancto Remaclo gratias agere et preces pariter fundere ut filii domestici pro nobis

(125) Supra observat Wibaldus Gallos nomen suum incipere a littera G; e contrario Germanos a littera V.

(124) Geraldus de Terrazo, qui anno 1137 interfuit funeri Eustorgii episcopi Lemovicensis, vixitque usque ad tempora Anastasii papæ IV, a quo privile-

A fratribus vestris dignemini. Gratias, inquam, quia nos, opitulante Deo, de magnis tribulationibus pius Pater erutos in magna pace ad præsens constituit, preces etiam nihilominus fundere, quatenus sicut hactenus bene consuevit, patrocinari nobis usque in æternum non desinat. De vestris autem necessitatibus scire volumus, quomodo erga vos pius Pater et patronus operetur et opituletur. Valet, fratres et domini.

EPISTOLA CLX

WIBALDI ABBATIS AD SOLEMNIACENSES.

Respondet ad præcedentem.

Reverendo Patri suo et domino G. sanctæ Solemniacensis Ecclesiæ venerabili abbati et fratribus ibidem Deo militantibus frater GUIBALDUS Dei gratia ecclesiæ Beati Remaclo servus, quæ est in Stabulaus, salutem in eo qui mandat salutes Jacob.

Litteræ vestræ ad nos per pueros perlatae vestræ prosperitatis et sospitatis indices fuerunt, quæ tanto propensiore gaudio repleverunt, quanto per ipsas fuimus certiores, quod fides vestra, quæ per dilectionem operatur, firmissime tenet et nullatenus dubitat, omne datum optimum et omne donum perfectum desursum esse et a Patre luminum descendere. Levastis si quidem oculos vestros in montes, unde venit auxilium vobis, quando religiose de communis Patris et patroni nostri sanctissimi videlicet confessoris Christi Remaclo meritis cogitantes, ejus patrocinio estis assecuti quod communia peccata præpedire videbantur. Et licet eruditio vestra et devotio abunde intelligat eisdem studiis conservandam prosperitatem, quibus eam adepti estis, tamen vestra sollicitudo non arbitratur esse otiosum, si et vos filii et intimo affectu commoneamus, et vos in id ipsum supplicibus votis adjuvemus. Nam vestra prosperitas nostra est, et in tantum sunt nobis omnia vobiscum communia, ut nihil alienum, nihil segregatum judicemus, nisi quantum intervallis locorum, quibus valde invidemus, spatio longiore distamus. Et quoniam de rerum nostrarum habitudine pia vos animi anxietas permovet, sciat vestra sinceritas, quod in labore hominum sumus, et cum hominibus flagellamur, quia tantarum et tam remotarum rerum procuratores nunquam vel raro absque vexatione tempus prætereire possumus. Cæterum res nostras Deo propitio per merita et intercessionem venerandi pastoris et patroni nostri Remaclo moderante, summa rerum salva est, licet de partibus aliquantum depereat. Nosque in persona sani et incolumes sumus, et vestri in veritate amatores. Remittetis nobis circa tempus autumnale cæcum vestrum latorem præsentium, cui etiam ductorem viæ præbebitis, et per ipsum nobis quatuor curiam obtinuit.

(125) Solemniacense monasterium olim insigne a S. Eligio fundatum duabus infra Lemovicæ leucis situm, ejus primus abbas exstitit S. Remaclo, qui postea Stabulensis et Malmundariensis monasteriorum fundamenta jecit.

niculos, duos videlicet mares et duas feminas mit-
tetis.

EPISTOLA CLXI.

WIBALDI ABBATIS AD H. TRAJECTENSEM EPISCOPUM.

De providendo pastori Ecclesiæ de Lienward.

(Anno 1149.)

Reverendo Patri suo et domino H. (126) venerabili sanctæ Trajectensis Ecclesiæ episcopo, frater WIBALDUS. Dei gratia id quod est in Ecclesia catholica, exiguas orationes et devotum servitium:

Sicut vestræ celsitudini jam ante suggestimus, clericis qui Ecclesiam de Lienward tenuerunt, et præbendam et beneficium abjudicari fecimus propter tria capitula, quorum singula poterant esse peremptoria. Primo quod donum altaris et curam animarum a vobis suscipere neglexerunt, unde eadem Ecclesia, quæ est Corbeiensis Ecclesiæ possessio, in jus vobis proprietarium adjudicata est, sed per gratiam et misericordiam vestram nobis et monasterio nostro omni cum integritate restituta est. Secundo quod censum ex antiquo jure debitum jam per biennium solvere neglexerunt. Tertio quod decurso jam nostræ prælationis apud Corbeiam trium fere annorum spatio neque ad nos venerunt, nec debitam reverentiam et honorem exhibuerunt. Quæ cum ita sint, misimus ad pedes vestræ sanctitatis Corbeiensis Ecclesiæ camerarium, sub tali discretæ moderationis mandato, ut, quoniam personam vobis exhibere, quæ curam ejusdem Ecclesiæ susciperet, præcepistis, si favor vester circa aliquam personam inclinatur, eam vobis ex nostra, salvo jure nostro et censu Ecclesiæ, præsentare debeat, quæ quidem persona, licet sola curam accipiat, tamen in quarta parte præbendæ a vobis ordinabitur. Quod si etiam de tribus reliquis præbendis vestræ discretionis placuerit, ut aliqua persona vobis grata investiat, etiam in hæc vestræ voluntati libenter obtemperabimus. Si vero nulla de amicis vestris ordinandis vobis voluntas exstat, personam, quam ei ex nomine designavimus, vobis præsentabit. Ad cumulandum quoque beneficium, quod nobis liberaliter impendistis, et ad promerendum cumulativè nostræ servitutis augmentum, quod bono inchoastis principio, sine optimo terminetis et nos de amico vobis amicissimum faciatis.

EPISTOLA CLXII.

CONRADI IMPERATORIS AD WIBALDUM

Laudat ejus fidelitatem, significatque se in octava Pentecostes pervenisse Ratisbonam.

(Anno 1149.)

CONRADUS Dei gratia Romanorum rex augustus, WIBALDUM dilecto suo venerabili Chorbegensis Ecclesiæ abbati, gratiam suam et omne bonum.

Quia inter universos regni nostri principes nullus est repertus, qui fidelius vel nobis vel filio nostro pro posse suo post discessum nostrum astiterit, specialiter fidelitati tuæ tam factis quam verbis gra-

(126) Heriberto seu Ardeberto dicto de Beren ex loco originis in Frisia, qui Andreæ de Cuick episcopo Trajectensi ad Rhenum successit.

tes referre intendimus. Scire itaque te volumus, sanos et bene valentes in octava Pentecostes Ratisbonam pervenisse, quia id maxime te desiderare cognovimus.

EPISTOLA CLXIII.

WIBALDI AD CONRADUM IMPERATOREM:

Congratulatur ei de reditu e sacra expeditione, hortatur ut injuste oppressos adjuvet, et conqueritur de episcopo Mindensi.

(Anno 1149.)

Inclyto triumphatori a Deo coronato et exaltato serenissimo domino suo CONRADO Romanorum imperatori augusto, F. WIBALDUS Dei et vestra id quod est in Ecclesia Catholica, salutem in eo qui dat salutem regibus.

B. Sicut infidelium mentes de insperato adventu vestro nimium consternatæ sunt, ita fidelium vestrorum animi tanto cælestis muneris beneficio plurimum sunt exhilarati. In quorum numero nostra parvitas non immerito aggregata tanto exultat gaudio, ut cum propheta Jacob dicere possimus: *Sufficit mihi, vadam et videbo Dominum meum.* Et nos quidem qui semper animo et oratione atque fide vobiscum fuimus, jam in ipso imperii vestri ingressu corporali præsentia vobis occurrissemus, nisi rapinæ et incendia quotidianis pressuris Lotharingiam et præcipue miseram Arduennam affligerent, in qua miseriarum dimicatione, tanquam in acie succinctos acerba necessitas nos stare compellit. Et, quoniam desideranti vos et jam fere labenti patriæ divina pietas sanum et incolumem restituit, porrigite salutarem dexteram oppressis, sublevate pupillos, defendite viduas, subvenite Catholicæ Ecclesiæ, quod tanto nunc potentius atque efficacius complere poteritis, quanto excellentiam vestram cælestis majestas mirabilibus et inopinatis triumphis per incredibiles labores et extrema pericula sua clementi protectione provexit. Virtus vestra et industria per Dei potentiam alte terribilem vos inimicis effecerunt: unde et mora abjicienda est, et dum cuncta pavent, utendum est ratione temporis, et curvanda sunt quæ jam flecti cœperunt et ante corda rebellium percellenda, quam convalescere a metu incipiant. Conquerimur autem serenitati vestræ, quod Mindensis episcopus plurimum nos gravat, et hactenus impedivit de his rebus, quas Corbeiensis Ecclesiæ attribuistis, Kaminatam videlicet et Visbick, et in Kaminata quidem, ubi fratres nostros jussu vestro ordinavimus, divinum officium celebrari prohibuit, de ejus possessione mediam fere partem amisimus. In loco vero Visbick nunquam intravimus, nec passum pedis de tota possessione ibi pertinente adhuc obtinuimus, prohibente hoc Mindensi episcopo et comite Adulpho de Scowenborch, ubi etiam ipse Mindensis episcopus res monasterii per fratres Cappenbergenses ordinavit. Pro qua re Corbeienses, qui vobis de pecunia jura-

verant, solvere. tota Ecclesia reclamante, non potuerunt. Quantas vero adversitates et quantas expensas pro eisdem locis sustinuerimus, plenius suo tempore vestrae clementiae genibus affusi referemus. Et nunc quantum vestra majestas dignabitur, et quantum nostra mediocritas sustinere valet, de statu vestro et regni nobis fidelibus vestris significare non abnuatis. Victorem vos et incolumem conservet omnipotens Deus.

EPISTOLA CLXIV.

EUGENII PAPAE III AD CONRADUM IMPERATOREM.

Consolatur de infelici expeditionis Hierosolymitanae exitu, mittitque ad eum nuntios, cupiens de ipsius statu informari.

(Anno 1149.)

EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei charissimo in Christo filio CONRADO illustri Romanorum regi, salutem et apostolicam benedictionem.

Cum in hoc mundo cuncta mutabilitatis ordo corrumpat, etc. *Vide in Eugenio papa III, ad an. 1153.*

EPISTOLA CLXV.

G. CARDINALIS AD WIBALDUM ABBATEM.

Mandat ut ad se veniat ipsius consilio usurum.

(Anno 1149.)

G. (127) Dei gratia sanctae Romanae Ecclesiae diaconus cardinalis et apostolicae sedis legatus, venerabili fratri WIBALDO abbati Stabulensi, salutem et dilectionem.

Fraternitati vestrae praesentibus scriptis notificare decrevimus, quod peracta legatione domini papae in Polonia ad partes Saxoniae devenimus, ibique pro complenda legatione ejusdem domini nostri de constitutione episcoporum in Leutitia, seu etiam pro negotio ducis Lotharii quod vobis non exstat incognitum, moram necessario facimus. Quia vero in utroque negotio vestro auxilio seu consilio summo pere indigemus, fraternitatem vestram attente rogamus, atque ex parte domini papae et domini cancellarii vobis mandamus, quatenus, his susceptis litteris, omni occasione ac dilatione postposita, ad nos veniatis, ut in praedictis negotiis, sicut oportet, et dominus papa confidit, assistere valeatis.

EPISTOLA CLXVI.

WIBALDI ABBATIS AD G. CARDINALEM.

Respondet ad praecedentem.

(Anno 1149.)

Reverendo Patri suo et domino G. venerabili sanctae Romanae Ecclesiae diacono cardinali apostolicae sedis legato, F. WIBALDUS Dei gratia id quod est in Ecclesia Catholica, exiguas orationes et devotum servitium.

Postquam de transitu vestro in Poloniam vera relatione comperimus, longo tempore apud Corbeianum in ea expectatione solliciti atque suspensi fuimus, ut in reditu vestro competenter vobis occurrere possemus, et tam devotum quam debitum tum in perso-

(127) Forte Gregorius diaconus cardinalis ab Eugenio III creatus, atque ab eo in Germaniam legatus missus.

na tum in rebus obsequium pro reverentia domini papae et domini cancellarii, et pro vestrae personae honorificentia, cum omni fide et sinceritate exhiberemus. Sed quoniam crebra mala, quae Lotharingiam et praecipue Arduennam nostram assiduis praedis atque rapinis et incendiis affligunt, nos illae transire compulerint, et quotidianis pressuris tanquam in acie dimicantes implicitos tenent, multum ex animo dolemus, quod ad vestrae jussionis mandatum vestrae sublimitati occurrere tam longe positi non valemus, praecipue cum vestris sollicitudinibus desit cooperator episcopus Anselmus, in cujus prudentia et fideli consilio plurimum posset iuncti vestra discretio. Praeterea dominus noster rex Romanorum Conradus Ratisbonam in octava Pentecostes perveniens, misit nobis legatos cum litteris, praecipiens ut in martyrio apostolorum Petri et Pauli sibi absque ullo dilationis impedimento praesentiam nostram exhiberemus. Missimus vero ad vestrae excellentiae pedes procuratores nostros, quibus confidenter imperabitis, ut juxta beneplacitum vestrum de rebus nostris vestris opportunitatibus subveniant. Vestra vero bonitas, sicut de vobis et de tota Romana Ecclesia confidimus, necessarium eis patrocinium non denegabit.

EPISTOLA CLXVII.

CONRADI IMPERATORIS AD H. MINDENSEM EPISCOPIUM.

Arguit eum quod fratres Corbeienses vexat.

(Anno 1149.)

CONRADUS Dei gratia Romanorum rex, H. venerabili Mindensi episcopo, gratiam suam et omne bonum.

Perlata est ad nos querela fidelis nostri Corbeiensis abbatis, quod de duobus monasteriis in episcopatu tuo sitis, Kaminata videlicet et Visbich, quae nos Corbeienti monasterio tam consilio quam iudicio principum contulimus, magnum impedimentum attuleris, et saepe multumque rogatus Ecclesiam, quae ruina cujusdam pueri monachi polluta dicitur, reconciliare neglexeris. In quo discretio tua diligenter debet perpendere, quid sacerdotalis officii sollicitudo in hujusmodi casu debuit exhibere. Debit enim discretio tua intelligere, quod de regalibus nostris sicut tua Ecclesia sublimata et dotata est, ita et Corbeiensem Ecclesiam de regni proprietate potuimus honorare. Proinde discretioni tuae per praesentia scripta mandamus ut de caetero a vexatione praedicti Corbeiensis abbatis et rerum monasterii ipsius omnino, sicut nos diligis, abstineas, et praedictam Ecclesiam reconciliare non differas. Nos enim divinae religionis intuitu, et monitu ac petitione reverendi Patris nostri papae Eugenii, praedicta loca divinis obsequiis mancipare studuimus; de quorum turpi et infamissima conversatione non solum eadem provincia, sed etiam regnum nostrum offendebatur: in qua sacra ordinis refor-

matione tuam plurimum decet cooperari moderatam.

EPISTOLA CLXVIII.

WIBALDI ABBATIS AD H. MINDENSEM EPISCOPUM.

Causatur de eo quod Kaminatensem Ecclesiam non reconciliaverit.

(Anno 1149.)

Reverendo Patri suo et domino H. venerabili sanctæ Mindensis Ecclesiæ episcopo, frater Wibal-
dus Dei gratia id quod est in Ecclesia Catholica, exi-
guas orationes et devotum servitium.

Frequenter excellentiam vestram per litteras et
per nuntios rogavimus ut Ecclesiæ de Kaminata re-
conciliationis officium, quo indigere dicitur, impen-
deretis, sed peccatis nostris facientibus, non solum
impetrare rogata non potuimus, sed etiam graviori-
bus responsis, ut accepimus, molestati fuimus. Nunc
vero ad nostræ petitionis munimentum etiam domini
nostri regis Conradi intercessionem adjunximus,
cum tamen nostris meritis potius, quam majori pa-
trocinio vellemus apud vestram celsitudinem niti.
Volumus autem vestram sinceritatem non latere,
quod Corbeiensis Ecclesia per privilegia Romano-
rum pontificum hanc dignitatis prærogativam obti-
nuit, ut si diocesanus episcopus, quod sui officii
est, implere negaverit, ab alio Catholico episcopo
obtinere et libere uti possit. Nos vobis debitam re-
verentiam exhibuimus, et de cætero servire parati
sumus.

EPISTOLA CLXIX.

CONRADI IMPERATORIS AD WIBALDUM ABBATEM.

Redux e sacra peregrinatione invitât eum ad curiam,

(Anno 1149.)

CONRADUS Dei gratia Romanorum rex, WIBALDO
Corbeiensi et Stabulensi abbati, gratiam suam et
omne bonum.

Certi sumus quod de numero fidelium nostrorum
præcipuus inopinatum reditum nostrum summa
cordis alacritate suscipias, et prosperitati nostræ
tanquam specialis regni et noster amicus plurimum
congaudeas. Quod autem in adventu nostro Eccle-
sia et regnum in reformatione proficiat, orationibus
sanctæ Ecclesiæ, et tam consilio quam auxilio fide-
lium regni obtinere desideramus. Industriæ igitur
tuæ mandando committimus, quatenus omni occa-
sione postposita ad curiam; quam in Assumptione
sanctæ Mariæ Frankenvort celebraturi sumus, ve-
nire non differas, ubi tam de privatis quam de pu-
blicis negotiis nostris familiari tecum consilio con-
venire intendimus. Quæ Corbeiensi Ecclesiæ pro
tua dilectione in abbatibus Kaminata et Visebacho
contulimus, ad usus ejus, Deo annuente, conserva-
bimus, certi quod Corbeienses pecuniam, quam ju-
ramenti assertione promiserant, indubitanter nobis
persolvant.

EPISTOLA CLXX.

H. WIBALDO ABBATI.

Quod rex ejus indigeat consilio.

(Anno 1149.)

Domino suo WIBALDO Corbeiensi et Stabulensi ab-
bati H. (128) suus servitium servi.

Sicut dignatio vestra mihi præcepit, litteras ve-
stras domino regi transmissas de verbo ad verbum
ei fideliter interpretatus sum. Occasionem vero re-
manendi apud Stabulaus, etsi a domino rege impe-
trare potuissem, tentare nolui; propterea quod con-
siderata negotiorum multiplicitate tam regi quam
vobis hoc damnum osum esse animadverti, secretum
est quod dico. Dominus rex legationem tam ad Ro-
manos quam ad dominum papam consilio fidelium
suorum ordinare intendit. In hoc consilio discretio
vestra domino regi necessaria erit. De expeditione
quoque in Italiam promovenda, et sorore suâ du-
cissa Poloniæ restituenda rex consilium vestrum
habere debet. Pro pace restauranda et confirmanda
studiose rex et efficaciter laborat. Omnis homo de-
bitum suum ita persolvat, ut nihil omnino debiti
sui existat.

EPISTOLA CLXXI.

WIBALDI ABBATIS AD PETRUM ABBATEM CLUNIACENSEM.

*De lite quæ inter Ecclesiam de Nameka et Ecclesiam
de Marcha vertebatur.*

(Anno 1149.)

Reverendo Patri et domino PETRO venerabili san-
ctæ Cluniacensis Ecclesiæ abbati, frater WIBALDUS
Dei gratia id quod est in Ecclesia Catholica, salutem
in eo qui mandat salutes Jacob.

Recognoscentes in omnibus nos filios vestros esse
et servos, tam personis monasterii vestri quam re-
bus in omni negotio assistere consuevimus, et tan-
quam una de Cluniacensibus personis cum veritate
et justitia res Cluniacenses pro nostra facultate de-
fensare. Sed de lite quæ fuit inter Ecclesiam de
Nameka et Ecclesiam de Marcha aliter, quam se rei
veritas habet, ad vos perlatum fuisse intelleximus:
propter quod verum ordinem vobis per nos breviter
esse intimandum credimus, ne vestræ religionis
splendor ignotæ et minus constantis causæ defen-
sione aliquod nubilum patiatur. Præpositus canoni-
corum ecclesiæ Beati Bartholomæi apostoli con-
questus est in synodo Leodii, quemdam liberum ho-
minem nomine Berengerum in possessionem sui ju-
ris irruisse, videlicet in partem quamdam decima-
tionis Ecclesiæ de Marcha. Respondit ille, se per
vim nihil fecisse, sed quoniam advocatus esset Ec-
clesiæ de Namecha, et eadem decimatio ad termi-
num ipsius Ecclesiæ pertineret, se jure defensionis
decimationem tulisse. Econtra præpositus asseve-
rabat, quod prædicta decimatio ad terminos Ec-
clesiæ de Marcha possideret, et eam quiete possedisset,
donec a prædicto viro absque ullo juris ordine in-
interruptio esset illata, unde et restitui sibi cuncta in

(128) H. hic designatus non alius nobis videtur quam Henricus imperatoris notarius.

integrum postulabat. Auditis utrinque allegationibus, sententiam iudicii episcopus pro more Ecclesie sue assessores interrogavit. Diu inter eos disputatum est utrum restitui oporteret; sed nos plurimum æquitatem cum jure considerantes, et veritatem cum iudicio diligentes, hortabamur ut, omisso restitutionis titulo, a circumstantibus de terminis et possessoribus cum quiete expresse quæreretur. Probata est ab omnibus prolata sententia, quæ agendi cavillationem penitus excludebat. Venerunt itaque ab utraque parte circumstantes natu majores, et præstitis de veritate dicenda sacramentis, per certos limites de utraque possessione cœperunt discernere. Fundus curtis de Namecha extenditur usque prope villam Marcham, et ideo advocatus Ecclesie de Namecha asseverabat decimationem ejusdem, terræ præfatæ et Ecclesie jure antiquo pertinere, sed quemdam presbyterum de Namecha antiquis temporibus cuidam de Marcha tradidisse pro eo quod quorundam parochianorum suorum, qui ei viciniore erant curam gereret. Econtrario illi de Marcha asserebant, quod eandem decimationem inconcusse sine controversia bona fide possedissent, non jure mutui, neque commodati, sed proprietario et perseveranti longe ultra spatium triginta et unius annorum, quod idoneis testibus se probaturos promittebant. Relata est controversia ad synodum, et absque ullius personæ reclamazione concordanti sententiâ iudicatum est, quod si præpositus Sancti Bartholomæi, qui possessor ab utraque parte cognosce-

A mutare et aliquibus personis absque nostro jussu attribuere debueris. Pro his igitur et aliis, in quibus nos offendere nequaquam dubitasti, per præsentia tibi scripta mandamus, et sub obtentu gratiæ nostræ præcipimus, ut in proxima Nativitate Domini præsentiam tuam apud Aquisgrani nobis exhibeas, responsurus nobis iudicio principum de his, quæ circa nos et mandata nostra neglexisse visus fueris. Cæterum si reconciliationem Ecclesie, de qua supra diximus, amplius differre tentaveris, quoniam privilegium meretur amittere, qui concessa abutitur potestate, nos ejus purgationem ulterius dissimulare nequaquam valebimus.

EPISTOLAS CLXXIII.

B G. CARDINALIS LEGATI AD HENRICUM MINDENSEM EPISCOPUM.

Mandat ut ecclesiam Kaminatensem reconciliet.

(Anno 1149.)

G. sanctæ Romanæ Ecclesie cardinalis diaconus apostolicæ sedis legatus Henrico Mindensi episcopo salutem et dilectionem.

Venerabilis ac dilectus frater noster Corbeiensis abbas significavit nobis ecclesiam Kaminatensem pro eo quod quidam puer monachus de tecto in pavementum corruens exspiravit pollutam esse, vosque ejus reconciliationem, licet sæpius interpellaverit, usque modo distulisse. Quia igitur eidem fratri nostro in petitionibus suis cogente nos probitate sua tanquam nobis assistere debemus, fraternitati vestræ attente rogando mandamus, quatenus purgationem seu reconciliationem prædictæ ecclesie ulterius nullatenus differatis.

EPISTOLA CLXXIV.

B. EPISCOPI PATHERBURNENSIS ET WIBALDI ABBATIS AD EUGENIUM III.

De lite quæ inter Z. præpositum et episcopum Spirensis vertebatur.

(Anno 1149.)

Reverendo Patri suo et domino EUGENIO sanctæ universalis Ecclesie summo et universali pontifici BERNARDUS Dei gratia Patherburnensis Ecclesie humilis minister, et frater WIBALDUS eadem gratia et vestra id quod est in Ecclesia Catholica, perseverantem cum omni devotione et obedientia famulatum.

Cum venissemus in oppidum Frankenevort in Assumptione beatæ Mariæ ad curiam inclyti triumphatoris filii vestri Conradi serenissimi Romanorum regis, Z. præpositus Spirensis filius vester querelam suam exposuit, præsentem Moguntina et Wormatiensi ecclesia, nobis quoque audientibus, et habuit testimonium ab omnibus, quod cum a vestra sanctitate esset reversus, priusquam sudorem viæ detergeret, priusquam ad episcopum Wormatiensem et ad abbatem Eboracensem mandata vestra perferret, quibus controversiam, quæ in eum mota erat, audiendam determinandamque commiseratis, ab episcopo Spirensi et canonicis ejus in iudicium actus est, et per verbum sanctæ obedientiæ jussus

EPISTOLA CLXXII.

CONRADI IMPERATORIS AD H. EPISCOPUM MINDENSEM.

Arguit ipsum quod Kaminatensem Ecclesiam non reconciliaverit, nec ipsius jussa adimplere curaverit.

(Anno 1149.)

CONRADUS Dei gratia rex Romanorum II. Mindensi episcopo gratiam suam et omne bonum.

Meminimus quod per alia scripta pontificalem sollicitudinem tuam admonuimus, ut Kaminatensem Ecclesiam, quam pollutam iudicasti, pro casu et morte pueri monachi in resarciendo tecto laborantis, reconciliare ac purgare non differres. Et miramur te non solum mandata nostra, sed officium tuum non implere. Satis diu patrocinator es enormitati mulierum, quæ ibidem habitaverant, et nimium contradixisti, ne divini cultus religio per nos ac nostros ibidem firmaretur. Tua etiam prudentia intelligat et iudicet, utrum abbatiam Visbiche de-

est fratribus reddere infra quindecim dierum spatium, quidquid de præbenda ipsorum eis defuerat interim, dum versus Romam peregrinaretur. In perficiendis itaque mandatis vestris cum prædictum tempus effluxisset, decimo quinto tandem die cœpit episcopus prædictum præpositum Z. de inobedientia incusare, et super hoc canonicam pene sententiam a clericis postulâre. Cum vero præfatus præpositus sensisset se a canonicis iniquo odio prægravari, et omnia ecclesiastica beneficia sibi præter morem et ordinem abjudicari, metropolitani Moguntinum archiepiscopum appellavit, et sic ante datam sententiam, quam adversarius ejus Gevehardus prima voce proferebat, se suaque omnia in vestram tutelam commendans ab eis exivit. Vocatus Spirensis a metropolitano suo cum clericis suis Moguntiam venit ubi, cum jam sæpedictus Z. præpositus neque misericordiam neque iudicium invenire potuisset, vestram præsentiam appellavit. Hæc sunt, Pater charissime, quæ veraciter audivimus, et quæ pro oppressione fratris nostri pietati vestræ intimare curavimus, scientes procul dubio quod in conspectu vestro misericordia superexaltat iudicium, et quod in nullo violari sacrorum canonum decreta patiamini.

EPISTOLA CLXXV.

CONRADI IMPERATORIS AD EUGENIUM PAPAM III.

Ut præposituram Xantensem Thiebaldum capellano suo canonicè electo conferre dignetur.

(Anno 1149.)

Litteris paternitatis vestræ plenis piissimi affectus, plenis lætitiæ et gratulationis, per aliam paginam et per alios nuntios plenius respondere decrevimus, etc. *Vide in Eugenio papa III ad annum 1153 inter variorum epistolas ad ipsum.*

EPISTOLA CLXXVI.

WIBALDI ABBATIS AD GUIDONEM CARDINALEM ET CANCELLARIUM.

Ut præpositura Xantensis Thiebaldum capellano conferatur.

(Anno 1149.)

Reverendo Patri et domino GUIDONI sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinali diacono apostolicæ sedis cancellario, frater WIBALDUS Dei gratia id quod est in Ecclesia Catholica, seipsum et sua.

Brevis nunc ad vos nobis sermo est, et hæc instantis propositi summa, ut petitio domini regis de præpositura Xantensi domino Thiebaldum concedenda exaudiatur. Sic et principi satisfiet, et peccatum inobedientis poena principali punietur. David Philisthæum in fronte percussit. Idem in psalmo dicit: *Imple facies eorum ignominia, et quærent nomen tuum, Domine.* Nulla inde oriatur commotio, sed timor et tremor venient super nos. Credimus quod faciem vestram ante purificationem sanctæ Mariæ videamus.

(129) Hujus epistolæ auctor ex prima duntaxat nominis sui littera innotescit, quem Arnoldum Coloniensis Ecclesiæ præpositum fuisse existimamus,

EPISTOLA CLXXVII.

EUGENII PAPÆ III AD CONRADUM REGEM.

Thiebaldum capellano suo confirmat præposituram Xantensem, modo aliam præposituram, quam antea possidebat, remittat.

(Anno 1149.)

EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei charissimo in Christo filio CONRADO illustri Romanorum regi salutem et apostolicam benedictionem.

Litteras excellentiæ tuæ debita benignitate recepimus, in quibus devotionem et affectum, quem erga matrem tuam sanctam Romanam Ecclesiam et nos ipsos geris plene cognovimus, etc. *Vide in Eugenio III.*

Data Tusculani, III Non. Octobris.

EPISTOLA CLXXVIII.

A. AD WIBALDUM ABBATEM.

Gratias agit pro obtenta Thiebaldum præpositura Xantensi, petitque ipsius et imperatoris pro eo ad papam intercessionem adversus archiepiscopum Coloniensem.

(Anno 1149.)

Dilectissimo domino suo WIBALDO A. (129) suæ sinceritatis devotus famulus se per omnia.

Gratias Deo et domino meo et vestræ excellentiæ refert intimus et fidelis vester dominus Xantensis Thiebaldus, quem vestræ creavit industriæ perspicax effectus, et ego pro modulo meo pro ipso pedibus vestris cum multimoda gratiarum actione provolvor. Dabitur autem post irrigationem et incrementum, ne plantatio vestra eradicetur, si non fuerit fomentis necessariis adjuta. Dominus enim Coloniensis Romam in proximo proficiscens cum fratre Bonnensis F. eum gravare intendit, et si ipse gratiæ domini papæ sua pecunia conciliari possit, quia alia ipsi desunt patrocinia a præpositura Xantensi dominum Thiebaldum amovere disponit, et dominum F. eadem investire. Exoratum itaque dilectionem vestram, quæ nunquam nos destituit, esse volumus, quatenus a domino meo rege vestra et nostra obtineat petitio, ut denuo nequaquam ruiturus confirmetur. Et si archiepiscopus quod postulat consecutus fuerit, ipsius protectioni auctoritate domini papæ commendetur, ita ut si alterius electio Ecclesiæ eum vocaverit in præpositum, interventu domini mei a domino papa promotio talis ei non negetur. Has vero litteras, quia non est scriba doctior, ut vestra discretio dictare non dedignetur, humiliter depono, et sigillum aureum per præsentium portitorem una cum litteris cum festinatione transmittatis. De cætero acephalas non audeamus mittere, quod tamen non sine causa fecimus.

EPISTOLA CLXXIX.

THIEBALDI PRÆPOSITI XANTENSIS AD WIBALDUM ABBATEM.

Ejusdem argumenti.

(Anno 1149.)

Dilecto domino suo WIBALDO venerabili Corbeien- ad quem plures exstant Wibaldi abbatis epistolæ.

sis Ecclesie abbati, THIEBALDUS Dei gratia id quod A
est, Xantensis Ecclesie prepositus et archidiaconus, cum oratione et servitio precordiale et intimam dilectionem.

Primo loco absque omni ambiguitate scire vos volumus, quod usquequaque servitio vestro amice et fideliter expositi sumus et indesinenter erimus. Quid enim pro nobis feceritis, quem affectum erga nos habueritis, certis experimentis persensimus. Unde et semper nos esse debitores vobis omnino recognoscemus. De cetero vos latere nolumus, quod dominus noster archiepiscopus Romam ire disponit, et eorum, qui cum ipso vadunt, aliqui, quaecunque poterunt, aemuli nostri erunt. Unde humiliter et diligentissime rogamus, ut regiam majestatem faciatis ita scribere pro nobis expedite. In hunc etiam tenoris finem si dominus papa, ex petitione domini nostri regis una in parte nos sublimavit, indulgeat etiam, si canonica electio et justa nos simul ad alia vocaverit. Valet.

EPISTOLA CLXXX.

P. ESCULANI EPISCOPI AD WIBALDUM ABBATEM.

Ut pro ipso apud imperatorem intercedere dignetur.
(Anno 1149.)

WIBALDO religiosissimo ac sapientissimo Stabulensis monasterii abbati, P. Dei gratia ESCULANUS, licet indignus episcopus, participium in idipsum.

Dei sapientia, quae disponit omnia quando vult et quomodo vult, elegit te virum honestum, religiosum ac sapientem, ut sedes cum principibus et solium glorie teneas, per quem ipsi omnium causas aut judiciali calculo dirimant, aut amicabilem convenientiam terminent, tanti principis gratiam abundantius tibi erogans, ut contristatos ab eo laetifices, desperatos ad spem vitae quodam ingenio mirabili revoces. Te itaque, charissime domine, cui Deus hanc gratiam contulit, obnixè deprecor, quatenus amore Dei et servitii nostri apud regem et dominum meum pro me intercedere sinceritas vestra dignetur. Non enim compulsus, sed si audeo dicere, rogatus nono jam mense transacto ad eum veni, aestimans quod cognita tribulatione, quam pro ejus fidelitate ab siculo patior, citius me absolvere debuisset.

EPISTOLA CLXXXI.

CONRADI IMPERATORIS AD EUGENIUM PAPAM III.

Scribit in gratiam Thiebaldi prepositi Xantensis et Ottonis clerici.

(Anno 1149.)

Dilectissimo in Christo Patri suo EUGENIO sanctae Romanae Ecclesiae summo pontifici, CONRADUS Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, filialem per omnia dilectionem et debitam in Domino reverentiam.

Gratum nobis valde est, et in secreto cordis nostri memori benevolentia collatum quod dilectum capellanum nostrum Thiebaldum pro nostrae dilectionis et intercessionis respectu in Xantensi praepositura provexistis, etc. Vide in Eugenio III papa ad an. 1155. inter epistolas variorum ad ipsum.

EPISTOLA CLXXXII.

WIBALDI ABBATIS AD SUOS SUCCESSORES.

De quibusdam rebus in sua administratione gestis.
(Anno 1149.)

WIBALDUS Dei gratia Corbeiensis abbas, successoribus suis in perpetuum.

Sicut officii nostri est cum omni sollicitudine et timore Dei res nobis creditas ordinare ac dispensare, ita nihilominus ad eandem curam pertinet, quaecunque a nobis tempore administrationis nostrae geruntur, ad posterorum memoriam, ne per oblivionem aut per ignorantiam error aliquis oboriatur, scripto transmittere. Quocirca omnium fidelium Christi et Ecclesiae nostrae prudentiae notum esse volumus, quod dilectus filius noster Henricus praepositus monasterii nostri in Groninga inter gravamina, quae sibi et Ecclesiae suae ex communitate mundi incumbunt, hoc nobis conquerendo suggessit, quod quidam ministerialis noster Hezo nomine partem agri, qui juxta fluvium Bodam situs est, et usque ad nostra tempora solebat esse compascuus absque ulla juris ratione occupavit, super qua re nos diligenter a sapientibus et senioribus nostris veritate requisita comperimus, quod idem ager ad praebendam fratrum et ditionem praepositi absque ullo dubietatis scrupulo pertineat. Similiter de Molendino, quod Wunnerus juxta villam Helmerikesdorp reaedificavit, quod etiam quidam Hoierus nomine sine ullo juris suffragio, veraci relatione dādicimus. Nihilominus de una curte, quae fuit Henrici Rufi de Groninga indubitanter cognovimus. Quae omnia sicuti veraciter ad praebendam congregationis et ad manum praepositi pertinere intelleximus, sic per praesentem paginam eis immobiliter confirmamus, obtestantes nostros successores, ne aliquando sub nomine beneficii alicui laico vel concedant vel recognoscant.

Data Corbeiae anno Domini 1149, indictione XIII, regnante domino nostro Conrado Romanorum rege II, anno IV ordinationis nostrae in Corbeiam.

EPISTOLA CLXXXIII.

EUGENII PAPAE III AD CONRADUM IMPERATOREM

Ejus intuitu iterum confirmat electionem praepositi Xantensis, et depositionem archiepiscopi Coloniensis differt.

(Anno 1149.)

EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, charissimo in Christo filio CONRADO illustri Romanorum regi salutem et apostolicam benedictionem.

Quantum affectum erga personam tuam et regnum tibi a Deo commissum habeamus plurimis experimentis tuam clementiam credimus agnovisse. In quo inflexibiliter permanentes, petitiones excellentiae tuae, quantum cum Deo possumus, admittimus, etc. Vide in Eugenio III ad an. 1155

EPISTOLA CLXXXIV.

WIBALDI ABBATIS AD PRAEPOSITUM COLONIENSEM.

De victoria junioris regis in Guelfonem, de futuro

apud Fuldam ad quod ipsum invitat colloquio, A-H. (150) eadem gratia Constantiensis Ecclesiæ humilis minister cum fidei obsequio, devotas orationes in Domino.

(Anno 1150.)

Dilecto domino suo et amico A. venerabili sanctæ Coloniensis Ecclesiæ præposito majori, regiæ curiæ cancellario, frater WIBALDUS Dei gratia id quod est in Ecclesia catholica, seipsum et sua universa.

Acephalas litteras a vobis accipere consuevimus, quas qui scribunt, similes sunt illis, qui prandent illotis manibus. Semel correptus de cætero emendabitur. Ad penultimas vestras inter prima nostra vobis respondemus, quod quando convenerimus, plura dilectioni vestræ referre habebimus, quæ ut litteris mandarentur, nec breve nec tutum fuit. Præterea multa nobis deposita sunt, ex eo videlicet, quod Deo de cælis distillantem misericordiam, Guelfo cum omnibus fere hominibus suis a juniore rege pugna superatus captus est. Et opinabile quidem est et veraci conjecturæ salis consentaneum, quod si hoc bonum divina clementia non fuisset largita, magnos in regno motus fuisset futuros, quos nunc ex facili posse comprimere et suffocari confidimus, quæ plenius a clerico vestro E. cognoscere poteritis. In quantum vero intelligere et judicare potest nostra capacitas, dominus noster rex omne studium et consilium suum convertit ad disponendas et regendas res publicas, nec modo tempus redimit, nec causas perfunctorio transitu eludit: inde est, quod ordinatis serio et rationabiliter rebus suis, quæ ex quadam necessaria serie quodammodo concatenatæ sunt, colloquium habere vult cum Saxonibus in Dominica qua cantatur *Judicame, Deus*, apud Fuldam, ubi vos interesse modis omnibus mandat et præcipit. Mittere enim Romam cum gravitate magna et regni et personæ suæ honestate intendit, in quibus rebus vestro plurimum consilio innititur, et nos tanquam captivos usque ad adventum vestrum tenet. Defixum plane et ratum est apud ipsum, quod si sororem suam absque armis in Poloniam reducere potuerit, mox expeditionem Italicam magnifico apparatu ordinabit; super quo nos dubitare jam non audemus, et maxime cum ad consilium, quod captaverat hanc mirabilem et inopinatam opportunitatem propitia Divinitas ei adjecerit. Cætera, cum veneritis, Deo præstante, conferemus. Quæ pueri didicimus, jam senes experimur. Cælum, non animam mutant, qui trans mare currunt. In aqua Jordanis peccata vestra abluere potuistis, sed mores vestros eluere non potuistis. Etenim non solum mores vestros, sed etiam morositatem inde retulistis.

EPISTOLA CLXXXV.

H. EPISCOPI CONSTANTIENSIS AD WIBALDUM ABBATEM.
Ut Henricum consanguineum a Welfone detentum imperatoris auctoritate libertate donari procuret.

(Anno 1150.)

WIBALDO Dei gratia venerabili Corbeiensi abbati,

(150) Hermannus de Arbona Constantiensis ad Rhenum episcopus circa 1140 ab Innocentio II confirmatus, præfuit ad 1156.

H. (150) eadem gratia Constantiensis Ecclesiæ humilis minister cum fidei obsequio, devotas orationes in Domino.

Pro eo quod domini regis curiæ ad præsens, sicut decens est, interestis, non mediocriter gavisi sumus. Discretionem etenim vestram, licet in multis experti simus, ut videlicet in præsentî prosperitate sic vestro consilio dilectissimus dominus noster utatur, ut fidelibus regni nobisque præ cæteris quamplurimis honorem regni diligentibus gaudium augeatur, filiis autem perditis et perditionis terror incutiatur. De cætero fraternitatem vestram, de qua nimirum confidimus, humiliter exposcimus, ut dilectissimo domino nostro suggeratis, ut a domno Welfone suisque ministerialibus quemdam consanguineum meum, et ipsius domini regis fidentem, Henricum nomine, sine causa captivatum, primo, et sicut de ipso confidimus, requirat, et tam pro nobis quam pro Deo dimitti jubeat

EPISTOLA CLXXXVI.

WIBALDI ABBATIS AD HERMANNUM EPISCOPUM CONSTANTIENSEM.

Scribit suasisse ut, reportata victoria, imperator hostes urgere pergeret, sed contrariam prævaluisse sententiam.

(Anno 1150.)

Reverendo Patri suo et domino H. sanctæ Constantiensis Ecclesiæ venerabili episcopo, frater WIBALDUS Dei gratia id quod est in Ecclesia catholica, salutem in eo qui mandat salutes Jacob.

Pro moderatione, qua prædita est dulcis anima vestra, placuit benignitati vestræ gratulari regiæ curiæ, quod nostram ei nunc assidue exhibeamus præsentiam. Sed nos, venerande Pater, non scimus momenta rerum, nec publicis negotiis quidquam possumus emolumentum conferre, et ut nostra fert opinio, nos numero sumus et fruges consumere nati. Siquidem post insperatam et ab omni humano consilio et opere ferme alienam et de cælis traditam victoriam, voluimus, et quantum in re militari oportuit, suasimus, ut dominus noster rex, quem propitia divinitas miris et clementibus beneficiis conservat et provehit, non cessaret successus urgere suos, et hostes suos incomparabili damno affectos, metuque et angore animi percussos invaderet, ac sese aliquando ad faciendum judicium et justitiam, ad subveniendum matri suæ Ecclesiæ, accepta tam mirabili opportunitate expediret. Contradicebat inveteratus ille Achitophel, qui vix ingentem dissimulare tristitiam poterat, et assumpta sanctionis amicitiae persona, de tempore et auris causabatur, et sanctissimi jejunii religionem prædicabat et astruebat, oportere hominem, quem justus Dominus qui justitias diligit, jam judicavit, legitimis judiciis et interpellationibus in jus vocari, pium esse et conveniens nullam captivis læsionem inferri, de quibus quidem nos officii nostri innocentiam atten-

dentes nihil censueramus; seu ut Patri et episcopo confiteamur, in mente nostra erat ut non solum unus homo, sed etiam multi morerentur pro populo, et non tota gens periret. Popularis erat senis oratio, et ad hominum negligentiam, pigritiam ac desidiam accommodata. Nos tamen contra nitebamur et asserebamus fama constare bella, et res magnas celeritate adjuvari, dilationem semper nocuisse paratis, iudiciorum quæ tanto pondere opponerentur, vocem intra paucissimos pagos posse audiri, opus bellicum cum aliquo splendore gestum per majorem orbis partem diffundi. Inermem vicit oratio armati, cujus tamen arma effecerant, ne is, cui persuadebat, ad perfectum vicisset. Ita factum est ut nec bella geramus, nec iudicia exerceamus, sed spe rerum inanium animos pascimus. De captivo vestro bene vobis ad integrum responsum est, nos instanter curabimus, ut verba effectus consequatur. Valet.

EPISTOLA CLXXXVII.

CONRADI IMPERATORIS AD E. IMPERATOREM CONSTANTINOPOLITANUM.

Excusat se quod detentus infirmitate stare promissis nequiverit.

(Anno 1150.)

CONRADUS Dei gratia Romanorum imperator Augustus, charissimo fratri et unico amico suo E. eadem gratia Græcorum imperatori Augusto, sublimi, PORPHIROGENITO, felici, fraternam dilectionem et omne bonum.

Quanta nos charitatis et devotionis instantia, quanto fidei et humilitatis studio in sacris sedibus gloriosi imperii tui susceperis, quanta humanitatis et liberalitatis gratia in lecto infirmitatis nostræ non solum per tuos et tua, sed etiam in propria persona et propriis manibus ministraveris, tunc videlicet, quando manus omnipotentis Dei nos non solum in detrimento amissi exercitus, verum etiam in verberare corporalis ægrotationis percusserat, nulla potest rerum oblivio ab animæ nostræ tenaci memoria evellere. Pari quoque et simili recordationis constantia fixum animo tenemus, quæ fuerit inter nos mutuæ pactionis obligatio, quid tuæ celsitudini sponderimus, quid perficere promiserimus. Sed cum a sublimitatis tuæ regno corporaliter discessissemus, in quo nos per fidem et benevolentiam habitare sentimus, imperium, quod nobis a superna maiestate collatum est, invenimus in quibusdam partibus suis ex occasione longæ absentiae nostræ turbatum: ad quos motus comprimendos, et pacem reformandam, dum tota cordis intentione accingimur, Pater ille misericors, quia flagellat omnem filium quem recipit, tendit manum in retribuendo, gravique tertiana febre maceratos nos prorsus imbecilles et fere inutiles per sex mensium spatium detinuit. Si itaque Deo impediante propositum nostrum ad tempus est retardatum, non tamen est omnino evacuatum, et promissionis nostræ effectus magis est dilatus quam frustratus. Ad excusan-

dam itaque moræ nostræ necessitatem, ad salutandam tuæ sospitatis nobilitatem mittere curavimus cum litteris præsentibus nuntium celerem et expeditum, qui de nostra bona valetudine certum te et hilarem efficeret, et nos identidem de tuâ et filiæ nostræ tuæ conjugis charissimæ imperiique consortis sospitate, et de rerum vestrarum prosperitate lætificaret. Cæterum post celebratam, Deo auctore, curiam, quam Kal. Maii cum principibus Saxonie, Polonie, Bohemie, Leutitie, in civitate Merseburg, habere decrevimus, nuntios nostros viros utique principales et egregios ad tuam præsentiam cum tuo prudenti et honesto legato, videlicet Michael Bardalia dirigemus, qui tuam magnificentiam de nostris sponsonibus ac promissionibus dubitare non sinent. Salutem vestram magnitudinem dilectus filius noster Henricus junior Romanorum rex, et charissimam filiam nostram suam utique matertem, cui quantam gloriam Deus in primis militiæ conductus sui auspiciis contulerit, lator præsentium viva voce declarabit.

EPISTOLA CLXXXVIII.

CONRADI IMPERATORIS AD IMPERATRICEM GRÆCORUM.

Excusat se quod febre correptus promissa imperatoris C. P. implere nequiverit, notam facit de Welfone victoriam, petitque neptem mariti ipsius filio suo Henrico uxorem.

(Anno 1150.)

CONRADUS Dei gratia Romanorum imperator Augustus, præcordialiter dilectæ filiæ E. a Deo coronatæ et exaltatæ Græcorum imperatrici, paternam dilectionem, et certum ac fidele in omni opportunitate auxilium.

Prius quidem præclaram indolem tuam tam ex vinculo cognationis, quam ex affectu adoptionis plurimum diligebamus, sed tua fides, tua pietas, tua devotio, tua liberalitas, quam nobis officiose exhibuisti, tunc scilicet, quando manus Domini et infirmitate corporali et rerum incommodis nos multum afflixerat et humiliaverat, tantum ardorem sanctæ charitatis in nostra mente circa te auxerunt, ut eam nulla difficultas, nullum periculum, nulla rerum varietas possit extinguere. Ita igitur in animum nostrum induximus, ita in corde nostro omni ambiguitate remota firmavimus, ut, etiamsi nulla fœderis, nulla arctioris amicitie religio inter nos et gloriosum et prædilectissimum fratrem nostrum tuum utique maritum magnificum et excelsum Græcorum imperatorem aliquando intercessisset, parati tamen et intenti essemus sua omnia tanquam nostra diligere, suis inimicis tanquam nostris resistere. Porro in conventionem pacti, quæ inter nos et ipsum omni cum benevolentia firmata est, conditio necessaria imposita fuit, quod scilicet ea, quæ prænominata et præscripta fuerant, utique completemus, nisi alter vel uterque nostrum morte seu gravi infirmitate vel amittendi imperii periculo id perficere prohiberetur, atque transacta illa et tam non negligenda necessitate ad absolvendi et implendi

studium denuo accingeremur. Nunc ergo tibi tanquam charissimæ filiæ nostræ et imperii nostri cognatæ causas familiariter et breviter aperimus, pro quibus in Longobardia, post exitum nostrum a vobis, manere et promissa implere nequivimus, pro quibus ad partes Alemanniæ modis omnibus nos properare ordo quidam rerum et imperii nostri clamor ad nos usque perlatus non absque gravioris consilii ratione persuasit. Siquidem ut tua sapientia perfecte novit, dominus ille Welfo vir magnæ nobilitatis et potentiæ in nostro regno habetur, neque fide, qua eum in extrema necessitate adjuvimus, neque beneficiis quibus eum commode auximus, aliqua ratione commonitus, per Siciliæ tyrannum a Jerosolymis reditum habuit, et accepta non parva ipsius infami pecunia, per sacramenta et obsides ei firmavit, quod nos et nostros et nostrum imperium perturbare et infestare modis omnibus laboraret. Quod postquam ad propria rediit, adjunctis sibi quibusdam perfidis non parvi apud nos momenti et nominis, instanter facere cœpit, filios nostros, tuos utique nepotes amantissimos et bonæ spei plenos invadendo, et in terra ipsorum, quæ illis patrimonii jure competit, inimica quædam castella ædificando. Hoc igitur tam atrocis rei nuntio accepto, cum fama, ut in talibus fieri solet, omnia in deterius multiplicaret, prævenire cuncta et comprimere maturavimus, atque ad partes Alemanniæ subito et improvise adventu accessimus. Dum itaque in componendis et placandis omnibus diligentiam adhiberemus, tanta nos infirmitas corporalis in fine Augusti mensis invasit, ut usque ad Pascha Domini gravioribus negotiis vix utiles esse possemus. Intra quod temporis spatium cum essemus in civitate Spira ad justitias regni faciendas, et ad exercenda publica judicia, prænominatus Welfo cum dulcissimo nostro, tuo nepote bonæ indolis jam adolescentulo, ad Romani imperii fastigium, Deo auctore, per nos et principes nostros coronato, prope castellum nostrum Floerperch acie conserta dimicavit, ubi nos divina protegente misericordia, suorum multis tam cæde quam captione amissis, noctis beneficio adjutus vix evasit. Quo munere cœlestis misericordiæ accepto, dum contra communis hostis nostri Siculi videlicet tyranni temerariam insolentiam nos expedire et accingere studemus, nuntiatur nobis quod omnis populus Francorum cum ipso rege suo contra imperium præcellentissimi germani nostri, tui scilicet gloriosissimi sponsi conspiraret, et arma movere, auctore et incentore Siciliæ tyranno, cum omni virtutis suæ conatu disponderet. Quam rem non facile spernendam vel omittendam ratum duximus, sed finem rerum expectare, et aut tumultum reprimere, aut nos et imperium nostrum pro fratre nostro et rebus ipsius opponere decrevimus. Excusatos nos sufficienter credimus, veritatis existente constantia, tam de incurisatis regni nostri finibus, quam de invaletudine corporali, et plane de divino adjutorio confidimus, quod in brevi promissa nostra

A fideliter complebimus, non solum quia spondimus, verum etiam quia nos de invasore imperii nostri vindicare summo opere desideramus. Et ut præcelsus vir tuus majorem de nobis amicitiae certitudinem et adimplendi conventiones habeat, firmiorem inter nos affinitatem, sicuti cum præsentibus essemus, inter nos tractatum et firmatum fuit, ad præsens fieri disponimus, ita videlicet ut gloriosus filius noster, qui imperii nostri successor et hæres est designatus et coronatus, neptem unam mariti tui sublimis Græcorum imperatoris uxorem præsentem tempore ducat, de duabus, scilicet alteram, quæ electio in tui pectoris sapientia constabit, ut illa nobis transmittatur, quæ moribus et forma noscetur a te, quæ eas educasti, præcellere. Cætera vero quæ ad eundem contractum rite peragendum pertinere videntur, posuimus in ore comitis Alexandri de Gravina, qui utrique imperio perpetua fidelitate servire manifeste consuevit, et verbi hujus mediator et tractator ex præcepto utrorumque, cum apud vos essemus. Quem in rebus imperii vestri fideliter, ut semper solet laborantem a Venetia fecimus ad nos vocari, quatenus per ejus industriam secretum hoc, sicut in cæteris consuevimus, ad egregium valeat finem perducere. De cujus celeri reversione benignam intelligentiam tuam studiose admonemus, quia, cum sublimis nepos tuus jam adultus sit, oportet ut tam personæ ipsius quam imperio nostro in contrahendo matrimonio sine mera provideamus. Scire possint inimici nostri, qui disseminando mendacia turbare nos et disjungere moliuntur, quod amicitiae nostræ nexus indissolubilis permaneat.

EPISTOLA CLXXXIX.

HENRICI REGIS JUNIORIS AD EMMANUELEM IMPERATOREM C P.

Nuntiat ipsi quam de Welfone reportaverat victoriam.

(Anno 1150.)

Inclito, triumphatori, magnifico ac sublimi avunculo suo E. PORPHIROGENITO Græcorum imperatori, HENRICUS filius gloriosi ac serenissimi Conradi Romanorum imperatoris Augusti, et ipse Dei gratia Romanorum rex filialis dilectionis indissolubilem gratiam, et firmissimum perpetuæ amicitiae vinculum.

Sicut propitia divinitas et paternæ charitatis affectus me imperii et rerum Patris mei successorem fecit et hæredem, sic mea intelligentia justum arbitratur, ut amicos confederatos Patris honorem et diligam, inimicos suos et suorum persequar et opprimam. Quocirca paternæ dilectionis gratia vos et imperium vestrum particeps, vosque tanquam avunculum nostrum charissimum et Patrem piissimum integra et filiali dilectione amplectens, æquum esse arbitratus sum, vestræ celsitudini notificare quæ circa nos, Dei præstante clementia, prospera geruntur. Siquidem octava die mensis Februarii superbus ille et perfidus Welfo tot beneficiorum Patris mei immemor, hostiliter invasit terram

nostram, Patre meo in rebus publicis longe posito agente, me autem cum parte militiæ in quodam castro nostro relicto. Castrum ad quod ille accessit Floerperch dictum est; nos autem eramus in alio castro Horbruc, distante ab illo per spatium restæ (151) et dimidiæ. Accepto igitur tantæ contumeliæ nuntio, festinavi hostem persequi, et cum quinque magna miliaria post eum processissemus, præmissis equitibus expeditissimis, qui ejus tergo imminentes fugam ipsius retardarent, nos duabus consertis aciebus eum persequeremur. Cum itaque agminis extrema jam cæderemus, faciem convertere coactus est, sed vero Deo de cœlis pugnante pro nobis, tantam adepti fuimus victoriam, ut nisi per nocturnas tenebras delituissent, nullus omnino evadere potuisset. Capti sunt equites trecenti, et equorum numerus non parvus, extinctus est partim lanceis confossus, partim gladiis cæsus. Pater meus generalem nunc expeditionem super eundem Welphonem indixit, et eum penitus exterminare aggreditur, ut de cætero ad communem imperii vestri hostem persequendum et delendum liber existat.

EPISTOLA CXC.

HENRICI JUNIORIS REGIS AD IMPERATRICEM.

Nuntiat ei victoriam a se de Welphone reportatam.
(Anno 1150.)

Charissimæ matris ac materteræ suæ E. per divinam providentiam placidissimæ Græcorum imperatrici, HENRICUS filius gloriosi ac serenissimi Conradi Romanorum imperatoris Augusti, et ipse Dei gratia Romanorum rex, filialis dilectionis indissolubilem gratiam.

Certum est, et nullus prudentium dubitavit quod illa, quæ a natura ortum et processum habent, perenni fortitudine firmiora sint, quam ea quæ humano comparata et connexa sunt artificio. Quia igitur secundum consanguinitatis et propinquitatis a matre mea carnali gradum naturaliter tenetis, nulla nos dissociare et alienare poterit necessitas, quin in perpetuum mansura charitate jungamur et benevolentia. Quocirca quia de meis profectibus vos plurimum exultare et gloriari scio, æquum esse arbitratus sum vestræ celsitudini notificare, quæ circa nos, Dei præstante clementia, prospera geruntur. Siquidem octava die mensis Februarii superbus ille et perfidus Welpho, tot beneficiorum Patris mei immemor, hostiliter invasit terram nostram, Patre meo in rebus publicis longe agente, me autem cum parte militiæ in quodam castro nostro relicto. Castrum ad quod ille accessit Floerperch dictum est, nos autem eramus in alio castro Horbruc, distante ab illo per spatium restæ et dimidiæ. Accepto igitur celeriter tantæ contumeliæ nuntio, festinavi hostem persequi, et cum quinque magna miliaria post eum processissemus, præ-

missis equitibus expeditissimis, qui tergo ejus imminentes, fugam ipsius retardarent, nos duabus consertis aciebus abeuntem persequeremur. Cum itaque agminis extrema jam cæderemus, faciem convertere coactus est; sed vero, Deo de cœlis pugnante, tantam adepti sumus victoriam, ut nisi per nocturnas tenebras delituissent, nullus omnino evadere potuisset. Capti sunt equites trecenti, et equorum non parvus numerus extinctus est, partim lanceis confossus, partim gladiis cæsus. Pater meus generalem nunc expeditionem indixit, et eum penitus exterminare aggreditur, ut de cætero ad communem imperii vestri hostem persequendum et delendum expeditus et liber existat. Sicut autem a provisione paterna meam indolem recedere non decet, ita meæ intelligentiæ pergratum est, quod totius consilii summa vestræ sublimi prudentiæ collata est.

EPISTOLA CXCI.

WIBALDI ABBATIS AD ARNOLDUM PRÆPOSITUM MAJOREM COLONIENSIS ECCLESIE.

Ut Fuldam ad imperatoris curiam se conferat, non decere ut rex duas a papa præposituras pro Thiebaldio postulet.

(Anno 1150.)

Charissimo domino et amico suo ARNOLDO venerabili sanctæ Coloniensis Ecclesiæ majori præposito, regiæ curiæ cancellario, frater WIBALDUS, id quod est in Ecclesia Catholica, seipsum et sua universa.

Dominus noster rex non dubitat, nec vos dubitare debetis, quin ad curiam quæ Fuldis in Dominica (152), *Judica me, Deus*, futura est, venialis, ne forte absentiae vestræ imputetur, quidquid per difficultatem vel per negligentiam in gerendis rebus publicis omittetur. De causa communis amici nostri Thiebaldi Xantensis præpositi, in qua et pro qua vos effectum habuisse, et quasi palmam obtinuisse, non mediocriter gaudemus, non minus operæ dedimus; ut stabilis perseveret, quam si de nostra persona ageretur, quia enim personam vestram et honorem vestrum in veritate diligimus, omnia quæ vobis cordi sunt, ad nos pertinere nequaquam dubitamus. Sed de capitulo litterarum vestrarum in quo scripsistis, quod si alterius Ecclesiæ electio eundem amicum nostrum vocaverit in præpositum, interventu domini nostri regis a domino papa promotio talis ei non negetur; non visum est nobis directam petitionem ex persona domini nostri regis scribere, pro eo quod principalem excellentiam non decet illa postulare, quæ sibi jure negari valeant. Siquidem sancta mater nostra Romana Ecclesia super petram fundata leges a se conditas nequaquam destruit, nec repugnantia aliquo modo sancit, licet decreta sua pro temporum varietate, pro locorum

(151) Resta seu restis, teste Joanne Mariana lib. De ponder. et mensuris, est mensura agraria palmarum xxxiii, ita ut octoginta restes leucam faciant. Sed hoc loco restis multo magis extensa videtur.

(152) Id est Dominica in Passione Domini, in qua missæ introitus ab illis verbis incipit: *Judica me, Deus.*

opportunitate, pro rerum et personarum qualitate dispensare ac moderari, et quasi detrimentum pati consueverit. Non ergo mandabit neque confirmabit, ut in duabus dignitatibus una persona sublimetur, sed cum sine querela factum fuerit, hoc ex paterna discretione dissimulabit. Credere super hoc nobis potestis, non pro notitia canonum, sed pro sensu et efficacia experimentorum. Rhetoricati sumus in litteris domini nostri regis, quia negando affirmavimus et non rogando rogavimus, quas ideo vobis nondum consignatas transmisimus, ut possitis, si placuerit, de artificio nostro quædam immutare, addere vel minuere. Vivite et valete. Adducite ad curiam vobiscum modicum fratrem Erlebaldum.

EPISTOLA CXCI.

WIBALDI ABBATIS AD EUGENIUM PAPAM III.

Scribit in gratiam canonicorum collegiatæ S. Bartholomæi civitatis Leodiensis.

(Anno 1150.)

Reverendo Patri suo et domino EUGENIO uni et universali papæ, frater WIBALDUS Dei et vestra gratia id quod est in Ecclesia catholica, devotionem filii et obedientiam servi.

Cum essemus in domo inelyti et victoriosissimi filii vestri Conrædi Romanorum regis apud Nuremberch castrum ejus, petierunt a nostra parvitate canonici ecclesiæ Sancti Bartholomæi, quæ est in suburbio civitatis Leodiensis, ut sanctitati vestræ suggereremus causam quamdam Ecclesiæ suæ, quæ nobis præsentibus in synodo Leodiensi de Ecclesia in Marcha et Ecclesia in Nameka acta est, et usque ad debitum finem judicata. Quæ cum recenter tractata fuisset, misimus eam reverendo Patri nostro abbati Cluniacensi, ad quem eadem ratio spectare videbatur, eamque scriptam in schedulis nostris inventam vestræ discretioni nunc mittere scriptam curavimus. In quibus discretionem vestram non ausu præsumptionis, sed spiritu devotionis submonere curavimus, ut animadvertat celsitudo vestra, quod in hac actione non sit iudex ante litem contestatam recusatus, quod a sententia non sit appellatum, imo plus illis de Nameka quam præpositio Sancti Bartholomæi complacuerit, et utrum a sententia non ab executione appellandum sit. Multa celsitudini vestræ et scriberemus et viva voce legatorum suggereremus, nisi quod quotidie expectamus, ut legati majores filii vestri amantissimi nostri domini Romanorum regis invictissimi ad vestram præsentiam proficiscantur, ut tunc de omnibus, quæ scitu digna erunt, vobis suggereremus.

EPISTOLA CXCI.

WIBALDI ABBATIS AD STEPHANUM PRIOREM S. JACOBI LEODIENSIS.

Hortatur ad subeundum onus curæ pastoralis, ad

(1155) Stephanum reperio abbatem S. Jacobi Leodiensis Gilberti anno 1155 defuncti successorem, al-

PATROL. CLXXXIX.

quod canonicè electus fuerat, et quod præ humilitate recusabat.

(Anno 1150.)

Frater WIBALDUS Dei gratia Stabulensis Ecclesiæ servus, dilecto fratri et amico STEPHANO (1155) ecclesiæ Sancti Jacobi Leodii priori electo, confortari in Domino.

Lætatus sum in his quæ dicta sunt mihi: In domum Domini ibimus. Audivimus, frater, et lætati sumus quod fratres tui spiritali Patre orbat, te in regimen et pastorem animarum suarum concordia et unanimi voto pariter elegerunt. Sed tu sanctæ humilitatis conscius, onus impositum ferre detrectas. Pia quidem et Christianæ religionis plena intentio, quod elegisti abjectus esse in domo Dei tui magis, quam habitare in tabernaculis peccatorum. Tibi quidem, frater, utile, sed propter alios non necessarium, et sicut æquitatis dictante justitia, ille repellendus qui desiderat, sic canonicæ rationis via ille cogendus est, qui recusat. Age igitur, frater, divinæ dispensationi gratias, quæ et tibi humilitatis et temperantiæ spiritum administravit, et te ad participium suæ potestatis et nominis clementer vocavit. Accepimus enim spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater Deus; abba, pater homo canonicè et regulariter in prælationem monasterii electus. Sequere nunc, frater, ducem Regulam, juxta quam te victurum professus es, et licet de viribus tuis præ humilitate desperes, tamen de gratia Dei conscius, suscipias jubentis imperium, et humerum supponas ad ferendum. Domini sunt cardines terræ, hunc humiliat et hunc exaltat, ipse pauperem facit et ditat, et erigit de pulvere egenum, ut sedeat cum principibus et solium gloriæ teneat. Times sævitiam temporum, abhorres sævitiam tyrannorum, vereris duritiam subditorum, sed spera in Domino et fac bonum. Et utinam aperiatur tibi Dominus spirituales oculos, ut videre possis quod multo plures sunt nobiscum quam cum illis, et recordare illius qui de Saulo fecit Paulum. Præbe igitur cor tuum sapientiæ, et tene vocantem gratiam, precibusque nostris et admonitioni atque consilio efficaciter acquiescens, ale matrem tuam, quæ te lactavit; genetricem regem, quæ te educavit, servi fer curam. Petro dicit Christus: Amas me? pasce oves meas. Si amas, pasce; si non pascis, non amas. Nemo te seducat inanibus verbis, veritas non mentitur, probatio dilectionis exhibitio est operis. Nostram exiguam orationem, nostrum devotum auxilium, nostrum fidele servitium ad solatium vocantis te Ecclesiæ sinceritati tuæ et promittimus et offerimus.

EPISTOLA CXCI.

WIBALDI ABBATIS AD THEOBALDUM PRÆPOSITUM XANTENSEM.

Gaudet quod suus ipsi favor profecerit.

(Anno 1150.)

Dilectio in Christo fratri et amico suo THEOBALDO, terum anno 1150, cedente Elberto lumine destituto, ordinatum, ad quem scripta videtur hæc epistola,

venerabili sanctæ Coloniensis Ecclesiæ archidiacono, Xantensi præposito, frater WIBALDUS Dei gratia id quod est in Ecclesia catholica, benedictionem et vitam usque in sæculum.

Si nostræ parvitas studium, si diligentis operæ nostræ effectus ad vestri honoris incrementum aliquid profecit, oppido gaudemus, quippe qui personam vestram et gloriam jam a longis retro temporibus vera charitate diligimus et a vobis invicem dilecti sumus. Sed hoc prudentiam vestram latere nequaquam volumus, quod soli amicitiae vestræ in hac causa non deservimus, sed illius potius favori hilariter adnisi fuimus, quem pro amicis provehendis fideliter laborantem frangi, superari aut vinci nolumus, ex cujus benevolentia nos habere recognoscimus, quod in curia imperatoris Romani illa interdum loquimur et scribimus, quæ Ecclesiæ catholice serviant, quæ imperialis celsitudo non abnuat, quæ prosint probis et obsint improbis. Ille, ille, inquam, vester, qui in exhibitione operis vim probavit dilectionis, vestram promotionem plantavit, atque ut et alii et nos rigaremus, effecit, et benedictus per omnia Deus, qui incrementum dedit. Ipsi post divinam clementiam totum debetis quod estis vero et constanti amico, qui non consuevit suis amicis adulari, sed opitulari; non novit blandiri, sed largiri; nescit verborum delinimentis ornare, sed rerum efficacia honorare. Requirit Deus de manu vestra, et sint dies honoris vestri breves, si aliquando ab ipsius honore defeceritis, et eis, qui vos fraudare et tantæ dignitatis exsortem esse voluerunt, contra eum aliquatenus adhæseritis. Causam cur domino papæ ex persona domini regis in hunc modum scribere voluerimus, ipsi cancellario, de quo loquimur, plenius innotescere curavimus. Ex abundanti credimus suggerendum esse nobilitati vestræ, ut labores Mannonis clerici vestri liberaliter attendatis.

EPISTOLA CXCIV.

CONRADI IMPERATORIS AD EUGENIUM PAPAM III.

Ut Arnoldum Coloniensem archiepiscopum benigne suscipiat, ac suæ sedis restitutum remittat.

(Anno 1150.)

Dilectissimo in Christo Patri EUGENIO sanctæ Romanæ Ecclesiæ summo pontifici, CONRADUS Dei gratia Romanorum rex et semper Augustus, filialem per omnia dilectionem et debitam in Domino reverentiam.

Quam gratus sit sacræ menti vestræ honoris nostri status, ac nostræ personæ sospitas, regni que nobis a superna majestâte collati pax atque tranquillitas, vestræ magnitudinis affatus, quos post reditum nostrum a Hierosolymitana expeditione primos accepimus, evidenter patefecerunt, etc. *Vide in Eugenio III ad an. 1155, inter epistolas variorum ad ipsum.*

(154) Quindelinburgense celeberrimum virginum monasterium in diœcesi Halberstadensi a Mathilde re-

EPISTOLA CXCVI.

WIBALDI ABBATIS AD GUIDONEM CARDINALEM.

Injunctam esse sibi a rege ad papam legationem.

(Anno 1150.)

Reverendo Patri suo et domino GUIDONI sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinali diacono, apostolicæ sedis cancellario, frater WIBALDUS Dei gratia id quod est in Ecclesia catholica, seipsum.

Implevissemus manum vestram schedula majore, quæ de omni statu regni et de rebus quæ ad vos pertinent, plenius contineret, nisi quod a domino rege nobis injunctum est, ut legationem ejus ad dominum papam cum aliis quibusdam perferamus. Præsentes itaque ista tutius et jucundius tractabimus ante focum, si frigus erit; si messis, in umbra. Sed, ne prorsus nunc sileamus, alteratum recepimus principem nostrum et severitate gravem et justitiæ amatorem et in faciendo judicio impigrum. Lator præsentium non indignus est, quem pro nostra petitione honeste recipiatis et in suis propriis causis ac petitionibus benigne adjuvetis. Valet in Domino.

EPISTOLA CXCVII.

CONRADI IMPERATORIS AD QUINDELINBURGENSES MONIALES.

Nullam sibi videri rationem ob quam a divinis cessent.

(Anno 1150.)

CONRADUS Dei gratia Romanorum rex, venerabili Quindelinburgensi (154) ecclesiæ conventui, baronibus et ministris ejusdem ecclesiæ, gratiam suam et omne bonum.

Quod divina in ecclesia vestra cessant et vos a sepultura Christianorum prohibemini, inconveniens nobis videtur, præsertim cum sub disciplinæ regulæ ecclesiasticæ et canonice vivatis ac communi refectorio et dormitorio contentæ sitis. Nolumus igitur ut poena injuste et irregulariter viventium deinceps affligamini. Unde mandamus, ut divina in ecclesia Quindelinburgensi cum omnibus, quæ vobis debentur, canonice devote et solemniter celebrentur.

EPISTOLA CXCVIII.

JOANNIS ABBATIS FRITHESELLENSIS AD WIBALDUM ABBATEM.

Scribit se ad regem iturum.

(Anno 1150.)

Domino WIBALDO sanctæ Corbeiensis ecclesiæ venerabili abbati, frater JOANNES cum universo Frithesel cœnobii collegio, si quid valet ex animo et corde devotius.

Sicut diutina absentia vestra tristitiam, sic in pace reditus vester omnibus nobis generavit lætitiâ. Nunc vero ad regem me iturum vestra noverit excellentia, et si quod forte injungere mihi placuerit negotium, per aliquem fidelem vestrum

gina circa annum 936 fundatum, in quo ipsa cum Henrico Aucepe rege ipsius viro condita jacet.

directum ad me quantocius noverim nuntium. Sanctitatem vestram Deus omnipotens incolumem custodiat.

EPISTOLA CXCIX.

WIBALDI ABBATIS AD JOANNEM FRITHESELENSIEM.

Eunti ad regem commendat res monasterii sui Corbeiensis, præcipue circa unionem Wisbickensis parthenonis.

(Anno 1150.)

Frater WIBALDUS Dei gratia id quod est in Ecclesia catholica, dilecto fratri et amico suo JOANNI et universo Frithesel ecclesiæ conventui, exiguas orationes et devotum servitium.

Memor esse debet dilectio tua, qualiter nos multum renitentes et amarissime flentes ad suscipiendum regimen Corbeiensis ecclesiæ instantissima B persuasione compulisti, et post susceptionem antequam panem cum Corbeiensibus gustaremus, studiosissimo consilio nos induxisti, ut pro obtinendis ecclesiis de Kaminata et de Visbick et de Hildwardenhusen laborem et impensam assumeremus. Præsentasti etiam nobis tunc litteras amici nostri comitis Hermanni, qui, ut hoc ipsum faceremus, intente admonebat. Te igitur omnium consiliorum tam in curia domini regis, quam etiam domi principe et auctore, simulque adnitentibus cum maximo fervore Corbeiensibus, sententiæ vestræ cessimus contra iudicium animi nostri, quippe qui rem tam arduam tam difficilem tam præsumptuosam aggredi formidabamus; non ignari nec inexperti quanta C impedimenta, quantæ mutationes talibus rebus possent accidere. Et credimus quod zelum Dei habueris, et in hoc opere promovendo pronus ac vehementer fueris, non solum pro delenda enormitate mulierum quæ ibi habitabant, sed etiam pro augmento Corbeiensis ecclesiæ. Verum in quantas miserias, in quantas vexationes animi et corporis, in quanta rerum nostrarum detrimenta per hoc consilium inciderimus, non solum tua intelligentia, quæ rebus propinqua est, sed etiam tota regni Teutonici universitas clamore super nos famosissimo cognovit. Et nunc quoniam ad curiam domini nostri regis transire, et nostra negotia agere intendis, fidei ac bonitati tuæ intenta devotione committimus, ut sic agas, quemadmodum decet virum religiosum et honestum; quatenus nobis noxia cuncta, Deo præstante, submoveas et ad omnia profutura diligentiam adhibeas. Nos de gratia et misericordia domini regis absque ullo dubitationis scrupulo confidimus, et ab ipso in curia sua Frankenevort cum magno honore habiti et cum magna hilaritate dimissi fuimus, jussi venire ad curiam, quæ futura est Aquisgrani in proxima Nativitate Domini, ut ibi de obtinenda ecclesia de Visbick mandatum ipsius accipiamus. Cæterum, charissime Frater, nos laborem illum nequaquam assumere volumus, quia et thesauri ecclesiæ nostræ exhausti sunt, et tam Mindensis episcopus quam omnes clerici nobis in hoc amarissime contradicunt. Hoc

A quoque benignitati tuæ, sicut de te confidimus, intimatum atque injunctum esse volumus, ut rediens, Deo prosperante, ad nos nulli mortalium de causa nostra, nisi nobis, quidpiam patefacias. Quod propterea tuam prudentiam admonere putavimus, quod impudentissima illa de Giseka rumorem in populo sparsit, se id quod fecit auctoritate et jussu domini regis fecisse, quod nullus honestorum credere debet. Perduces vero tecum præsentium latorem, qui familiaribus nostris de curia scripta nostra perferat, et ad nos, quæcunque inveneris, fideliter referat.

EPISTOLA CC.

WIBALDI ABBATIS AD CONRADUM IMPERATOREM.

De rebellionē abbatissæ Kaminatensis, adversus quam imperatoris protectionem implorat.

(Anno 1150.)

Inclyto triumphatori a Deo coronato et exaltato, serenissimo domino suo CONRADO Romanorum imperatori Augusto, frater WIBALDUS Dei gratia id quod est in Ecclesia catholica, salutem in eo qui dat salutem regibus.

Postquam a vestra celsitudine mandatum accepimus, quatenus ordinatis rebus nostris ita expediti et parati essemus, ut legationem vestram ad dominum papam ad urbem Romanam cum cancellario vestro in brevi tempore perferremus, versus Stabulensem ecclesiam, quæ assiduis prædis et rapinis nimium ab improbis vexatur, properavimus, ut qualicumque pace composita, ad Corbeiensem ecclesiam securius transire possemus. In quo temporis intervallo, videlicet in vigilia Nativitatis sanctæ Mariæ, abbatissa illa de Giseka in Kaminatensem ecclesiam armata manu intravit, et ejectis inde violenter fratribus Corbeiensibus, quos ad servandum Deo ex vestro mandato ibidem ordinaveramus, præpositum monasterii in flumen jactari præcepit, ac turrim ecclesiæ impositis armatis ac victualibus incastellavit. Econtra Corbeienses tam liberi quam ministeriales, cum nostra præsentia carerent, neque nostro consilio uti possent, super eosdem malefactores irruerunt, et vim vi repellentes eos de ecclesia et loco cum ignominia expulerunt et quosdam captos secum adduxerunt. Quod cum adhuc in Stabulensi monasterio positi cognovissemus, plurimum ex animo doluimus, maxime cum prædicta femina et ejus fautores per totam terram prædicassent id quod factum erat vestra gestum fuisse voluntate, quod nos et omnes viri honesti nequaquam credere potuimus. Siquidem, clementissime Cæsar, jussu vestro ac iudicio principum vestrorum magnorum utique et multorum virorum per privilegii vestri donationem, per auctoritatis vestræ litteras Kaminatam per proprium legatum vestrum transmissas, Kaminatensem ecclesiam introivimus, et juxta præcepti vestri tenorem divinam ibi religionem a multis impediti reformare inchoavimus. Illa vero quæ abbatissa dici nec potest nec debet, pro eo quod nec in sanctimonialem nec in abbatissam ab ullo episcopo

velata vel consecrata fuit, et professionis suæ habitum in nigrum et candidum mutat et abjicit, anno fere integro antequam prædictum locum intrarem, per legatum domini papæ deposita, et ab advocato et ministerialibus Kaminatensibus de loco turpiter projecta, cum nollet obedire, fuit. Quapropter genibus vestræ majestatis animo advoluti, clementiam vestram humiliter imploramus, ut memores parvi obsequii nostri et non parvæ fidei nostræ, quam vobis et regno vestro indefesso studio exhibuimus, nos ab his injuriis defensare ac protegere dignemini. Veniemus namque ad vos Aquisgrani in Nativitate Domini, et si quid omissum est a Corbeiensibus, totum in gratia vestra remanebit:

EPISTOLA CCI.

WIBALDI ABBATIS AD H. REGIÆ CURIÆ NOTARIUM.

Commendat ei apud imperatorem Corbeiensium causam de Kaminata et Visbick.

(Anno 1150).

FRATER WIBALDUS Dei gratia id quod est in Ecclesia catholica, dilecto fratri et amico suo H. regiæ curiæ notario, benedictionem et vitam usque in sæculum.

Eruditioni tuæ aliquoties injunximus, ut litteras nostras domino nostro regi transmissas ad verbum exponeres, quod quidem hactenus fecimus ad voluptatem, sed nunc rogare cogimur per necessitatem. Etenim quantas contumelias et in persona nostra et in rebus sustineamus, litteræ, quas domino regi scripsimus, tuæ dilectioni patenter indicabunt. Sane hoc plurimum cor nostrum urit, et cogitationes nostras in dolorem accendit, quod ab æmulis nostris jactatur, mala, quæ nobis acciderunt, nutu ac voluntate domini nostri regis evenisse, ac fideles nostri super hoc conjecturam sumunt, quod absente domino nostro rege, cum regnum claudicare quodammodo putabatur, nihil tale præsumptum fuit. Sed recordari decet experientiam tuam, et ad memoriam reducere dominum nostro regi, qualiter ad primas litteras nostras, cum in eis ipsi revertenti devotio nostra occurreret, ac de impedimentis, quæ nobis apud Kaminatam et Visbick acciderant, supplicem ei querelam obtulissemus, respondere dignatus sit, quæ verba hujusmodi sunt: quæ Corbeiensis Ecclesiæ pro tua dilectione in abbatis videlicet Kaminata et Visbick contulimus, ad usus ejus Deo annuente conservabimus, certi quod Corbeiensis pecuniam, quam juramenti assertionem promiserunt, indubitanter nobis persolvant. In eisdem litteris nobis mandatum fuit, quatenus in Assumptione sanctæ Mariæ Frankenevort ad curiam venirem, ubi tam de privatis quam de publicis regni negotiis regia celsitudo cum nostra parvitate familiari consilio convenire dignaretur. Intra quod temporis spatium curia celebrata est apud Wertzeborch, ubi principes Saxonie domino nostro regi occurrerunt. Ad eam curiam venit quidam presbyter ab abbatissa de Giseka mercede pro dimidia marca

A conductus, cui nihil de Kaminatensi-re pertinebat, qui adversum nos, ut modo primum audivimus, multas querelas deposuit. Qui cum litteras domini nostri regis, nescimus quo interventu acceperit, quarum continentiam necdum cognoscere potuimus, disseminavit per totam Saxoniam se hoc in litteris accepisse, ut quæcunque per nos apud Kaminatam gesta erant, cassari et immutari a domino rege deberent. Tu vero cum familiari sermone apud nos Frankenevort uteris, dixisti nobis, ut recepta pecunia, quam dederamus, prædicta loca libera relinquere, quod verbum etiam in Saxonia sonuit, et nos et nostros in gravem suspicionem adduxit. Et ex parte sonuit in auribus nostris, quibus auctoribus, quibus pignoribus pecunia congregari posse promittitur. Cæterum tuam diligentiam per divinum judicium obtestamur, ut quoniam apud dominum nostrum regem et auctoritate et consilio vales, saluti ejus omnibus modis provideas, ne per consilium alicujus laici, qui nec Deum timet, nec hominem reveretur, in detrimenta et destructionem ecclesiarum assensum præbeat. Multum equidem confidimus de veritate, judicio ac perseverantia ipsius; sed opprobria exprobrantium nobis cadunt super nos dicentium invicem. Vidi quid contigit bene merito familiari ac domestico et in secretis consiliis semper admissis. Cæterum ut finem dicendi faciamus, nos in curia laici alicujus patrocinium nunquam quæsimus, sed per clericos nostra omnia disponere consuevimus. Et quoniam in Ecclesia et in regno fides tua et discretio apprime innotuit, diligentiam tuam attenta præce committimus, quatenus negotium nostrum ita, Domino favente et domini nostri regis clementia præstante, tuearis, ut nos non solum Corbeiam deserere, verum etiam totum regnum domini nostri regis exire ac relinquere compellamur. Super quo tam ex tuis quam ex litteris domini nostri regis per præsentis nuntios certificari desideramus.

EPISTOLA CCII.

HENRICI REGIÆ CURIÆ NOTARII AD WIBALDUM ABBATEM.

Responsio ad præcedentem.

(Anno 1150).

Domino suo WIBALDO abbati Corbeiensis, HENRICUS suus.

Frater Joannes domino regi pericula, damna, incommoda vestra expresse detexit. Ego vero litteras vestras de verbo ad verbum ei exposui et ad commodum causæ vestræ quædam pro parvitate mea loqui præsumpsi. Intellexi vero et certus sum quod dominus rex de injuria vobis illata multum dolet, et ad commodum causæ vestræ prosequendum nuntium cum litteris suis ad vos destinavit. Quod enim Corbeiensis Ecclesiæ pro vestra dilectione contulit, ratum habet et omnimodis confirmare intendit.

EPISTOLA CCIII.

WIBALDI ABBATIS AD CONRADUM IMPERATOREM.

Delet quod nullum ab eo responsum acceperit de negotio Kaminatensis ecclesiæ.

(Anno 1150).

Inclyto triumphatori a Deo coronato, serenissimo domino suo CONRADO, glorioso Romanorum imperatori Augusto, frater WIBALDUS Dei gratia id quod est in Ecclesia catholica, salutem in eo qui mandat salutes Jacob.

Juxta beneplaciti vestri mandatum expectavimus nuntium vestrum et litteras vestras, quorum decurso tempore cum accepissemus neutrum, gravi mœstitia et ingenti confusione animi affecti fuimus. Sed rediens ad nos a vestra curia frater Joannes, dolorem nostrum plurimum absternit et animam nostram valde exhilaravit, ex eo videlicet quod vos de infirmitate vestra recte convaluisse nuntiavit. Verumtamen de negotio nostro nihil certum, nihil salutare renuntiavit. Et nunc graviter improperat nobis Corbeiensis Ecclesia, quod cum boni spe a mansuetudine vestra inducta nostram parvitatem ad regimen suum pro beneplacito vestro elegerit, non solum gratiam et misericordiam consecuta non sit, sed etiam laborem suum et thesauros suos damnose amiserit. Et quoniam intelleximus vos quindecim diebus ante Natale Domini velle apud Bavemberch cum principibus Saxonie colloquium habere, incerti quid agere debeamus, ad vestram celsitudinem mittere curavimus, quatenus pro respectu divinæ pietatis et pro augmento perpetuæ nostræ servitutis, nos ab his malis, quibus premimur, expediatis. Nec enim minorem rationem cum Corbeiensibus de pecunia habere poteritis, priusquam nobis auxilii et protectionis dexteram porrexeritis, quam modo, cum omnia bona Kaminatensis ecclesiæ tanquam domino vacua ab advocatis sunt invasa. Nostri desiderii esset, ut ad res, quas circa partes Saxonie gerere disposuistis, nostrum laborem et expensas reservaretis; sed tamen quidquid vestræ majestati complacuerit, nostra parvitas etiam ultra facultatem suam adimplere studebit.

EPISTOLA CCIV.

WIBALDI ABBATIS AD HENRICUM CURIÆ REGIÆ NOTARIUM.

Commendat et causas monasterii Corbeiensis.

(Anno 1150).

Frater WIBALDUS Dei gratia id quod est in Ecclesia catholica, dilecto fratri et amico suo H. regie curiæ notario, salutem et benedictionem.

Gratias referimus sollicitudini tuæ, quod pro incremento honoris nostri, et pro augendis utilitatibus nostris exacta diligentia invigilas, cum tamen nos hoc tempore, facientibus peccatis nostris, parum emolumenti super his capiamus. Siquidem mira fit rerum conversio; nam illi, de quorum fide a multis dubitatum fuit, imo, ut verius dictum sit, quorum perfidia omnibus ferè innotuit, honoribus ac divitiis sublimantur, nos vero, quorum fides etiam totius regni approbata est præconio, jam quasi alieni

A facti sumus. Etenim, charissime frater, contra morem regni factum est, quod cum proxime et litteras et nuntium ad curiam transmissemus, nulla responsa impetrare valuimus, quod illis præcipue solet accidere, de quorum jam poena, juxta legem Juliam de reis majestatis decernitur. Dicere possumus illud poëticum:

Speravi melius, quia me meruisse putavi.

Rogamus itaque experientiam tuam, ut commoda ad causam nostram responsa nobis nunc, tua efficiente industria, remittantur, et hoc summopere tua prudentia cavere debet, ne de negotio nostro dominus noster rex cum aliquo principum Saxonie communicet in eo colloquio, quod cum eis habiturus est apud Bavemberch; nam hi loco triumphi ducerent, quod nos in ea curia nunc adjuvent, in qua nos eorum causas sæpe sustentavimus, quod ipsorum adjutorium non absque mercede vel prædii alicujus vel pecuniæ conducere possemus. Imperat dominus noster rex, ut de pecunia solvenda ei Corbeiensis nostri observent, cum nos ab ipso concessa non solum non accipiamus, sed etiam occupata perdamus. Quamobrem a tua discretione diligenter admonitus, ita nobis, obsecro, litteras nostris necessitatibus commodas ad ducem Saxonie, ad episcopum Mindensem, ad comitem Hermannum transmittat, quarum tu nobis transcripta dirigere curabis, sciturus quod omnem laborem tuum circa nos et ecclesiam Corbeensem utiliter, Deo propitiante, collocabis. Hæc quoque per tuam suggestionem mitissimum augustum intelligere volumus, quod, nisi sua protectio Kaminatensem ecclesiam in manu nostra erexerit, nulla ibidem de cætero congregatio, nullus divinæ religionis cultus instaurari poterit. Valete.

EPISTOLA CCV.

R. AD WIBALDUM ABBATEM.

Petit ab eo aliquos libros, eique alios oromitti.

(Anno 1150.)

Domino suo venerabili Corbeiensi abbati, R., bene valere et felicem esse.

Quamvis Tullii libros habere desideres, scio tamen te Christianum esse, non Ciceronianum. Transis enim et in aliena castra non tanquam transfuga, sed tanquam explorator. Libros igitur qui apud nos sunt, Tullii De re agraria et Philippica et Epistolas ejus vobis transmissemus; sed non est consuetudinis apud nos, ut sine bonis monumentis aliqui alicui concedantur. Mittite igitur nobis A. Gellium Noctium Atticarum, et Origenem super Cantica canticorum. Nostros autem, quos nunc adduximus de Francia, si qui vobis placent, vobis mittemus.

EPISTOLA CCVI.

WIBALDI ABBATIS AD R. PRÆPOSITUM HILDENSHIEMENSEM.

De suo in litteras humaniores studio.

(Anno 1150.)

Frater WIBALDUS Dei gratia id quod est in Ec-

eclesia catholica, dilecto fratri et amico suo R. A. venerabili Hildenesheimensi præposito, benedictionem et vitam usque in sæculum.

Recte meministi, frater, quod quamvis libros Ciceronis habeamus, nos tamen Christianos esse recordemur, et, ut scripsisti, et tuus Seneca de se dicit, transimus interdum in aliena castra, non tanquam desertores et transfugæ, sed sicut exploratores et spoliatorum cupidi, si forte Madianitem rapere possimus, quam pilis erasis et unguibus defectis legitimo nobis valeamus copulare matrimonio. Et licet non in regione longinqua peregrinari, quin potius exulare debeamus, optamus tamen potius panem vivo, qui de cælo descendit, saturari, quam ventrem nostrum implere de siliquis, quas porci manducant. Fercula Ciceronis nec inter præcipua, nec in prima mensa jam habemus, sed si quando meliori cibo satiatis aliquid libet, sic ea sumimus, sicut secundis mensis apponi solent bel-laria. Est etiam nobis quædam voluptas non esse otiosos. Nec vero, ut cætera omittamus, pati possumus, quod illud nobile ingenium, illa splendida inventa, illa tanta rerum et verborum ornamenta oblivione et negligentia depereant, sed ipsius opera universa, quantacunque inveniri potuerint, in unum volumen confici volumus, nihil habentes cum illis commune, qui quanto ditiores sunt, tanto magis egent, et omissis liberalibus studiis circa transitoria solliciti sunt, et congregant ut dispergant, et dispergunt ut congregent. Ludum pilæ maxime imitantur, ubi ludentes et cum aviditate sumunt, et cum celeritate rejiciunt; ita neque in capiendo neque in remittendo modum habent. Quorum doctrinam, si nos diligis, licet ab improbis sæcularibus laudetur, tanquam venenum et mortem animæ devitabis. Misimus tibi pro monumentis librorum vestrorum Origenem in Cantica canticorum, et pro A. Gellio Noctium Atticarum, quem ad præsens habere nequaquam potuimus librum, quem Græce Stratagematon vocant, quod militare est.

EPISTOLA CCVII.

ANONYMI AD WIBALDUM ABBATEM.

Gratitudinem testatur pro acceptis ab eo beneficiis, doletque quod cum aliqui a se avertere curent.

(Anno 1150.)

Domino suo dilectissimo WIBALDO, ille suus, quidquid dici, credi et esse potest felicius.

Salutat vos ille servus vester ex intimo cordis affectu, quem egenum de pulvere erexistis, qui etiam sæpius tempore necessitatis benevolentiam vestram expertus, non immemor beneficiorum vestrorum esse cupit nec ingratus. Sunt enim quasi stylo ferreo super latitudinem cordis ejus exarata, ne unquam aboleantur aliqua vetustate aut rerum varie succedentium vel temporum mutabilitate. Scit enim, quem fallere nemo potest, quantum vos habeam in visceribus Jesu Christi, quam unice diligam, quam unice cupiam cuncta quæ ad honorem vestrum spectant, nec memoriam vestri de

A cætero obliterare poterit vel temporum prolixitas vel locorum longinquitas. Recolit, domine, mens mea; versatur crebro in antro cordis mei, quoniam filii Belial, filii iniquitatis, filii, quos detestatur anima, qui sæpius inebriati sunt sanguine meo et satiati carnibus meis, nisi obstitissent, nisi a me infelice vos magis invidiose quam juste avertis-sent, longiorem in conspectu vestræ gratiæ misericordiam invenissem. Sed hæc omnia in manu Dei viventis commendo, qui reddet unicuique juxta adinventionem viarum suarum. Obsecro autem profuse ne graviter accipiatis quæ dico, quoniam anima mea turbata est valde, sed pietas miserationis vestræ requiescere modo me fecit non modicum, unde vitulos labiorum meorum immolo Deo et immolare non cessabo pro prosperitate vestra, ut vivatis feliciter et valeatis, et cuncta quæ intenditis, a Deo prospere dirigantur in manibus vestris.

EPISTOLA CCVIII.

WIBALDI ABBATIS AD ANSELMUM EPISCOPUM.

De regis in se offensa.

(Anno 1150.)

Reverendo Patri suo et domino ANSELMO, pauperis civitatis episcopo, frater WIBALDUS Dei gratia id quod est in Ecclesia catholica, seipsum et sua omnia.

Succenset nobis etiam nunc prudentia vestra, quod nullas vobis vel raras mittamus litteras, in quo vitio vos quoque laborare et dolemus et reprehendimus. Salutantes itaque dilectam nobis in Domino paternitatem vestram hoc absque dubio, quantum de futuris possumus, profiteamur, quod in ea charitatis gratia, quam Deus inter nos jampridem glutinavit, permanere disponimus, nisi forte ad perfectum aliquid augmenti possit accrescere. Legimus litteras, quas pro excusatione vestra de offensa domini nostri regis nostro communi amico miseratis; sed, referente quodam, quem euriæ secreta non prorsus latent, didicimus quiddam occultioris veneni de quorundam detractione in causa fuisse. Nos nec diuturniorem nec majorem gratiam exspectamus. Vestra siquidem culpa, si tamen culpa est, nobis quoque vobiscum et quibusdam episcopis communis est, quam vobis per scriptum indicare tutum nequaquam judicavimus. Curia futura est Bavemberch, non tamen frequens, ad quam familiariter venire jussi sumus, cum tamen nos gravis necessitas ad eam traheret pro rebus videlicet Kaminatensis ecclesiæ, pro quibus multum laborem sustinentes, parum adhuc patrocinii, unde speravimus, accepimus.

EPISTOLA CCIX.

R. PRÆPOSITI AD WIBALDUM ABBATEM.

Rumorem spargi ipsum in proximo eligendum archiepiscopum Coloniensem.

(Anno 1150.)

Domino suo WIBALDO laudabili per omnia abbati in Corbeia, R., humilis præpositus, obsequium cum orationibus.

Reversus de Colonia nuper nuntius meus, constantissime asseruit dominum archiepiscopum (135) sine contradictione ab episcopali cura et dignitate cessaturum. Addit præterea a familiaribus meis auditum et compertum vos successorem adnotari, quod vobis aperire dignum duxi. Quidquid itaque super hac re vestra elegerit discretio, mihi fidelissimo vestro relitterando insinuet, et mea devotio vestræ voluntati et beneplacito accuratissime satisfacere studebit. In hac enim Nativitatis Domini solemnitate illuc transire disposui, et si quid vel scriptis vel verbis simplicibus cuiquam fidelium vestrorum mandare cogitatis, devotissime exsequar. Valeat paternitas vestra in Domino.

EPISTOLA CCX.

WIBALDI ABBATIS AD R. PRÆPOSITUM.

Respondet ad præcedentem.

(Anno 1150.)

Reverendo fratri et amico suo R. venerabili præposito, frater WIBALDUS Dei gratia id quod est in Ecclesia catholica, benedictionem et vitam usque in sæculum.

Visis sinceritatis tuæ litteris, plurimum gavissimus, eo quod proventus nostros tanta fidei constantia diligis, et nobis in re necdum existente tam benevolo animo gratularis. Sed obnixè tuam sinceritatem exoramus, ne illud agas, quod etiamsi vires nostræ ferre possent, intempestivum est agi, et cum prodesse possit nihil obsit plurimum: siquidem invidiæ suspicionis, odii fomitem subministrare potest. Audieramus quidem dominum et patrem nostrum Coloniensem archiepiscopum a dominis et patribus nostris Coloniensis Ecclesiæ prioribus diligenter commoveri, ut quoniam dignitatem Ecclesiæ suæ et ordinis sui officium negligere videretur, et jam tam animo quam corpore deficiens labenti Ecclesiæ minus posset sufficere, salutis suæ provideat, et quod urgente necessitate facturus creditur, sponte cedendo facere incipiat. Quod consilium tam ipse quam sui non facile recipere putantur. De illo autem in more altero, qui nostram personam respicit, sicut nec concupivimus, nec speramus, atque immaturum omnino est, nec quidquam audivimus, nec fuisse motum arbitramur, tuæ benevolentiae ac discretionis erit, ut sicut in omni sermone memoriam nostri jucunde et favorabiliter habere consuevisti, sic in isto caveas ea loqui, quæ nostræ integritati et famæ aliquomodo possint detrudere. Valet, et nos, ut facis, dilige.

EPISTOLA CCXI.

SENATUS POPULIQUE ROMANI AD CONRADUM IMPERATOREM.

Hortantur imperatorem ut Romam veniat, se suaque

(135) Supra vidimus Arnoldum archiepiscopum Coloniensem in concilio Remensi dignitate sua suspensum, Romam profectum fuisse ut eam recuperare tentaret, verum cum nihil a summo pontifice

omnia ei offerentes adversus papam et Sæculum.

(Anno 1150.)

Excellentissimo atque præclaro Urbis et orbis totius domino CONRADO, Dei gratia Romanorum regi semper Augusto, senatus populusque Romanus, salutem et Romani imperii felicem et inclytam gubernationem.

Regali excellentiæ per plurima jam scripta, nostra facta et negotia diligenter exposuimus, quomodo in vestra fidelitate permaneamus, ac pro vestra imperiali corona exaltanda et omnino augenda quotidie decertamus. Ad quæ quia regalis industria, ut postulavimus, rescribere dignata non fuit; plane tanquam filii et fideles de domino et Patre satis miramur. Nos enim quidquid agimus pro vestra fidelitate et honore facimus. Et quidem regnum et imperium Romanum vestro a Domino regimini concessum exaltare atque amplificare cupientes, in eum statum, quo fuit tempore Constantini et Justiniani, qui totum orbem vigore senatus et populi Romani suis tenuerunt manibus, reducere, senatu pro his omnibus Dei gratia restituto, et eis, qui vestro imperio semper rebellés erant, quique tantum honorem Romano imperio subriperant, magna ex parte conculcatis, quatenus ea, quæ Cæsari et imperatori pertinent, per omnia et in omnibus obtineatis, vehementer atque unanimiter satagimus atque studemus, et ob hujus rei affectum bonum principium ac fundamentum fecimus. Nam pacem et justitiam omnibus eam volentibus observamus, fortitudines, id est tures et domos potentum urbis, qui vestro imperio unâ cum Siculo et papa resistere parabant, cepimus, et quasdam in vestra fidelitate tenemus, et quasdam evertentes solo cœquavimus. Sed pro his omnibus, quæ pro vestræ dilectionis fidelitate facimus, papa, Frajapanes, et filii Petri Leonis, homines et amici Siculi, excepto Jordano (136) in vestra fidelitate vexillifero et adjutore, Tolomæus quoque et alii plures undique nos impugnant, ne libere, ut decet, imperialem regio capiti valeamus imponere coronam. At nos, quoniam amanti nullus labor gravis est, licet inde plurima damna sustineamus, pro vestro amore et honore gratanter patimur. Scimus namque nos a vobis proinde præmium sicut a Patre accepturos, vosque in eos sicut et imperii hostes vindictam daturos. Cum tanta igitur nostra in vobis fidelitas sit, tantaque pro vobis sustineamus, precamur, ne spes ista nobis deficiat, neve regia dignitas nos vestros fideles et filios despiciat, neque si regalibus auribus aura sinistra de senatu et nobis flaverit, in eam intendat aut respiciat, quia qui de nobis vestræ altitudini mala suggerunt, de vestra et nostra, quod

recti tenace obtinere potuisset, priores Ecclesiæ Coloniensis ei auctores fuerunt, sponte ut cederet.

(136) Hunc Jordanum, teste Ottone Frisigensi l. vii, c. 51. Eugenius excommunicavit.

absit! dissensione lætari volunt, et utrosque, ut so-
liti sunt, callide opprimere moliantur. Sed circa
hæc, ne fiant, regalis prudentia, ut decet, sollicita
sit, et provida, reminiscaturque vestra solertia quæ
et quanta mala pāpali curia et dicti quondam cives
nostri imperatoribus, qui fuerunt ante vos, fece-
runt, et nunc deteriora cum Siculo facere tentave-
runt. Sed nos Christi gratia in vestra fidelitate vi-
riliter eis resistimus ac plures ex illis sicut pessi-
mos hostes imperii, ut sunt, pepulimus. Appropin-
quet itaque nobis regie celsitudinis vigor, quo-
niam quidquid vultis in Urbe, obtinere poteritis, ac
ut breviter ac succincte loquamur, potenter in Urbe,
quæ caput est mundi, ut optamus, habitare, toti
Italiæ ac regno Teutonico, omni clericorum remoto
obstaculo, liberius et melius quàm omnes fere an-
tecessores vestri dominari valebitis. Sine mora er-
go, precamur ut veniatis, et interim de statu ve-
stro, quem semper desideramus salubrem et pro-
sperum, et de his omnibus regalibus litteris aut nun-
tiis nos lætificare dignemini. Sumus enim per om-
nia vestræ voluntati obtemperare semper parati.
Sciatis præterea, quod pontem Milvium extra Ur-
bem parum longe per tempora multa pro impera-
torum contrario destructum, nos, ut exercitus vester
per eum transire queat, et ne Petri Leonis per ca-
stellum Sancti Angeli vobis nocere possint, ut sta-
tuerant cum papa et Siculo, magno conamine re-
stauramus, et in parvi temporis spatio muro for-
tissimo et silicibus, juvante Deo, complebitur. Con-
cordiam autem inter Siculum et papam hujusmodi
esse accepimus. Papa concessit Siculo virgam et
annulum, dalmaticam, mitram atque sandalia, et
ne ullum mittat in terram suam legatum, nisi quem
Siculus petierit, et Siculus dedit multam pecuniam
pro detrimento vestro et Romani imperii, quod Dei
gratia vestrum existit. Hæc omnia vestra ani-
madvertat, optime rex, prudentia.

Rex valeat, quidquid cupit, obtineat super hostes,
Imperium teneat, Romæ sedeat, regat orbem.
Princeps terrarum, ceu fecit Justinianus;
Cæsaris accipiat Cæsar, quæ sunt sua præsul,
Ut Christus jussit, Petro solvente tributum.

Nos de cætero legatos nostros precamur, ut benigne
suscipiatis, et quod vobis dixerint, credatis, quia
scribere nequivimus. Sunt enim nobiles viri Guido
senator, Jacobus filius Sixti procuratoris et Nico-
laus eorum socius.

EPISTOLA CCXII.

SIXTI, NICOLAI ET GUIDONIS CONSILIATORUM CURIÆ
ROMANÆ AD CONRADUM IMPERATOREM.

Ejusdem argumenti.

(Anno 1150.)

Excellentissimo et magnifico domino Urbis et or-
bis CONRADO, Dei gratia Romanorum regi sem-
per Augusto, SIXTUS, NICOLAUS et GUIDO consi-
liatores curiæ, sacri senatus et communis sa-
lutis reipublicæ procuratores, pro posse in omnibus

A fidelia servitia et Romani imperii restaurationem.

Ut jam per plures litteras regie significatum est
majestati, videntes imperium Romanum temeraria
usurpatione clericorum a suo vigore plurimum de-
eidisse, ex quo populus Romanus multum dedeco-
ratus erat, ad orbem vestris pedibus subdendum
Christi auxilio cum summo studio senatum releva-
vimus, qui pacem in Urbe conservans et justitiam
faciens, bonos exaltando, malos autem delendo ad
adipiscendam imperii coronam, omni clericorum
obstaculo remoto, vestræ dignitati ad urbem ve-
nienti congrue viam præparet. Quod jam tam senatus
quam nos Christi gratia viriliter fecimus. Nam Cen-
sium Franjapanum et filios Petri Leonis, quos cum
papa et Siculo pro vestri minoratione imperii con-
spirasse cognovimus, ex Urbe ejecimus et eorum
plurima bona depopulavimus, ita quod vobis resi-
stere nullo modo quibunt. Nil ergo aliud restat, si
placet vobis, nisi ut celeriter appropinquetis, et po-
pulo vestro succurratis, quoniam quidquid deside-
rat Urbis cor imperiale, in ea procul dubio obtinere
poterit. De cætero commendamus vobis hos nostros
nuntios vestros fideles. Nam pro vestri amoris fide-
litate illos ad vos misimus, litteris quoque vestris
precamur ut nos lætificare et honorare digne-
mini.

EPISTOLA CCXIII.

CUJUSDAM SENATORIS AD CONRADUM IMPERATOREM

Ejusdem argumenti.

(Anno 1150.)

Illustrissimo atque magnifico orbis, terrarum do-
mino CONRADO, Dei gratia Romanorum regi semper
triumphatori Augusto, quo melior nullus, cui nul-
lus in orbe secundus, quidam fidelis senatus servo-
rum regis fidelissimus, quidquid tanto domino tan-
tillus servus.

Certum ac firmam sit regie majestati, me in se-
natu et quocumque potui ad vestri exaltationem im-
perii assiduam operam dedisse, et idcirco vobis,
licet audacter, tamen confidenter scribo:

Utile consilium, domine, ne despice servi.

Si licet itaque servo domino suo consilium dare,
regali prudentiæ consulo ut sine mora Romam ve-
niatis, et medium vos inter populum et papam po-
nentes, senatum et populum in vestra defensione
suscipiatis, quoniam castellum Sancti Angeli cum
Romanis poteritis capere, et ita facere, ut sine ve-
stra jussione ac dispositione nunquam de cætero
apostolicus in Urbe ordinetur. Sic enim fuit tem-
pore beati Gregorii, qui sine assensu imperatoris
Mauritii papa esse nequivit, et sic usque ad tempus
Gregorii septimi perduravit. Propter id utile esse
affirmo, ne per sacerdotes bella fiant aut homicidia
in mundo. Nam non eis licet ferre gladium et cali-
ccm, sed prædicare, prædicationem vero bonis ope-
ribus confirmare, nequaquam bella et lites in mundo
committere.

EPISTOLA CCXIV.

GUIDONIS CARDINALIS AD WIBALDUM ABBATEM.

Ut Conradum imperatorem avertat ne, quid mali adversus Romanam Ecclesiam moliat.

(Anno 1150.)

Charissimo et speciali amico suo WIBALDO Corbeiensi abbati, Guido sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconus cardinalis et cancellarius, salutem et benedictionem.

Dubietatem, quæ de statu tuo in nostro pectore versabatur, et nuntius tuus et transmissæ nobis per eum litteræ abstulerunt. Optamus enim in Domino, ut cuncta semper tibi salubria, cuncta sint prospera, et ut superna clementia te in actionibus tuis coelesti miserationis suæ auxilio tueatur ad peragenda ea, pro quibus hac vice rogasti dominum papam circa te benevolum sentientes, secure operam dedimus, sicut ex ejus tibi litteris apparebit. Præterea tibi tanquam cauto et prudenti viro et in dilectione probato eloquimur. Certum est quod post discessum domini Conradi Romanorum regis, nisi dominus papa specialius et districte prohibuisset, adversus filium ejus juniorem regem guerra mota fuisset, et non modica orta turbatio. Nunc autem sicut domino papæ et nobis significatum est, et rumores etiam increverunt. Pater ipsius rex Conradus mala pro bonis, quod Deus avertat, reddere nititur, et cum Constantinopolitano imperatore sanctam Romanam Ecclesiam Catholicorum omnium matrem graviter, si potuerit, affligere et infestare disponit. Sicut ergo eadem mater nostra et nos ipsius alumni de tuo circa eam fideli obsequio et officiosa fidelitate confidimus, ita ex parte domini papæ ac nostra dilectionem tuam monemus, monendo rogamus, et attentius exhortamur, ut modis omnibus quibus poteris tanquam verus Christi athleta et in apostolorum principis fide fundatus efficere studeas, ne adversus apostolicam Romanam Ecclesiam hujusmodi fluctus insurgant, vel si forte aliquorum pravitate insurgere ceperint, cum aliis Ecclesiæ Dei fidelibus pro viribus et prudentiâ tibi a Deo collata compescas. Nec ista ideo scribimus, quod dominus papa vel nos de præfati regis constantia dubitare debeamus, sed quia nostri desiderii est, ut affectum, quem tempore colloquii, quod cum eo habuimus, erga sedem apostolicam verbis ostendit, ita etiam abundantius operis exhibitione demonstret.

EPISTOLA CCXV.

CONRADI IMPERATORIS AD EUGENIUM PAPAM III.

Ratisbonensem episcopum Jerosolymam tendentem ipsi commendat.

(Anno 1150.)

Dilectissimo in Christo Patri suo EUGENIO, sanctæ Romanæ Ecclesiæ summo pontifici, CONRADUS Dei gratia Romanorum rex et semper Augustus,

(157) Morbacense monasterium ordinis S. Benedicti insigne et antiquum in diocesi Basileensi, medios

A filialem dilectionem et debitam in Christo reverentiam.

Fidelis noster vestræ sanctitatis filius Ratisbonensis episcopus, etc. Vide in Eugenio papa III post ipsius Regesta.

EPISTOLA CCXVI.

CONRADI AD EMMANUELEM IMPERATOREM CONSTANTINOPOLITANUM.

Commendat ei episcopum Ratisbonensem Hierosolymam proficiscentem.

(Anno 1150.)

CONRADUS Dei gratia Romanorum imperator et semper Augustus, dilectissimo in Christo fratri suo EMMANUELI imperatori Græcorum præpotentissimo, indissolubilem fraternæ dilectionis affectum.

B Fidelis noster episcopus Ratisbonensis tuæ nobilitati plurimum affinis, licet in rebus imperii nostri plurimum nobis opportunus esset et commodus; delineri tamen nequaquam potuit, quin ob fideli ardorem et exsolvendi voti desiderium sub signo Crucifixi Jerosolymam tenderet. Quem ad tuæ celsitudinis præsentiam venientem pro nostræ dilectionis interventu solita pietate suscipies, et adjutum in his, quæ sua necessitas poposcerit tam per manus tuæ protectionem, quam per principum tuorum suffragia hilarem ad sui propositi effectum dimittes.

EPISTOLA CCXVII.

WIBALDI ABBATIS AD EUGENIUM PAPAM III.

C *De collapsa omnino in Morbacensi monasterio disciplina ope Eilulfi abbatis, cujus electionem confirmari petit, restauranda.*

(Anno 1150.)

Reverendo Patri suo et domino EUGENIO uni et universali pontifici, frater WIBALDUS Dei et vestra gratia id quod est in Ecclesia catholica, dilectionem filii et obedientiam servi.

D Post obitum confratris nostri Bertholdi abbatis de Morbach (157) fratres et familia ejusdem monasterii ex quadam parte convenerunt in personam celerarii sui, eumque adduxerunt ad curiam gloriosi filii vestri nostri domini Conradi Romanorum regis, quam in proxima transacta nativitate apud Bamberch recuperata jam sanitate celebravit. Pars vero tam de monachis quam de laicis eisdem electoribus se opposuit, dicentes non esse electionem, sed potius subreptionem, personam etiam esse minus idoneam ad tale onus sustinendum, et ad sanandas contritiones ejusdem monasterii. Intererat etiam eidem curiæ venerabilis filius vester Orthlevus Basileensis episcopus, qui inter disceptationes litigantium requisitus a domino rege de statu prædicti monasterii, quod in parochia ejus situs est, respondit eosdem fratres multum inordinabiliter et contra propositum et honestatem monachorum vivere, pro eo quod nec professionem facere voluissent, et singulares domos et seorsum proprietates inter montes Vosagos situm, ab Eberhardo comite fundatum et circa annum 727.

haberent, nec refectorium, nec dormitorium commune haberent. Asserebat etiam sub clerici sui et multorum tam abbatum quam monachorum religiosorum testimonio, quod præfatus abbas antequam vita decederet, sibi conquestus fuerat quod monachi sui inobedientes sibi et prorsus rebelles existerent neque disciplinam aut correctionem ullatenus recipere vellent. Hoc ipsum sub multorum audientia idem abbas domino nostro regi intimaverat. Nos quoque, charissime Pater, oculis nostris in eodem monasterio positi vidimus, quod proprias domos haberent et præbendas more sæcularium clericorum capiebant. Tunc quoque in conspectu regni in tanta controversia positi, neque tonsuram neque habitum monachi exhibeant, sed semilatici quodammodo deridendos se ostendebant. Allegabant præterea religiosi viri quod personam suis vitiis consentientem ex industria elegissent. Collectis itaque in unum harum objectionum summis adjudicatum est non potuisse non monachos abbatem eligere, eum præcipue, qui nunquam monachus exstitisset. Jussi sunt deinde tam monachi quam beneficiati et ministeriales Ecclesiæ, ad curiam quæ Spiræ in Purificatione B. M. celebrata est, convenire, ubi post multam monachorum pertinaciam tandem pari voto et unanimi consensu expetierunt sibi dari in Patrem et pastorem animarum suarum virum nominatæ religionis vestræ sanctitatis filium videlicet abbatem Erlæensem Eilulphum. Dominus vero noster rex communicato tam Basileensis episcopi quam aliorum religiosorum consilio, prædicto concessit Morbacense monasterium sub ea spe et sub tali mandato, ut præfatam Ecclesiam in divino cultu et monastica religione reformaret. Super quo pedibus vestræ celsitudinis humiliter advoluti devote clementiam vestram imploramus, ut quod tam bene et tam bonorum suffragio inchoatum est, ad honorem Dei, vos vestra benedictione et confirmatione perficiatis, neque pietatis aurem aliquibus pseudomonachis his tam recte gestis contradicere volentibus, inclinare dignemini.

EPISTOLA CCXVIII.

WIBALDI ABBATIS AD EUGENIUM PAPAM III.

Imperatorem adversus eum nihil moliri et de victoria a juniore rege reportata in Guelfonem et Godebaldum.

(Anno 1150.)

Reverendo Patri suo et domino EUGENIO uni et universali pontifici, frater WIBALDUS Dei et vestra gratia id quod est in Ecclesia catholica, seipsum et sua universa.

Apostolus Joannes dicit: *Non diligamus verbo neque lingua, sed opere et veritate.* Nos illorum igi-

(158) F. Gerisheim nobilis parthenon ordinis S. Benedicti in diocesi Coloniensi duobus circiter milliaribus a Dusseltorio distans, cujus moniales ad canonicarum sæcularium statum deflexere. De hoc parthenone Wernerus Rolevinck Carthusianus

tur imitantes diligentiam, qui pauca loqui et multa facere consueverunt, raro vestræ celsitudini studium ac devotionem nostram circa vos et sacrosanctam matrem nostram Romanam Ecclesiam prædicamus, cum tamen quotidiana et assidua instantia sedulum ad beati Petri et vestram fidelitatem servitium exhibere non cessemus, quod, præstante Domino, vestræ beatitudini per alias excellentes personas notum fore non dubitamus. Si quid vero de rebus quæ ad vos pertinent apud inclytum filium vestrum dominum nostrum regem Romanorum finaliter esset deliberatum, nos absque moræ prolixioris interpositione seu per personam nostram seu per scripta nostra vobis intimare diligenter curavissimus, quod etiam, cum factum fuerit, perficere maturabimus. Certa etiam sit vestra beatitudo quod, in quantum valet nostra mediocritas et in quantum divina clementia nobis apud serenissimum principem gratiæ et facultatis indulset, mentem ipsius, et verba et omne opus ad dilectionem et reverentiam vestræ personæ et honorem sanctæ matris suæ Romanæ Ecclesiæ, cui a Deo defensor ordinatus existit, mansuefacere et inclinare non desistimus. Cum hæc Spiræ in curia domini regis scriberemus, repente nuntiatum est nobis quod Guelfo captus et Godeboldus et multi de militibus ejus in prælio cecidissent, dimicantem contra eum inclyto filio vestro juniore rege domini nostri regis filio, per quod confidimus complanatas esse omnes difficultates quæ videbantur obsistere ad introitum domini regis in Italiam.

EPISTOLA CCXIX.

CONRADI IMPERATORIS AD EUGENIUM PAPAM III.

Mittit ad eum legatos, rogatque Eilulphum abbatem monasterii Morbacensis ab eo confirmari, et Ottomem clericum absolvi.

(Anno 1150.)

Dilectissimo in Christo Patri suo EUGENIO, sanctæ Romanæ Ecclesiæ summo pontifici, CONRADUS Dei gratia Romanorum rex et semper Augustus, filialem per omnia dilectionem et debitam in Domino reverentiam.

Postquam, Deo propitio nostram fragilitatem moderante, ab expeditione Jerosolymitana reversi fuimus, etc. *Vide in Eugenio papa III, ad an. 1153, inter variorum epistolas ad ipsum.*

EPISTOLA CCXX.

WIBALDI ABBATIS AD H. SOROREM SUAM.

Gratulatur ei de sua in abbatissam Gerigesheimensis parthenonis electione.

(Anno 1150.)

Frater WIBALDUS Dei gratia dictus abbas, dilectæ sorori suæ H. abbatissæ de Gerigesheim (158), benedictionem et vitam usque in sæculum.

lib. III *De antiquorum Saxonum situ et moribus* cap. 8, hæc tradit: *Gericus beatus vir et dux quiescit in Gerisheim cænobio monialium, quod ipse construi fecerat.*

Divinæ bonitati immensas gratiarum actiones referimus quod te ad Ecclesiæ suæ regimen vocare dignatus est, et participium sui nominis, in quo clamamus : Abba, Pater, tibi conferre, ut lucerna sollicitudinis tuæ, quæ hætenus sub modio privatæ vitæ latebat, super candelabrum posita ad multorum salutem luceat. Hætenus eras nobis soror, deinceps eris nobis et soror et sponsa tanto familiarius, quanto per denominationem nostro oneri accessisti vicinius. Misimus tibi annulum subarrhationis, ut nullum præter Christum amatorem admittas.

EPISTOLA CCXXI.

CONRADI IMPERATORIS AD EUGENIUM PAPAM III.

Petrum Capuanum archiepiscopum (1139), cujus opè sanitatem recuperaverat, ei commendat.

(Anno 1150.)

Dilectissimo in Christo Patri suo EUGENIO sanctæ Romanæ Ecclesiæ summo pontifici, CONRADUS Dei gratia Romanorum rex et semper Augustus, filialem per omnia dilectionem, et debitam in Domino reverentiam.

Deo propitio res nostras moderante, etc. *Vide in Eugenio.*

EPISTOLA CCXXII.

EUGENII PAPÆ III AD PRÆLATOS POLONIÆ.

Arguit eos quod latam a G. nuntio interdicti-sententiam non observent, atque ut resipiscant eandem sententiam confirmat.

(Anno 1150.)

EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis et aliis Ecclesiarum prælatis per Poloniam constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Quod vos benedictionis alloquio salutamus, etc. *Vide in Eugenio.*

EPISTOLA CCXXIII.

G. DIACONI CARDINALIS AD CONRADUM IMPERATOREM.

Cum multum in sua legatione pro duce Poloniae laboraverit, orat ut ipsi auxilium præstet.

(Anno 1150.)

CONRADO Dei gratia glorioso Romanorum regi Augusto, G. sanctæ Romanæ Ecclesiæ diaconus cardinalis, devotum servitium suum et orationum perseverantiam.

Pro negotio nobilis et illustris viri ducis Poloniae et conjugis suæ sororis vestræ, mandato Domini papæ nos satis laborasse vobis non erat incognitum. Verum persistentibus in sua dūritia adversariis, sicut a Domino papa nobis injunctum fuerat, et exhortationis vestræ nobis monita suggesserunt, justitiam de eis facere non dubitavimus. Quia ergo negotium illud jam ad vos quodammodo spectare videtur, majestatis vestræ celsitudinem attente rogamus, ut ita manum auxilii vestri eidem duci et brachium fortitudinis vestræ porrigere studeatis, ut vigorem ecclesiastici officii in hac parte viriliter

(1139) De hujus archiepiscopi pontificatu altum in *Italia sacra* silentium, ubi locum habere debet inter

A sublevis et de indulta pace duci et sorori vestræ laudem a Deo et hominibus consequi valeatis. Sententiam autem, quam contra adversarios ducis W. et sororis vestræ promulgavimus, dominus papa et Romana Ecclesia firmaverunt, et usquequo resipiscant et ad pacem convertantur, eam sententiam nequaquam relaxabunt.

EPISTOLA CCXXIV.

WIBALDI ABBATIS AD E. IMPERATOREM CONSTANTINOPOLITANUM.

Optat ut Deus victorem cum reddat de tyranno Siciliae, et ut initum cum Conrado imperatore olim fœdus renovet et firmet.

(Anno 1150.)

Glorioso, sublimi ac præcelso victori, magnifico, ac præpotentissimo E. PORPHIROGENITO GRÆCORUM imperatori excellentissimo, WIBALDUS Dei gratia Corbeiensis et Stabulensis abbas, assiduas orationes et devotum servitium.

Quod ad gloriosam majestatem vestram, ad sanctum et terribile imperium vestrum scribere audeo ignotus vobis tam facie quam obsequio, persuasit mihi sacratissima fides vestra, charitas et benignitas, quam exhibuistis charissimo domino meo Conrado serenissimo Romanorum imperatori augusto in terra imperii vestri et magnæ potestatis vestræ quando in tali temporis et rerum articulo erat, ubi solet verus amicus probari. Et quoniam in veritate intellexi quod ipse dominus meus vos et imperium vestrum diligit, et omnia quæ vobiscum per pactum et conventiones firmavit, implere intendit, ego quoque pro mea parvitate vestram celsitudinem plurimum diligo et honoro, et ut de communi hoste imperii vestri illustrem victoriam et gravem vindictam sumatis, Deum humili ac devota prece depono. Sane ille idem Siciliae tyrannus me ipsum de monasterio Sancti Benedicti in monte Casino expulit et perimere voluit, cum fuisset ibi communi omnium voto et acclamatione ordinatus abbas; imo nolens tractus in tempore felicis memorie Lotharii imperatoris, et gaudeo quod tales habeo adiutores, quin potius duces ac principes contra prædictum Dei inimicum. Siquidem malignus ille et alii quamplures homines contra magnificum et forte imperium vestrum multa mala moliuntur et quotidie machinantur; sed confido de omnipotentia Dei et de ipsius clementissima justitia, quod tantum ac tale imperium, in quo est divinæ religionis cultus, in quo est ordo legum et juris civilis ratio, in quo est fortitudo et disciplina militaris, in quo est infinita divitiarum copia, nullatenus ab improbis et perversis et absque pietate divina hominibus subruere possit et superari. De amplificando vero et in melius firmando fœdere inter sanctum imperium vestrum et præcelsam domini mei majestatem suadeo magnificentie vestræ, ut voluntatem suam, quam vestræ sapientie in præsentem manifestat, adimplere non Gaufridum, qui anno 1130 devixisse videtur, et Alphanum qui sedisse dicitur ab anno 1163 ad 1185.

differatis. Si dignatur vestra sublimitas meam parvitatem inter notos habere, et per gloriosos apices vestros salutare, de fideli fidelissimum me facietis.

EPISTOLA CCXXV.

WIBALDI ABBATIS AD G. CARDINALEM.

De fœdere Conradi imperatoris cum imperatore Constantinopolitano adversus regem Siciliae, quod papam maxime tenebat anxium.

(Anno 1150.)

Reverendo Patri suo et domino G. sanctæ Romanæ Ecclesiæ diacono cardinali, frater WIBALDUS Dei gratia id quod est in Ecclesia catholica, exiguas orationes et devotum servitium.

Si assiduitas familiaritatem, si familiaritas obsequium nobis apud vestram excellentiam dilectionis gratiam peperisset, auderemus celsitudini vestræ quædam tutius scribere et a vobis fortasse quædam reciperemus, quæ non essent in hoc temporis statu inutilia, quam fiduciam apud beatæ recordationis Guidonem (140) cancellarium viginti annorum notitia et quotidie accrescens inter nos charitas effecit, ita ut ei loqui et scribere tute possemus, quidquid in buccam venisset. Sane cum idem vir beatus nobis proxime scripsit, familiariter parvitati nostræ intimare dignatus est, quod quidam rumor tam dominum papam quam curiam suam perturbasset, pro eo quod serenissimus dominus noster Conradus Romanorum rex fœdus cum imperatore Græcorum firmasse dicebatur; ita ut sanctam Romanam Ecclesiam catholicorum omnium matrem graviter, si posset, affligere et perturbare disponderet. Injuxit etiam parvitati nostræ ex parte domini papæ et sua, et attentius exhortatus est ut, modis omnibus quibus possemus, efficere studeremus, ne adversus apostolicam sedem hujusmodi fluctus insurgerent, vel si forte, aliquorum pravitate insurgere cœpissent, cum aliis Ecclesiæ Dei fidelibus pro viribus nostris compesceremus. Fecimus quod jussit, et homini non fœdere contracto, sed et fastu et inobedientia Græcorum aliquantulum corrupto, longa cohabitatione et assidua colloctione humilitatis et obedientiæ bonum instillavimus, et aliquorum verba familiaritatis ausu severius interdum represimus. Porro in capite Quadragesimæ dominus abbas Clarævallensis misit domino regi litteras (141) per episcopum Frisingensem, in quibus collaudabat dominum illum Siciliae, eo quod in multis utilis et necessarius fuisset catholice Ecclesiæ, futurus utilior, si non prohiberetur virtute et potentia nostri

(140) Hic Guido ex comitibus Capronæ Pisanus diaconus cardinalis ab Innocentio II anno 1150, creatus, cum viginti annorum spatio familiaris fuerit Wibaldo, ad 1150 pervenisse et non ultra dicendus est, ut patet ex hac epistola, quæ eum beatæ recordationis cancellarium vocat, ac proinde emendari debet Ciaconius qui obitum ipsius anno 1155 consignat.

(141) Duas habemus sancti Bernardi ad Conradum epistolas, scilicet 185 et 244, quibus eum hortatur ad reverentiam sedi apostolicæ exhibendam; verum in eis ne minimum quidem verbum de rege Siciliae,

A principis, de quorum pace et concordia se libenter acturum promittebat, si sciret domino nostro non fore ingratum. Visus est hoc ipsum innuere dominus T. (142) Sanctæ Rufinæ episcopus in litteris suis, quas post reditum suum a Jerosolyma, cum per Siciliam transitum habuisset, domino nostro scripsit. Ad cujus verbi assensum, nos animum nostrum et consilium domini nostri, quantum in nobis fuit, inclinare nequaquam voluimus, nisi prius quid super hoc in beneplacito domini papæ esset, certius intelligeremus, nec tamen super hæc ei scribere præsumpsimus, ne videremur altiora nobis petere, et in secreta ipsius temeraria importunitate irruere; sed quod si insipientes apud vos facti sumus, fides quam ad sanctam Romanam Ecclesiam habemus, et vestra humilis et affabilis benignitas nos coegerunt. Quod si studium nostrum taciturnitas vestra et propitia responsio adjuverint, erimus de cætero in hujusmodi officiis promptiores. Scripserunt senatores vestri ad dominum nostrum graves et duras adversus dominum papam epistolas (145), quæ ad ipsum mense Januario allatæ sunt, quarum exempla vobis attulissemus, si ad urbem, uti cōdictum fuerat, venissemus. Industriam vestram, de qua plurimum confidimus, attente monendo rogamus ut petitiones, quas ipsi domino papæ scripsimus, ad effectum perducere curetis. Cum hæc scripsimus eramus in Fuldensi monasterio, et a curia apud Wirceburg recesseramus, sic ordinatis rebus, ut magister Henricus regie curiæ notarius ad dominum papam in præsentem transire debeat.

EPISTOLA CCXXVI.

CONRADI IMPERATORIS AD EUGENIUM PAPAM III.

Mittit ad eum oratorem magistrum Henricum curiæ suæ notarium.

(Anno 1150.)

Dilectissimo in Christo Patri EUGENIO, sanctæ Romanæ Ecclesiæ summo pontifici, CONRADUS Dei gratia Romanorum rex et semper Augustus, filialem per omnia dilectionem et debitam in Domino reverentiam.

Ex quo nos propitia divinitas, etc. *Vide in Eugenio III, post ipsius Regesta.*

EPISTOLA CCXXVII.

WIBALDI ABBATIS AD EUGENIUM PAPAM III.

Significat ei et petit ab eo confirmationem electionis Marcuardi abbatis Fuldensis.

(Anno 1150.)

Reverendo in Christo Patri suo et domino EUGENIUM tamen in quibusdam aliis epistolis 207, 208 et 209, laudat, ipsius magnificentiam et eleemosynas mire prædicans. Verum in epistolis quas antea ad Innocentium II nomine Adalberonis archiepiscopi Trevirensis scripserat, vocat eum tyrannum Siculum epist. 176 et 177. Porro laudatam hic a Wibaldo epistolam excidisse constat.

(142) Theodevinus Germanus ab Innocentio II creatus cardinalis.

(145) Has epistolas superius habes num. 21, 212, 215.

xio uni et universali pontifici, frater WIBALDUS Dei gratia et vestra id quod est in Ecclesia catholica, honorem ut patri, timorem ut domino.

Postquam gloriosus filius vester noster serenissimus dominus Romanorum rex a Jerosolymitana expeditione reversus fuit, dilectus frater noster H. Herfeldensis abbas ab administratione Fuldensis abbatiæ, quam susceperat, cessit. Itaque dominus noster rex tum pro innumeris vexationibus, quibus Fuldensis Ecclesia tam intus quam foris quotidie fatigabatur, tum pro partium studiis, quæ de facili componi non poterant, ordinare ipsum monasterium distulit, et sicut in recolligendis possessionibus, quæ inordinate fuerant dispersæ, potens et efficax esse poterat, sic in curandis animabus, quæ Ecclesiarum pretiosissima est substantia, invigilare et attendere non poterat. Super qua re a nostra parvitate sæpe commonitus et ab Ebracensi abbate et aliis religiosis viris, tandem suggestioni acquiescens, venit Fuldam III. Nonas Aprilis. Cui curiæ interfuerunt venerabiles filii vestri, Bremensis archiepiscopus, Wirceburgensis et Halberstadiensis episcopi, et alii de laicorum ordine principes et nobiles multi, a quibus inter cætera regni negotia quæsivit, qualiter Fuldense monasterium sic Deo auctore ordinaret, quatenus ibidem, quæ sunt Dei Deo, et quæ Cæsaris sunt Cæsari redderentur. Dubitatum est diu, ut in talibus negotiis solet, maxime propter multas in brevi tempore abbatum mutationes et propter partium studia et dissensiones, quæ in eodem monasterio adhuc fervere noscebantur. Suspensis ergo omnibus, dixit dominus rex quamdam sibi personam a viris religiosis esse ostensam boni testimonii et integræ famæ, quæ rem modicam religione possessionibus et ædificiis auxisset, de cuius pietate, fide et constantia nequaquam dubitarent, quin Fuldensi Ecclesiæ et præesse et prodesse possit; in cuius electione personæ, si omnium vota concordarent, fore in brevi, ut cum suo clementiori et propensiori patrocínio Fuldensis Ecclesia pristinum suæ dignitatis honorem reciperet. Placuit omnibus qui aderant tam pia regis devotio, tam religiosa sententia, et perlatum est ipsius ad electores a prænominatis episcopis et ab Ebracensi et Hatclesburnensi abbatibus, a nobis etiam et ab aliis principibus, quem sermonem tanquam divinitus missum pari consensu et unanimi voto omnes susceperunt, nomenque viri, qui tanto laudis et principis suffragio juvaretur, sibi exponi flagitabant. Ita celebri cunctorum conniventia elegerunt in abbatem et rectorem animarum suarum et dominum Fuldensis Ecclesiæ dominum Marwardum abbatem monasterii de Telekeinge, qui fuerat nutritus et educatus a puero in monasterio Sancti Michaelis in monte in civitate Bamberg, et sine querela conversatus. Præfato autem monasterio suo præfuerat annis octo, testimonium habens etiam ab his qui foris sunt, et provexerat tam in divinis quam in humanis rebus. Qui quoniam ab his, qui

A eum intime noverant, plurimum laudatur, et non solum absens sed etiam ignorans electus est, et valde invitus et plurimum renitens hoc onus subire compulsus est, adhortante satis domino nostro rege, et bona sibi promittente, et quodammodo cogente. Nostra quoque parvitas vestram celsitudinem intime rogare ausu sanctæ charitatis præsumit, ut sanare dignemini contritos Fuldenses, et alligare contritiones eorum, et per vestræ benedictionis manum, quæ sola potest medelam præstare languoribus, opus quod circa prædictam personam inchoatum est, confirmetis. Hoc quoque sublimitati vestræ indicare studuimus, quod ea die apud Fuldam eramus, quando omnes Fuldenses fratres regulariter et humiliter eidem eiecto suo subjectionem et obedientiam promiserunt. Salvum vos et incolumem ac regimen catholicæ Ecclesiæ Deus omnipotens custodiat.

EPISTOLA CCXXVIII.

WIBALDI ABBATIS AD EUGENIUM PAPAM III.

Injunctam sibi ad papam legationem explere prohibitus, aliquas ei mittit per subrogatum legatum petitiones pro Corbeiensi monasterio.

(Anno 1150.)

Dilectissimo Patri suo et domino EUGENIO uni et universali papæ, frater WIBALDUS Dei et vestra gratia id quod est in Ecclesia catholica, seipsum et sua universa.

Venimus ad curiam gloriosi filii vestri Conradi Romanorum regis in vigilia Nativitatis Domini, et permansimus in ea continue usque ad feriam quintam hebdomadæ paschalis, sub ea expectatione, ut nos et cancellarium suum ad vestræ sublimitatis presentiam, sicut jamdudum condixerat et vestræ quoque magnitudini significaverat, transmitteret. In quo temporis spatio diē et nocte id efficere studiose satagemus, ut animum ipsius ad dilectionem et reverentiam vestræ personæ, ad defensionem sacrosanctæ matris nostræ Romanæ Ecclesiæ et omnium Ecclesiarum fortiter accenderemus. In quo studii exercitio non solum conscientiæ nostræ testimonium habemus, sed et fidelium vestrorum et aliorum quorundam, qui tempora libenter accusantes bonis solent detrahere et discordias seminare. Sed intervenientibus quibusdam magnis regni negotiis, neque persona nostra neque cancellario suo carere voluit, cum tamen nos ad monasterium nostrum usque ad futuram autumnī temperiem redire ægre permiserit. Interim misit magistrum Henricum curiæ suæ notarium, virum sapientem et probum, et vobis omnino fidelissimum, quem ut honeste suscipiatis et efficaciter ac celeriter dimittatis, ex abundanti credimus esse, vestram super hoc prudentiam et benignitatem submonere. Venissemus ad vos desideranter non solum pro honore et utilitate Dei et imperii Romani, verum etiam ut faciem vestram, quam sicut vultum angeli intuemur, cernere mereremur, et humili sermone quædam excellentiæ vestræ suggereremus, quæ scriptis committere

non præsumimus, tum propter varios et incertos eventus rerum, tum ne in arduas et arcanas res et in secreti vestri profundum nos temere et importune ingerere æstimaremur. Petitiones nostræ quæ in scriptis habentur, ut a clementia vestra humiliter exaudiantur, humiliter imploramus, quoniam nisi ad labores Corbeiensis Ecclesiæ tolerandos benedictam manum auxilii vestri nostræ pusillanimitati porrexeritis, avolare nos oportet et requiescere a pusillanimitate spiritus et tempestate. Sanctitatem vestram ad regimen Ecclesiæ catholicæ in longa tempora Dei misericordia conservare dignetur.

Wibaldus abbas Corbeiensis petit, ut dominus papa scribat H. Mindensi episcopo, quatenus sine mora Kaminatensem ecclesiam reconciliet, quam ideo pollutam esse judicavit, quod puer unus monachus, dum in resarciendo tecto ecclesiæ architectis subministrat, de culmine in pavimentum ecclesiæ collapsus est, et ita absque ulla sanguinis effusione exstinctus, quam per anni fere spatium reconciliare noluit. Et quod de parochianis suis Thiderico de Rekelinge ac Reinberto et Thiderico filiis ejus, qui prædia Kaminatensis ecclesiæ invaserunt, justitiam faciat, ut si infra triginta dies post acceptas litteras possessiones non dimiserint, et ablata in integrum non restituerint, excommunicationi eos subiciat.

Item petit, ut domino A. Bremensi archiepiscopo scribatur, quatenus prædia Kaminatensis ecclesiæ, quæ in terra sua sunt, abbatem retinere adjuvet, et eas præcipue possessiones, quas Juditha abbatissa post depositionem suam alienavit, et invasores nisi infra triginta dies post acceptas litteras respiscant, excommunicet. Item petit ut in eundem modum scribatur H. Ferdensi episcopo. Item petit ut duci Saxonie in eadem sententiam scribatur. Item petit ut tam Coloniensi archiepiscopo, quam Coloniensi ecclesiæ districte et dure scribatur, de Juditha abbatissa de Jesika, quæ abbatia est in fundo et parochia Coloniensi, quæ non solum clausa et correctæ non est, sed etiam per totam terram cum suis corruptoribus volitat, et bona Kaminatensis ecclesiæ, a qua per bonæ memoriæ Thomam cardinalem apostolicæ sedis legatum deposita fuit, et sententia depositionis a domino papa in synodo Remensi confirmata, quæ nisi deposita aut excommunicata fuerit, nullo modo cessatura est.

EPISTOLA CCXXIX.

H. MORAVIENSIVM AD WIBALDUM ABBATEM.

Optatum ad papam iter ei deprecatur.

(Anno 1150.)

WIBALDO serenissimo domino et Patri suo venerabili sanctæ Corbeiensis ecclesiæ abbati, H. Dei per patientiam Moraviensium id quod dicitur, servitutis cum devotione orationis mutuæ participationem.

Vestræ litteras benignitatis veneratione debita suscepimus ex quibus desiderio quod desideravimus, vos videlicet, quia salvum esse percepimus,

A gratias divinæ pietati exsolvimus, non enim vestram minus quam nostram sospitatem et prosperitatem desideramus, et ab eo, hæc qui præstare potest precibus, licet indignis, augeri et conservari deposcimus. Quod autem facietenus vestra pietas videre nos tantum desiderat, grates quidem agimus, ipsam tamen proinde quod nos videre non valuit, minime dolere rogamus, cujus præsentiam nostri cordis a memoria nec locorum spatia nec tormenta infirmitatis continua amovere queunt. De cætero quoniam vestræ sublimitatis excellentia pro nobis usque adeo humiliari non dedignatur, quod nostræ verbula parvitas domino nostro papæ sese velle deferre promittat, ei humiliter inclinamus, et ut vestrum iter angelus Dei comitetur, votis omnibus optamus. Et quoniam impræsentiarum ad prædictum dominum nostrum, quod deferamus, nihil aliud habemus, nostras ei continuas mandari orationunculas, infirmitatem quoque vestræ relatione gratiæ insinuari rogamus.

EPISTOLA CCXXX.

D. EPISCOPI PRAGENSIS AD WIBALDUM ABBATEM.

Ad papam profecturo mittit munus, oraque ut sui apud pontificem recordari velit.

(Anno 1150.)

WIBALDO domino et Patri suo reverendissimo Corbeiensis et Stabulensis ecclesiæ abbati, D. licet indignus Dei tamen gratia Pragensium episcopus, cum sinceritate servitii exiguas orationes.

C Regalibus vos occupatum negotiis et regali assidentem lateri gratulamur. Hoc enim gratia vestra ex antiquo apud parvitatem nostram multis beneficiis obtinuit, ut prolectui vestro congaudeamus. Verum tamen quod litteras vestras omni suavitate et mellitâ dulcedine plenas mittere dignatus estis, quantas impræsentiarum valemus gratiarum actiones sinceræ paternitati vestræ referimus, et licet corpore disjunctos diversitas locorum separât, nunc tamen præsentia vestra spiritu nostro quotidie præ oculis habita per scripta vestra est renovata. De cætero quia tantam gratiam humilitati nostræ in oculis vestris Dominus contulit, ut in curia quoque Romana nostri memor esse velitis, et inde quidem vobis gratias agentes obnixè postulamus, quatenus immeritæ personæ nostræ memoriam quantulamcunque dignabimini apud dominum apostolicum facere non abnuatis. Præterea quamdam parvulam charitatem sinceritati vestræ transmisimus, rogantes et in Domino obsecrantes ut benevole eam suscipiatis, et ex ea saltem equum servientis vobis ferrare non abnuatis. Honestam ac Deo devotam ac dilectam familiam vestram ex obsequio parvitas nostræ, dominum quoque cancellarium amicum nostrum salutare dignemini. Orantem pro nobis sinceritatem vestram, nobis multum necessariam, in pace et prosperitate Dominus Deus sanam et incolumem conducat et reducat, et longævo tempore custodiat.

EPISTOLA CCXXXI.

EMELERI MONACHI AD WIBALDUM ABBATEM.

Commendat ei A. præsentium litterarum portitorem.

(Anno 1150.)

Domino vere sancto et omni veneratione digno W. Corbeiensi abbati, frater EMELERI ille humilis et qualecunque vas in domo magni Patrisfamilias cum fraternæ dilectionis obsequio, quidquid potest nostræ mentis affectio.

Si vivis et vales ac excitant viscera..... libenter volo et bene..... sanctitatis tuæ personam amare, virorum optimè, quia parvitatem meam, sicut ab ore tuo accipere potui, etiam absentem et corporali adhuc facie incognitam propter quædam quæ tibi ab amatoribus mei de me bona dicebantur dilectione tua dignum judicasti, et præsentem postea familiariusque cognitam in omni loco ubi nos duo convenire potuimus, supra vires et merita mea honorasti. Unde desideratissimæ fraternitati tuæ de mea fidelitate indubitanter constare volo quod, ubicunque possum, et boni nominis tui famam augere, et causam tueri libenter faciam et feci, et quotidie facio, quoniam similia a te exspecto. Dominum A. præsentium portitorem litterarum, hominem satis afflictum et bonorum solatiis indigum, pietati vestræ attentius commendo, ut sicut misericorditer cum eo facere cœpistis ita usque in finem juxta quod ejus se causa habet cum eo facere perseveretis. Omnis enim boni principii et recti operis finis expetendus est. De cætero sit vobiscum Dominus et vester Spiritus nobiscum imploro.

EPISTOLA CCXXXII.

H. HAMENBURGENSIS EPISCOPI AD WIBALDUM ABBATEM.

De abbate Rësveldensi quem sui monachi expulerant.

(Anno 1150.)

H. sanctæ Hamenburgensis ecclesiæ divina solum misericordia si quid est, dilecto ac venerabili fratri WIBALDO Corbeiensium reverendo abbati, firmam in Christo dilectionem cum salute.

Litteras fraternitatis vestræ ornatu verborum et sententiarum pondere plenas in proximo diligentius perscrutantes, accepimus innotuisse vobis abbatem de Resvelde a sibi subjectis, præposito videlicet et cæteris loci illius fratribus sine ratione ac sine iudicio loco et dignitate sua fuisse privatum et expulsam; unde provide quidem satis nobis suggestistis dignitate sua ac possessione eum reinvestiri debere. Sed legum capitula quæ induxistis vera quidem sunt, sed non hac in re locum habentia. Etenim vestræ legationi intererat venerabilis Havelbergensis Ecclesiæ episcopus Anselmus cum universo Ecclesiæ nostræ conventu, intererat abbas Mindensis et Sancinensis cum aliis pluribus abbatibus, et præpositis in quorum præsentia apertissime comprobatum est, multorum attestazione religiosorum, dictum jam abbatem nullam expulsionis passum

A violentiam. Non igitur loco suo inducta est lex quæ ait, expulsi aut exspoliati rebus suis advocari ad causam nec judicari possunt, quoniam non est privilegium quo exspoliari possint jam nudati, et cætera, quæ altera tantum parte audita intendistis. Sed ars elocutionum rhetorica vitiosum in causis asserit exordium; quod pars vindicare sibi potest adversa, ut cum dicunt, me qui justam causam habeo juvêtis, idem pars dicit adversa. Denique vestro interventu eorum deliberationi nos commisimus, qui a vobis et a dominis et fratribus nostris ad nos hac de causa missi fuerant, et sic petitioni vestræ et illorum satisfaciens, diem ei statuimus, quo in præsentia fratrum loci illius res ista vel justitiæ rigore vel misericordiæ tranquillitate, sine tandem pacis in Domino terminetur.

EPISTOLA CCXXXIII.

CONRADI IMPERATORIS AD WIBALDUM ABBATEM.

De H. duce Saxonie, qui ad curiam non venerat, sed ducatum Bavarie invadere conatus fuerat.

(Anno 1150.)

CONRADUS Dei gratia Romanorum rex, WIBALDO Corbeiensi abbati, gratiam suam et omne bonum.

Sanctitati tuæ notum sit, quod nos ex consilio et petitione principum duci H. Saxonie ad expostulandam beneficalem justitiam curiam Ulmæ in octava Epiphaniæ indiximus. Ipse vero ad eandem curiam non solum venire neglexit, verum etiam armata manu ducatum Bavarie occupare conatus est. Nos itaque debitum regalis censuræ magis quam ejus facta attendentes, aliam curiam ex iudicio principum in festo Barnabæ apostoli Ratisbonæ ei præfiximus, querimonie ipsius Deo auctore satisfacturi. Cætera nuntius.

EPISTOLA CCXXXIV.

STABULENSIUM MONACHORUM AD WIBALDUM ABBATEM.

Orant ut J. monacho Corbeiensi præteritas noxas indulgeat.

(Anno 1151.)

Reverendo in Christo Patri suo et domino WIBALDO Stabulensis atque Corbeiensis ecclesiæ venerabili abbati, frater Robertus Stabulensis ecclesiæ decanus, et humilis ejusdem loci congregatio, filialem dilectionem et debitam subjectionem.

Cum de salutis vestræ valetudine incertos nos faciat nuntiorum vestrorum ad nos raritas, nihil est, charissime Pater, quod in nostris causis aut solatium aut jucunditatem nobis conferre valeat. Inde est quod aliquando nostri memores Deo pro nostris oppressionibus placationis hostiam et precum sacrificia, ibi semper vestri memoriam habeamus, ubi descendentes et angeli omnipotenti Deo Patri vota uniuscujusque repræsentant et munera. Per hoc enim et aspera plana fieri, et montes et colles credimus humiliari. Cæterum, Pater, de nostrarum rerum statu, Ecclesiæ vestræ habitudine aliqua vo-

his scribere supersedemus, cum in proximo, id est circa Purificationem beatæ Mariæ et adventus domini regis Lotharingæ et vester ad nos reditus expectetur. Interim autem benignitatis vestræ mansuetudini humiliter significamus, quod propter charitatis unitatem et gratiam, quam ad Corbeisensem habemus Ecclesiam, venientem ad nos fratrem vestrum J. Corbeisensis Ecclesiæ filium debita compassione collegimus, et aliquanto tempore nobiscum detinuimus, cui etsi minus impenderimus, quam ejus poposcerit necessitas, tamen fraterne ipsi contulimus, quod pati potuit rerum nostrarum exiguitas. Et quoniam orationis voto completo, ad locum professionis suæ, ad Ecclesiam quæ eum nutrit et aluit, redire disposuit, sanctitatis vestræ pietatem attente exoramus, quatenus petitionis nostræ interventu et omnium nostrum pro eo humili satisfactione, ita omnem præteriti temporis noxam remittatis ut absque gravioris pœnæ sententia fratrum suorum collegio eum pie restituatis. Sufficit ei namque, Pater charissime, ad omnium excessum suorum veniam hiemis gravis asperitas, et viæ longioris non parva difficultas. Quare iterum atque iterum supplicamus, ut ad misericordiam et requiem ei valeat nostræ petitionis intercessio.

EPISTOLA CCXXXV.

ANSELMI EPISCOPI HAVELBERGENSIS AD WIBALDUM
ABBATEM.

*Declarat se deinceps residere velle in Ecclesia sua cum
fratribus suis, quos laudat.*

(Anno 1151.)

WIBALDO venerabili abbati, charissimo sibi, ANSELMUS pauper Christi, orationes quotidianas et obsequium quotidie paratum.

Charissime, scripsisti mihi familiariter et breviter, sed mihi multa de te et de me scire volenti pauca non sufficiunt. Utinam per triduum saltem simul sederemus et in medio nostrorum noster cancellarius sederet, ut mutua colloquutione in omnium nostrum notitiam veniret, quod singuli intra se clausum tenerent! Ego quidem iterum jam in alveum cordis mei regressus sum, nec sponte mea de cætero adeo supereffluere disposui, ut ad instar torrentis lutum colligam quo involvar, et cœnulentam turbationem, quam sæpe passus, sum iterum patiar. Quid enim mihi inter molentes, licet alter interdum assumatur, ubi continuus et infinitus est circuitus? quid mihi in agro, ubi licet assumatur, tum vix, unquam deest sol urens et æstus percutiens, seu alia quævis tentationis intemperies. Quinimo in lectulo conquiescam, ubi licet alter interdum relinquatur, tamen alter nequaquam tot tentationibus expositus frequentius assumitur. In præsepio meo Havelberg pauper Christi cum fratribus meis pauperibus Christi maneo (144), ubi alii turrim fortitudinis ædificant a facie inimici, alii sunt in excubiis ad defendendum contra insultus paganorum, alii divinis obsequiis

(144) Ex his quæ narrat hic de fratribus suis seu canonicis Ecclesiæ Havelbergensis, non levis conjectu-

A mancipati quotidie martyrium expectant, alii animas suas Deo reddendas jejuniis et orationibus purificant, alii lectionibus vacantes et sanctis meditationibus insistentes, et sanctorum vitam et exempla imitantes seipsos exercitant, at omnes nudi ac pauperes nudum ac pauperem Christum quantum possumus, sequimur. Satis lusimus, de reliquo res seria agatur. Christus in præsepio, Christus in prætorio: aliter ibi, aliter ibi. Ibi, id est in præsepio jacenti, angeli laudantes concinuerunt; ibi, id est in prætorio ante principes stanti acclamaverunt Judæi: Crucifigatur, crucifigatur. O sigillum divinæ Scripturæ quis mihi aperiet? quis, inquam, nisi Agnus qui occisus est ab origine mundi? Crede mihi, frater charissime, melius et tutius est cum

B Christo jacere in præsepio et vagire miserias conditionis humanæ, stella nova desuper lucescente, angelis gloriam concinentibus, regibus diversa munerum xenia offerentibus, quam stare in prætorio iridentibus militibus, flagellantibus, conspuentibus, alapis verborum cadentibus, coronam spineam, vere spineam, vere aridam, vere succo æternæ vitæ carentem, vere spineam pungitivam, aculeos detractionis post laudes habentem plectentibus, sole contemplationis divinæ obscurato, terra corporis tremiscente, petra fidei scissa, velo templi diviso. Crede mihi, frater charissime, tutius est in præsepio quam in prætorio. Ibi consolationes, hic terrores. Sufficit; dum enim scribo et longiorem epistolam facere volo, nuntius Maguntini archiepiscopi supervenit, et, datis litteris factaque verborum legatione, eadem hora discessum paravit, et hanc epistolam succidere me coegit, quia nuntium meum statim cum illo mittere me oportuit. Dominum meum ac tuum augustum humillimum, dum circa ipsum es, diligenter custodi, et quia Deus fidelem te et sapientem fecit, fac quod potes et scis, quantum tibi permittitur. Saluta cancellarium nostrum ex Anselmo tuo et suo.

EPISTOLA CCXXXVI.

R. MONACHI AD WIBALDUM ABBATEM.

*Reddit rationem de his quæ egerit ad monasterii
utilitatem, petitque ab eo præbendam pro con-
sanguineo suo novenni.*

(Anno 1151.)

D Domino et Patri Stabulensi venerabili abbati WIBALDO, frater R., cum orationum devotione obedientiæ bonum.

Quoniam cognosco me servum vestræ sanctitatis, paternitatis filium, dilectionis amicum, memoriam vestri facio assidue in orationibus meis, ut vos Deus omnium, Deus miserationum omnipotens regat semper et protegat, et gratiæ suæ rore irradiet, et quia probatio dilectionis exhibitio est operis, vobis in operibus vestris voluntate condelector et opere. Unde in vacuando cœmeterio novo et aquæ ductu restruendo operam do; capella Beati Nicolai, ra est eos fuisse regulares, et quidem ut conjicio, ordinis S. Augustini.

gradibus dormitorii superioribus, introitu necessariorum communium, muris pomerii novi non neglectis, mulieris quæ in modico totum jactavit in gazophylacium formam sectans. Verumtamen lecythus olei et hydria farinae et charitatis et obedientiæ non imminuitur. Nunc quia non in modico restruxistis muros Stabulenses, curandum summo-
pere est, ut ædificentur muri Jerusalem. De statu vestri loci, propter prolixitatem, fratri vestro et nostro præsentium latori secundum opportunitatem temporis digna relatu vobis indicanda reliqui. Cujus studium in filio fratris sui collaudans, ut voluntatem ejus super hoc impleatis, oro, quia in hoc ordinat charitatem in eo, cujus ordinatione perseverat dies : et cum tempus est, operandum est bonum ad omnes, maxime ad domesticos, ut domestici fiant tam fidei quam ordinis et sortis Jesu Christi. Unde ego gratias multiplices agens, vobis pro innumeris beneficiis vestris, quoniam non unam benedictionem
. et propinquiorei cognato meo novenni præbendam et locum apud nos concedatis. Nam etsi non possum, Dei erit retribuere, si ei via et janua fueritis veniendi ad hoc, ut passionibus Christi in monasterio sub habitu monachico per patientiam participet. Frater vester de causa hac fungetur pro me, vestrum est ut respiciatis sperantem in vobis, et manum clementiæ porrigatis cum fiducia supplicanti. Va-
lete.

EPISTOLA CCXXXVII.

STABULENSIUM MONACHORUM AD WIBALDUM ABBATEM.

Orant ut, si fieri possit, ad eos redeat, ut apud regem promoveat querimoniam de Hengebach.

(Anno 1151.)

Reverendo in Christo Patri suo et domino WIBALDO Stabulensi venerabili abbati, humilis sub eo eodem in loco grex Christo militans, debitæ subjectionis et dilectionis reverentiam.

Licet Pater hoc tempore solito rarius vobis nostra scripserit universitas, tamen non ideo minori charitatis ardore circa vestri amorem accendimur, cum toties vos nobis esse præsentem æstimemus, quoties pietatis vestræ studia circa nos et locum nostrum consideramus. Inde est quod salutis vestræ prosperitatem semper optamus, optando desideramus, desiderando exoramus. Salutantes itaque paternitatem vestram, devotissime rogamus, ut si salva gratia domini nostri regis obtineri potest, ad nos redire non abnuatis, quia tam in interiorum cura et ordinatione, quam in exteriorum providentia Ecclesiæ vestræ ac filiis vestris necessaria et utilis præsentia vestra esset. Interim autem supplicamus, ut querimoniam nostram quam domino regi pro illis de Hengebach transmisimus promovere dignemini; quia nisi districte super ea, quæ jam secundo adversum vos et Ecclesiam nostram perpetraverunt, coerceantur, adhuc graviora committere non timebunt. Cæterum ne animum vestrum majoribus

PATROL. CLXXXIX.

A forsitan negotiis intentum schedula longior aut prolixior epistola oneraret, fratri vestro custodi scilicet ecclesiæ, reliqua narranda commisimus, a quo de statu rerum nostrarum et tam de his quæ intus sunt, quam de his quæ foris aguntur, si opportunum fuerit, plenius audire poteritis. Paternitatem vestram ad honorem Ecclesiæ suæ omnipotens Deus incolumem custodiat. De Vilippes, si opportunitas acciderit, petimus, ut mentionem coram rege faciatis.

EPISTOLA CCXXXVIII.

STABULENSIUM MONACHORUM AD CONRADUM IMPERATOREM.

Conqueruntur de Goswino de Hengebach et Everardo ejus fratre.

(Anno 1151.)

Gloriosissimo atque invictissimo domino suo Romanorum imperatori Augusto CONRADO, humilis Stabulensis Ecclesiæ congregatio, quidquid regie majestati tantillus debet ac potest conventus.

Si excellentiæ vestræ, serenissimæ domine, aliquomodo gratiarum actiones reddere nostra posset exiguitas, id tanto exsequi curarem attentius, quanto in colligendo Patre nostro Ecclesiæ vestræ, in qua positi sumus, misereri dignemini propensius. Inde est, quod continuis missarum celebrationibus ac vigiliis, assiduis precibus, et eleemosynis Deum pro statu regni vestri, pro utilitate vestra vestrorumque exoramus devotius postulantes, ut is, in cujus manu sunt omnium potestates et jura regnorum, eos qui in sua feritate confidunt, per vos potenter comprimat, quo liberius paci et utilitati Ecclesiarum Dei vestra clementia postmodum providere valeat. De cætero, mitissime domine, quoniam specialius quodammodo protegere eas Ecclesias vestra debet majestas, quæ ab inclytis prædecessoribus vestris imperatoribus sive regibus honestiori cultu et ampliori magnificentia sublimatæ existunt, speciali quadam confidentia ad vos accedere audemus, ubi clementiæ vestræ genibus provoluti, humiliter conquerimur de Goswino de Hengebach et fratre ejus Everardo, qui contra omnem justitiam in die pacis, in festo scilicet apostolorum Simonis et Judæ, sex carratas vini cum animalibus nobis violenter abstulerunt, et pauperes nostros, qui plaustra sequebantur, captos, gravissimis poenis afflixerunt : super quo cum vestram parati essemus expetere justitiam, tandem causa domini cancellarii, qui damno nostro pie condescendebat, homines nostros pene nudos, et aliquam partem accepti vini atque animalium nobis reddiderunt, promittentes se in brevi tempore coram domino cancellario omnia reddituros. Hac itaque sponsione accepta, hucusque frustratoria spe seducti exspectavimus, nunc demum post longam moram et graves expensas, certi quod nihil ab eis reciperemus, nisi ad hoc per efficacem nuntium vestra regia compellat auctoritas, quod ut facere respectu Dei dignemini suppliciter Ecclesiæ vestræ deposcit universitas.

EPISTOLA CCXXXIX.

JOANNIS NOTARII AD R. PRINCIPEM ET COMITEM
RIC.

De fœdere Guelphi cum rege Siculo.

(Anno 1151.)

Charissimis dominis suis R. princ. et comiti Ric.,
JOANNES notarius eorum fidelissimus, salutem et
servitutis obsequia.

Per omnia vobis fidelis existens, quæ scio vobis
notifico, et in quibus possum servitium reddo. Scia-
tis itaque Guelphum domini regis Conradi prodi-
torem cum Siculo concordem esse, magnamque
pecuniam ab eo accepisse et clam ductu Cencii Fra-
japani et Gataguefi Romam transiit, homines ta-
men sui cum quatuor Saracenis et totidem dextra-
riis Romæ a senatoribus capti et dimissi fuere, qui
litteras ex parte Siculi Friderico duci Suaviæ, Hen-
rico duci Saxonie, Bertolfo filio ducis Conradi,
Conrado duci de Cebering pro damno et guerra do-
mini regis Conradi deferebant, quibus commone-
bantur et rogabantur a Siculo, ut quæ illis Guel-
phus de suo proficuo diceret, facerent. Studeatis
ergo filio regis et etiam domino regi Conrado et
fidelibus suis ista notificare, ut sint inde muniti, et
illi capiantur, si fieri potest. Cæterum sciatis quod
Cencius Frajapane, quantum potest, vobis nocere
studet, et papa ejus consilio, et hoc ita verum est,
quod cardinales laudaverunt se coram C. Fraja-
pane, et dixerunt se vos conclusisse, et Græcos Ve-
netiæ tanquam canes et mastinos, ita ut nihil pos-
sitis nocere Siculo ex hac parte. Ipse papa nun-
tios misit ad Siculum pro vestro damno, si cum eo
poterit quod vult perficere, et treugas cum eo habet
usque ad quadrennium adhuc. Propterea in eo non
confidatis, nec de vestris vos aut Græci ei tribuatis,
quoniam totum illud amitteretis, et melius foret si
sandalia pauperibus aut hominibus vestris dedis-
setis. Cum senatu igitur et populo Romano conve-
niatis, quoniam per illos, juvante Deo, vincere po-
teritis. Græci autem large distribuant sua, quoniam,
dicente Salomone: *Pecuniæ obediunt omnia.* Et Si-
culus in avaritia Græcorum confidit, idcirco tem-
pore opportuno sua disperdit; ita et ipsi faciant,
si vincere volunt.

EPISTOLA CCXL.

WIBALDI ABBATIS AD CONRADUM IMPERATOREM.

*Monet nihil ipsi esse timendum, et colloquium apud
Cranaha non esse prætermittendum, hostem deni-
que esse persequendum.*

(Anno 1151.)

Inclyto triumphatori, et magnifico domino suo
CONRADO, Dei gratia Romanorum imperatori augu-
sto, frater WIBALDUS eadem gratia id quod est in
Ecclesia catholica, salutem in eo qui dat salutem
regibus.

Licet extra fines Saxonum longiuscule simus po-
siti, et crebris eorum colloquiis interesse non pos-

(144) Armarium in monasteriis erat locus in quo
servabantur libri in claustro, prope capitulum, ut

A simus, tamen cum omni studio et instantia sollicite
inquirimus, ne forte adversus vestram quietem ali-
quid quoquomodo agatur. De quibus omnibus, licet
capellanus vester Herebertus, qui nuper totam ter-
ram peragravit et universa subtiliter perquisivit,
vestram possit plenius informare prudentiam; ta-
men vestræ celsitudini breviter suggerimus, quod
nihil omnino sentire potuimus, quod vestram de-
beat magnanimitatem commovere. Non deerunt ta-
men aliqui qui, sub specie firmioris fidei, sub colore
propensoris charitatis, quædam horribilia et gran-
dia vestræ sapientiæ proponant, ut hoc tanquam
piæ sollicitudinis et præmonitionis titulo emolu-
mentum a vobis accipiant. Sed ingens illa pruden-
tia, quæ ab omnium bonorum largitore vobis abun-
dantius collata est, omnia probabit et quod bonum
est tenebit. Nulli vero assensum præbeat vestra
majestas dehortanti, quod ad colloquium apud Cra-
naha non veniatis, quoniam principum vestrorum
animi fatigarentur et quamdam argutæ conjecturæ
materiam sumerent, quod eos suspectos haberetis,
quos toties vocatos videre non velletis. Veniatis au-
tem sicut dominum et imperatorem decet, maxime
cum colloquium breve futurum sit, et si cujus fides
claudicare videtur, ita instaurabitis, ut si vobiscum
in veritate non operatur, tamen ab inimicis vestris
ei postmodum non facile credatur. Nullius autem
suggestio, nullius blanditiæ, nullius etiam minæ
vestram fortitudinem a proposito evertant, quin il-
lum hostiliter invadatis et sub pedibus vestris con-
culcetis, qui totum imperium vestrum replet men-
daciis, et in hoc non sapienter gloriatur, quod con-
tra vos aliud velle vel posse agere existimatur. Per
fratrem Joannem diligenter et fortiter admonebitis
comitem Herimannum, ut nobiscum efficacius agat,
ne cogamur contra voluntatem nostram alia patro-
cinia quærere.

EPISTOLA CCXLI.

WIBALDI ABBATIS AD H. ARCHIEPISCOPUM BREMENSEM.

*Gratias agit quod suum visitaverit in monasterium, hor-
tatur ut longiorem apud fratres suos moram faciat,
atque armarii codices perlustret, et de futuro apud
Mindam episcoporum colloquio.*

(Anno 1151.)

D Reverendo Patri suo et domino H. sanctæ Bre-
mensis Ecclesiæ venerabili archiepiscopo, frater
WIBALDUS Dei gratia id quod est in Ecclesia catho-
lica, exiguas orationes et devota servitia.

Gratum nobis valde est et dulce quod monaste-
rium nostrum intrare et fratres nostros visitare et
consolari, nostrasque mansiones, quas pro hoc
ipso chariores habemus, ingredi, ac nostrum stu-
dium laudare dignata est vestra sublimitas; sed hoc
nobis gratissimum et omnino cordi est, quod ad
easdem ædes venire, et longiorem inibi habitatio-
nem facere, atque armarii (144) nostri non solum
volumina, sed etiam schedulas evertere et perscru-
tari promisistis. Utinam vivamus, utinam videam-
us fratres qui lectioni in claustro vacare solebant, in
promptu eos haberent.

mus, utinam pacē, quiete et otio frui valeamus, et in his studiis nos invicem exercere, exacuere et aut doceri vel docere possimus! quæ vita tanto esset beatior, quanto esset ad videndum et promerendum propinquior, et ab hujus mundi cœnulentæ voragine remotior. Venite igitur et pascite animam vestram, honorate sacerdotium, instruite clerum, firmate ordinem, propagate sacramentum. Sed hæc hactenus. De colloquio episcoporum, quod apud Mindam habere decreveratis, cui etiam nos propter privata negotia interesse vestra benignitate freti disposueramus, utrum futurum sit necne incertum sumus, pro eo quod dominum Patherburnensem et Monasteriensem non venturos illuc fore pro certo cognovimus. Causas equidem et intentionem conveniendi ex parte audivimus et plurimum in Christo lætamur quod ignis quem Jesus misit in terram, et voluit ut arderet in pectore vestro vehementer accensus est. Sed timemus et timendo dolemus, quod industriam vestram et animi fervorem præsentia tempora non ferant, pro eo quod Apostolus dicit: *Omnes quærent quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi.* Quod si ignis, qui in corde vestro ardet, emicare cœperit, et splendorem ac scintillas emittere veremur, ne verius quam Elias dicere possitis: *Relictus sum solus.* Proinde per præsentem nuntium et per litteras vestras de omnī voluntate nostra super hac re certificari desideramus. De abbate Herseveldensi, qui apud nos est, vestrum beneplacitum intelligere optamus, quia non habere et tenere, sed nec etiam diligere aliquem volumus, qui vos et vestra ullo incommodi genere perturbet. Monete amicum vestrum comitem H.(145) diligenter et familiariter, ut ipse ad depellendas injurias nostras, sicut a domino rege in mandatis accepit, efficacius intendat, quoniam et captivi nostri adhuc in vinculis tenentur, et malefactores nostri in suo castro morantur.

EPISTOLA CCXLII.

WIBALDI ABBATIS AD HENRICUM EPISCOPUM MINDENSEM.

Conqueritur de eo quod pacem oblatam et petitam accipere et dare noluerit.

(Anno 1151.)

HENRICO Mindensi episcopo, WIBALDUS Corbeiensis abbas, spiritu scientiæ et pietatis abundare.

Postquam a colloquio vestro ad monasterium nostrum regressi sumus, et tam fratribus nostris quam aliis fidelibus Corbeiensis Ecclesiæ, quæ apud Hamle gesta sunt, intimavimus, valde mirati sunt et doluerunt, quod Corbeiensis Ecclesia, quæ vos aliquanto tempore et educavit et erudivit, in nostra persona tantum sit a vobis despecta et tam indiscrete tractata. Siquidem mandaveratis nobis primo per præpositum Ecclesiæ nostræ, deinde secundo per Henricum sacerdotem, quod ad pacificum

(145) Hermannum Corbeisæ advocatum.

A colloquium nos vocaretis, et causam nostram, quæ inter vos et nos jam etiam anno ferre quarto non absque fatigatione magna tractatur, benigno sine terminaretis. Hoc ipsum cum ad vos venissemus in conspectu totius multitudinis, sicut dignitatem vestram decuit, confessus fuistis, sed finis ostendit, quod non ita in opere sicut in sermone exhibuistis. Nam cum tam veraciter quam humiliter innocentiam nostram probavissemus, et de offensa vestra sive jure sive injuria concitata esset, vobis satisfactionem præberemus, non solum non recepistis, sed totum consilium et verbum vestrum in ore laicorum, cum de causa canonica ageretur, posuistis; eorum scilicet, qui personam nostram gravibus contumeliis affecerunt et bona Ecclesiæ nostræ violenter et per sacrilegium diripuerunt; quorum vos communionem imò familiare contubernium et colloquium atque consilium, sicut ecclesiastica docet disciplina, non devitastis. Nos qui scripseramus vobis quod ad pacem veniremus, hoc habentes in corde quod habuimus in ore, pacem vobis obtulimus et opere et veritate; sed quia pax nostra non respondit vobis, poteramus jure nostro pro multis gravaminibus nostris appellasse, nihil verentes quod hoc nobis posset accidere, quod vestro abbati de insula in sua appellatione contigit. Solent enim laici vestri districtis gladiis de appellationibus, quæ ad dominum papam fiunt, judicare, qui nunc in colloquio vestro duces verbi tui fuerunt, ut in nobis compleretur quod per Moysen dictum est: *Et inimici nostri sunt iudices.* Illi ipsi vestri homines, vestri parochiani nobis ad vos pacifice tendentibus, et de vestro secreto conductu nobis firmiter promisso confidentibus, nocere tam in persona quam in rebus voluerunt. Propterea non est consilium Ecclesiæ nostræ, ut ad consilium vestrum, sicut condictum fuerat, veniamus, præcipue ne excusationem apud dominum regem habeatis, quod pro causa nostra ad curiam ipsius, ad quam jam tertio ex cœqualium vestrorum judicio vocatus estis, venire supersedeatis. De injuriis vero et damnis quæ nobis ex vestro mandato a vestris inferuntur, videat Deus et judicet, et nos qui hactenus tacuimus et patientes fuimus, tum pro persona reverentiæ vestræ, tum pro honore Ecclesiæ vestræ, quasi parturientes loquemur, et ea quæ pertulimus, vidimus et audivimus in Ecclesia Romana annuntiare curabimus. Siquidem in verbo nostro nulla potuit inveniri tergiversatio, cum electorum iudicium, a quibus appellare non licet, sententiam subire vellemus, domini videlicet et Patris nostri charissimi Patherburnensis episcopi, nec non reverendi Monasteriensis episcopi, atque dilectissimi nostri Osna-brugensis episcopi.

EPISTOLA CCXLIII.

WIBALDI ABBATIS AD H. ARCHIEPISCOPUM MOGUNTINUM.
Folcuinum de Sualemberch de ipso et episcopo Pa-

therburnensi conquerentem ac tandem obedientem A orat ut absolvat.

(Anno 1151.)

Reverendissimo in Christo Patri suo et domino H. (146) venerabili sanctæ Moguntinæ Ecclesiæ archiepiscopo, frater WIBALDUS Dei gratia id quod est in Ecclesia catholica, exiguas orationes et devotum servitium.

Multiplices gratiarum actiones vestræ dignationi referimus, quod nos et liberaliter hospitio recipere, et per vestros humanissime honorare non abnuistis. Nos quoque pro facultate nostra nec immemores nec ingrati fuimus, sed cum omni studio ac diligentia ad completionem vestræ voluntatis et amicorum-vestrorum propectum assureximus et institimus. Cujus laboris fructum vos in vestrorum emolumentis et promotione jam adeptum fuisse inter præcipua gratulamur. Excellentiae vestræ suggerimus, quod Folcuinus de Sualemberch, multas et amplas possessiones habet a Corbeiensi Ecclesia, et tam ipse quam Pater quondam suus Widekindus fideliter ac familiariter prædecessoribus nostris ac nobis, tum propter vicinitatem, tum propter industriam suam servire consueverunt. Veniens igitur ad nos idem Folcuinus post reditum nostrum a curia, gravem querelam non solum nobis, sed universis episcopis Saxoniae et aliis principibus deposuit de domino et Patre nostro venerabili B. Patherburnensi episcopo, quod cum dominus episcopus et pastor animæ ipsius existat, eum de grege suo et ovili suo sequestraverit, et alieno iudicio contra canones, contra leges, contra morem exposuit, cum se asserat natum et renatum, et synodaliter subjectum Patherburnensis Ecclesiæ, et uxorem potius in sua jura per matrimonium transire, quam ipsum in feminæ leges migrare debuisse, etsi conjux non esset, tamen ad forum rei potius quam ad petitoris agi oportuisse. Porro de vestra sublimitate multa conquestus est quod, cum in causa ipsius iudex fueritis, multa et in multis gravamina sit perpessus, et dum se ad justitiam exsequendam paratus esset exhibere, ab armatis fuerit invasus, et tam vitæ quam honoris sui periculum sustinuerit. Nos itaque, adhibito prudentium ac religiosorum virorum consilio, exasperati animi tumorem delinire et componere studuimus, ut Christianam humilitatem reciperet, et legibus divinis ac vestris et episcopi sui mandatis devotius obtemperaret. Quod usque adeo, Deo prosperante, promotum est, ut domino nostro Patherburnensi episcopo juxta consilium nostrum obedienter et humiliter de omni murmuratione et quadam quasi rebellione, quam adversus ipsum habuerat, satisfaceret, et ad promerendam absolutionem, atque ad recipiendam more Christiano legitimam uxorem festinaret. Proinde venerabilem nobis celsitudinem vestram attente rogando monemus, ut quia prædictus noster

A venerabilis Patherburnensis episcopus sanguini et carni suæ non pepercit, et vobis tanquam Patri suo reverenter, ut justitia in suo ordine procederet, cessit, preces benigne admittatis, et prædictum Folcuinum clementer suscipiatis, et cum ad partes nostras appropinquare cœperitis, uxore ipsius vobiscum adducta, et sibi restituta, eum sanctæ communioni paterne restituatis.

EPISTOLA CCXLIV.

HENRICI EPISCOPI MINDENSIS AD WIBALDUM ABBATEM.

Purgat se ab objectis sibi supra a Wibaldo.

(Anno 1151.)

HENRICUS Dei gratia Mindensis episcopus, WIBALDO Corbeiensi abbati, tam pietatis quam scientiæ repleti spiritu.

B Rescribimus fraternitati vestræ, urgente charitate, quæ omnia suffert, non terrore minarum, quas austerius quam deceat intentatis. Confidimus enim in Ecclesia Romana vel in curia regis innocenti præjudicium non fieri, lædentem potius quam patientem sententia judiciaria multari. Nos a vobis læsi dicimur læsisse, cum Deus mihi testis sit, nunquam me, nunquam meorum aliquem mea voluntate seu consilio vel auxilio vobis nocuisse sed tantum de injuriis nobis illatis fraternam satisfactionem expetivisse. Corbeiensem Ecclesiam, quæ me et educavit et erudivit, neque prorsus despexi, neque indiscrete traetavi, sed veneror et venerabor, injuriarum nostrarum solummodo satisfactionem, sicut expetivi, expeto. Quod vobis per præpositum Adalbertum, per sacerdotem Henricum in sermone mandavi, complessem et opere, si satisfactionem, quæ nostris fidelibus imo et quibusdam vestris plenaria videretur, obtulissetis. Consilium nostrum et verbum de causa canonica non in ore laicorum posuimus, sed pacis componendæ gratia clericorum ac laicorum fidelium, sicut et vos, usi sumus consilio. Violentis et sacrilegis res Ecclesiæ diripientibus nec communicavi, nec communio, quos etiam, si manifestos cognovero, ut inimicos Dei devito. Filii pacis sumus, pacem vobis obtulimus ore, servavimus in corde, pacem quæsimus, pacem quærimus, nullo vos gravamine gravavimus: unde nec appellatione indignistis, qua si indigeretis, non verentes appellare, poteratis tanto quidem armorum cuneo stipatus, ut non facile cederetis etiam præpotenti. Verum nec armatura etiam pro defensione appellationis indignistis, quia, licet vos hoc dicatis, non solent nostri districtis gladiis de appellationibus, quæ ad dominum papam fiunt, judicare. Laici duces verbi nostri nec sunt, nec fuerunt, nec inimici vestri iudices exstiterunt, præsertim cum ibi nullum fuerit exhibitum iudicium, sed tantum de pace componenda consilium habitum. Nostri homines, nostri parochiani vobis ad nos tendentibus, si personæ vestræ, si rebus vestris nocere voluerint, testor Deum, quia penitus ignoravi. Con-

ductum nostrum sicut poposcitis transmisi, et quia A terminari ea die causa non potuit, omnibus ad sua remeare volentibus, quos tardior hora protraxerat, præfixa die secundum beneplacitum utriusque partis, qua item ad pacem componendam conveniremus, cum conducto nostro in pace vos dimisi. Injurias et damna nec voluimus nec mandavimus vobis inferri, videat Deus et judicet. Patientiam vestram, quam prætedistis, omnino non experti sumus, sed injurias imo veteribus novas addidistis, quas quilibet in textu scripti vestri poterit legere et audire. Pro eo quod quasi parturientem loqui vos minamini, parcat vobis Deus, et obstruat os loquentium iniqua. Certe noveritis nullius majestatis audientiam, nullius dignitatis præsentiam me reformidare, quia testis est mihi me simpliciter B ambulare.

EPISTOLA CCXLV.

WIBALDI ABBATIS AD HENRICUM MINDENSEM EPISCO-
PUM.

Responsio ad præcedentem.

(Anno 1151.)

Domino H. venerabili Mindensi episcopo, WIBAL-
DUS Dei gratia Corbeiensis abbas, magni consilii
angelum.

Ex litterarum vestrarum tenore cognovimus, quod offensa sit vestra sublimitas ex litteris nostris, quas proxime ad vos direxeramus, quæ duriores et asperiores vestræ intelligentiæ visæ sunt, quam mediocritatem nostram scribere convenisset, et vestram celsitudinem accipere decuisset. Quod C eruditio vestra sciat eo consilio factum esse, ut quoniam humiliter et pacifice multoties vobis super eodem negotio scripseramus, et nec sermonem pacificum, nec pacis effectum receperamus, certa tandem esset vestra prudentia, quod judicem nos adire necessitas cogeret extrema. Absit enim a nostræ humilitatis proposito ut pontificalem excellentiam maxime in persona monasticæ religionis quocumque temerario vel contumaci eloquio impetere præsumamus. Verum quoniam eadem litteræ vestræ nihil certi, nihil finitivi super causa nostra continebant; nos quoque sicut nihil determinati, ita nihil novi vestræ magnitudini potuimus rescribere, cum vobis et Ecclesiæ vestræ viva voce tam D per nos quam per honestos et magnos et plurimos intercessores frequenter et instanter obtulissemus, quidquid ad satisfactionem persuadere humilitas, quidquid ad correctionem poterat dictare justitia. De quibus omnibus, si aliquod capitulum eligere et nobis significare vobis complacisset, sicut in offerendo fuimus devoti, ita in exhibendo essemus parati. Et hoc eruditio vestra indubitanter potuit advertere, quod in verbo et promisso nostro nullatenus erat tergiversatio, cum electorum judicium, a quibus appellare non licet, sententiam subire vellemus, domini videlicet et Patris nostri Patherburnensis episcopi, nec non reverendi Monasteriensis episcopi, atque dilectissimi nobis Osnabrugensis

episcopi. Diem vero colloquii, quæ interposita erat, nullatenus observare possumus; quia, cum absque misericordia a vobis recesserimus, de causa nostra apud quasdam magnas personas agere tempore indicti colloquii disposuimus; quod ideo a nostris mediatoribus scienter ordinatum est, non ut observaremus, sed ne a vobis indecenter et tanquam hostiliter recederemus.

EPISTOLA CCXLVI.

HENRICI EPISCOPI MINDENSIS AD BERNARDUM EPISCO-
PUM PATHERBURNENSEM.

De causa quæ ipsum inter et abbatem Corbeiensem vertebatur.

(Anno 1151.)

Venerabili domino sanctæ Patherburnensis Ecclesiæ episcopo BERNARDO, HENRICUS per misericordiam Dei id quod est in Ecclesia Mindensi, fidelis obsequii devotionem et orationes in Christo assiduas.

Non potest civitas abscondi supra montem posita, sic et virtus et benignitas, fideique vestræ constantia circa nos habita, cum de causa domini abbatis Corbeiensis et nostra tractaretur, non fuit abscondita et obumbrata, ideoque sublimitati vestræ debitas et condignas gratiarum actiones referimus, et obsequii nostri devotionem ad honorem vestrum propensius impendere parati sumus. A principio hujus discordiæ vestrum secuti sumus consilium, et cum præfinitum tempus et a vobis constitutæ advenirent induciæ, consilium vestrum nobis erat recipiendum et tenendum, et nihil aliud in corde et opere de præfato negotio machinati sumus, nisi quod honesto fine et laudabili conclusione omnis controversia per consilii vestri dispositionem deberet terminari. Dum vero meorum fidelium consilio ad ea quæ erant pacis et charitatis me præpararem, dominus abbas Corbeiensis vester amicus duris scriptis et aspera invectione nos est aggressus, per quod dignitas et reverentia vestri nominis, si nobiscum sentitis, nihilominus est læsa et sauciata, quia infra datum et a vobis constitutum terminum nulla molestia, nulla minarum asperitate nos debuit conturbasse. Super his igitur, sicut ipsi scitis, honorem vestrum providete, et ea quæ D nobis fuerint saluberrima, et ad honorem magis spectantia, sicut de charitate vestra confidimus, per præsentem nuntium et per vestra scripta consulite.

EPISTOLA CCXLVII.

BERNARDI EPISCOPI PATHERBURNENSIS AD HENRICUM
MINDENSEM.

Declarat se paratum esse tractatum pacis ipsum inter et abbatem Corbeiensem resumere.

(Anno 1151.)

Venerabili domino HENRICO sanctæ Mindensis Ecclesiæ episcopo, B. Patherburnensis Ecclesiæ id quod est, fraterni obsequii et orationis suæ fidelem exhibitionem.

Quia quæ pacis sunt sectari jubemur, et pacificis

æterna beatitudo promittitur : idcirco pacis et bonæ compositionis studio ad sopiendum discordiæ malum, quod inter vos et abbatem Corbeensem revera amicum nostrum est natum, et cum accessu temporum est augmentatum, cum fratribus nostris laborem nostrum impendimus. Cui licet speratus effectus minime accesserit, tamen quia hunc vestra nobis recognoscit dignatio, valde gaudemus, et ad ipsum, si expedierit, resumendum efficimur promptiores. Consilium autem sanius eo, quod Hameke vobis intimavimus, fratribus nostris Hildeneshemensibus præpositis in eo ipso nobis assentientibus, nunc invenire nequimus, in quo omnium nostrum honori sufficienter provisum esse existimavimus. Vestræ igitur discretionis sagacitati deliberandum relinquimus, vobisque familiaribus scriptis insinuandum, si vel tunc propositam vel aliam competentem reconciliationis viam sustinere dignemini. Quod si a vobis sine ambiguitate cognoverimus, ne videlicet labor noster fiat irritus, si iterato eum assumpserimus, ut dominus abbas ad locum, ad quem tutus ei sit accessus, vobis occurrat, et ut dissensio præsens honestum finem accipiat, quantum poterimus fideliter laborare non cessabimus.

EPISTOLA CCXLVIII.

WIBALDI ABBATIS AD SUOS STABULENSES.

Paternum eis demonstrat affectum, seseque excusat quod ad eos citius non sit reversus.

(Anno 1151.)

Frater WIBALDUS Dei gratia Stabulensis Ecclesiæ servus, ROBERTO venerabili decano et cæteris dilectis filiis Stabulensis Ecclesiæ, benedictionem et vitam usque in sæculum.

Meminit dilectio vestra, quanta vigilantia, quanta dilectione in sublevandis et promovendis rebus dilectæ matris nostræ Stabulensis Ecclesiæ semper intenti fuerimus; quod etiam deinceps non segniori instantia, in quantum Deus laboribus nostris adesse dignabitur, faciemus. Nam quod ad sublevandas necessitates vestras, mox, ut a servitio domini regis et curia expediti fuimus, transire ad vos distulimus, impedierunt, nos multiplices curæ et gravissimi labores, quos in Corbeiensi Ecclesia suscepimus, ad quam vestro consilio et vestra licentia secundum divinam ordinationem pervenimus, in qua etiam a primo ingressu nostro in laboribus hominum fuimus, et cum hominibus flagellati sumus. Labores quos in eadem Ecclesia graviores sustinemus, sunt de Ecclesia Kaminatensi, de quibus ex parte fraternitas vestra audivit, in quos ex communi fratrum et fidelium Ecclesiæ sententia in innocentia nostra ingressi sumus, sed duras tribulationes pro eodem capitulo sustinuimus, dum ad perficienda quæ inchoavimus, et ad retinenda eadem bona Ecclesiæ devote ac fideliter assistimus, nec ab ea hoc tempore salvo honore nostro aliquatenus recedere possumus, nisi eam in maximis perturbationibus descrere velimus, quod nec vestram

A fraternitatem velle credimus, nec nostræ honestati congruum scimus. Proinde nobis dilectissimam fraternitatem vestram rogamus, ut moram nostram et absentiam æquanimiter, quemadmodum sæpius consuevistis, ut dilecti filii sufferatis, et defectus nostros in ea charitate, qua nos diligitis, patienter toleretis, et maxime his diebus festis, in quibus major concursus populi et major frequentia apud vos esse solet, ne alicui paupertas vestra appareat, diligentius caveatis. Cæterum præpositum vestrum et cellerarium et ante exitum nostrum a vobis viva voce et postmodum per litteras nostras studiose commonuimus, quatenus cum omni diligentia curarent, ne aliquam negligentiam in præbenda vestra patiamini, quam commonitionem nostram si bene servaverunt, non parvam gratiam sibi apud nos collocaverunt; si autem neglexerunt, non modicum nostram benevolentiam offenderunt. Mandavimus præterea decano, ut si illi neglexerint, ipse tamen non negligat, ac de communi consilio sive de rebus Ecclesiæ sive undecunque possit, si ita necesse fuerit, usque ad reditum nostrum defectus vestros suppleat. Ante omnia autem unanimitatem vestram intime monendo rogamus, ut benevolentia illa, quam nos sæpe portastis, etiam nunc defectus vestros et moram nostram ferre curetis; quatenus in adventu nostro ad subveniendum necessitati vestræ tantæ promptiores et alacriores nos inveniatis, quanto benigniores interim nobis in patientia vestra exhibueritis. Obsecramus etiam universitatem vestram, ut omnipotentis misericordiam super nos et vestram atque Corbeensem Ecclesiam attentius invocare studeatis, ut ille Pater pius, qui visitat in virga iniquitates nostras, et in verberibus peccata nostra, misericordiam tamen suam a nobis et ab Ecclesiis suis non dispergat.

EPISTOLA CCXLIX.

CONRADI IMPERATORIS AD HENRICUM SAXONIÆ DUCEM.

Ut Corbeienses monachos Kaminatensi Ecclesia gaudere faciat.

(Anno 1151.)

CONRADUS Dei gratia Romanorum rex, H. duci Saxonie, gratiam suam et omne bonum.

Recordatur nobilitas tua, quod sæpe post reditum nostrum de Jerosolymatana expeditione diligentiam tuam monendo rogarem, quatenus Corbeensem Ecclesiam et fidelem nostrum ejusdem Ecclesiæ abbatem in defensandis et conservandis bonis Kaminatensis Ecclesiæ adjuvares. Volumus etiam industriam tuam meminisse, quoniam advocatiam Kaminatensem, quam nobis habueras, ex vestra petitione de manu Corbeiensis abbatis recepisti, unde ad protegenda eadem loca plus ei debitor esse cœpisti. Eapropter nobilitatem tuam iterum attente monendo rogamus, ut Thiedericum de Rekelinge et filios ipsius de injuria, et contumelia, quam præfato abbati in eisdem locis irrogant, coerceas, et fratres monachos, quos illi jam secundo ejecerunt, clementer in eodem monasterio recolligas.

gas, ac Deo ibidem servire facias. Hoc quoque tuæ prudentiæ notum sit, quod domina illa de Jesika, quæ bona Kaminatensis Ecclesiæ dissipavit, et adhuc dissipare non cessat, ex nostra permissione nequaquam intravit: imo satis miramur tuam et aliorum principum prudentiam, cur talem feminam bona quæ ad servitium Dei Ecclesiæ collata sunt, cum vanis hominibus deperdere et disperdere permittitis. Contra cujus perversitatem et invasionem, qua Ecclesiam invasit, si homines abbatis aliquid egerint, nihil contra jus fecisse videntur, quia, quod nulla lege prohibetur, vim vi repulerunt, ideoque judicamus potius vindictam redundare in malefactores, quam in vindicatos. Omnimodis ergo diligentiam tuam rogamus, ut præfato abbati in conservandis ejusdem bonis strenue assistatis, hoc profecto sciturus, quod si benignus ei pro nostra petitione fueris, nos benignos in tui et amicorum tuorum causis et petitionibus experieris.

EPISTOLA CCL.

CONRADI IMPERATORIS AD WIBALDUM ABBATEM.

Ut Corbeicæ remaneat usque ad festum S. Jacobi.
(Anno 1151.)

CONRADUS Dei gratia Romanorum rex, WIBALDO abbati Corbeiensi, gratiam suam et omne bonum.

Quoniam tuæ discretionis consilium in quibusdam negotiis nostris tractandis necessarium habemus, rogamus te, ut circa Corbeiam usque ad festum S. Jacobi permanes, et legatum tuum idus Julii Rothenburg ad præsentiam nostram dirigas, per quem voluntatis et propositi nostri certitudinem tuæ dilectioni demandabimus.

EPISTOLA CCLI.

EUGENII PAPÆ III AD WIBALDUM ABBATEM.

Ut Godeboldum canonicum Mindensem excommunicet, nisi ablatam Everardo Ecclesiam de Hemeringen restituat.

(Anno 1151.)

EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio WIBALDO Corbeiensi abbati, salutem et apostolicam benedictionem.

Lator præsentium, Everardus, jam quinquies ad nostram accessit præsentiam, etc. *Vide in Eugenio III papa, ad ann. 1153.*

EPISTOLA CCLII.

WIBALDI ABBATIS AD GODEBALDUM CANONICUM MINDENSEM.

Ut ablatam Everardo ecclesiam de Hemeringen, ei restituat, alioquin excommunicatum a solo papa absolvendum denuntiat.

(Anno 1151.)

WIBALDUS Dei gratia Corbeiensis abbas, GODEBALDO Mindensi canonico, magni consilii angelum.

Reverendus Pater et dominus noster papa Eugenius, parvitati nostræ per scripta sua injunxit, ut te commoneamus, quatenus ecclesiam beati Petri de Hemeringen, et alia per te vel submissas personas latori præsentium Everardo ablata infra viginti dies post acceptam admonitionem nostram cum

A integritate restituas, et cum de cætero in pace possidere permittas. Quod si facere contempseris, ex tunc te excommunicatum publice denuntiamus, nec a vinculo excommunicationis posse absolvi, donec pro tanta rebellione venias ad domini papæ præsentiam responsurus. Eam commonitionem, sicut jussi sumus, tibi per præsentiam facimus, et insuper exemplum litterarum domini papæ, quas pro hac causa nobis scripsit, tibi considerandum transmissimus: hortante in Domino fraternitatem tuam ut, famæ et quieti tuæ providens, et prædicto Everardo satisfacere et reconciliari non negligas. Arripe occasionem, et fac de necessitate virtutem. Sciat dilectio tua, quod nos ista non quæsimus, sed non obedire nequaquam possumus: et sicut tibi, ita et nobis durum est contra stimulum calcitrare.

EPISTOLA CCLIII.

EUGENII PAPÆ III AD WIBALDUM ABBATEM.

Laudat ejus in Romanam Ecclesiam zelum, atque in ejus gratiam scribit Mindensi episcopo et Bremensi archiepiscopo.

(Anno 1151.)

EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio WIBALDO Corbeiensi abbati, salutem et apostolicam benedictionem.

Litteras dilectionis tuæ, etc. *Vide in Eugenio.*

EPISTOLA CCLIV.

EUGENII PAPÆ III AD HENRICUM MINDENSEM EPISCOPUM.

Kaminatensem Ecclesiam propter inopinatum casum et mortem cujusdam monachi reconciliatione non indigere, et ut ablata eidem ecclesiæ restitui faciat.

(Anno 1151.)

EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, H. venerabili fratri Mindensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Pervenit ad aures nostras, etc. *Vide in Eugenio.*

EPISTOLA CCLV.

EUGENII PAPÆ III AD H. BREMENSEM ARCHIEPISCOPUM.

Commendat ei Wibaldum abbatem, et ut ablatam Kaminatensis Ecclesiæ prædia restitui faciat.

Anno 1151.)

EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, H. venerabili fratri Bremensi archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Episcopalis officii est, etc. *Vide in Eugenio.*

EPISTOLA CCLVI.

CONRADI IMPERATORIS WIBALDO ABBATI.

Ut ad Romanam legationem se disponat.

(Anno 1151.)

CONRADUS Dei gratia Romanorum rex, WIBALDO Corbeiensi abbati, gratiam suam et omne bonum.

Postquam a nobis recessisti, fideles nostri de curia Romana sæpius nos tum per scripta, tum per privata colloquia sua commonuerunt, ut nuntios nostros ad dominum papam et in urbem pro regni negotiis ordinandis, dirigamus. Dominus quoque papa in litteris suis, quas novissime ad nos trans-

misit, asserit se nuntios principales, quemadmodum jam altera vice in litteris nostris promisimus, expectare, qui inter nos et ipsum de provecibus Ecclesiae et regni promovendis efficaci consilio proficiant. Quoniam vero virtus tua in negotiis Ecclesiae et regni exercita enituit, et de tuo circa nos charitatis affectu certi sumus, regni utilitas poscit, et nostra voluntas ordinavit, ut nostrae dilectionis obtentu, una cum cancellario nostro legationis hujus laborem assumas. Rogamus igitur obnixè, ut in Nativitate beatae Mariae ita praeparatus Nuremberch venias, ut in legatione illa peragenda procedas. De injuria vero de Mindense episcopo et Thederico tibi illata, quid fecerimus, Heribertus capellanus noster plenius tibi referet.

EPISTOLA CCLVII.

EUGENII PAPAE III AD CONRADUM IMPERATOREM.

Gratam habet ejus legationem, in qua res Ecclesiae et regni firmentur. Morbacensis monasterii negotium commisisse se episcopo Lausanensi, et de Otone qui clerici nasum amputaverat.

(Anno 1151.)

EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, clarissimo in Christo filio CONRADO, illustri et glorioso Romanorum regi, salutem et apostolicam benedictionem.

Quod per sublimes legatos, etc. *Vide in Eugenio.*

EPISTOLA CCLVIII.

H. NOTARII AD WIBALDUM ABBATEM.

Cur brevius ei scribere soleat

(Anno 1151.)

Domino suo WIBALDO Corbeiensi abbati, H. regiae curiae notarius, servitium servi.

Arguit me prudentia vestra quod breviter vobis scribere consueverimus. Unde paternitas vestra non miretur, sive enim praesenti sive absentis vobis loqui coepero, impeditioris et tardioris linguae, et pene mutus efficior. Quem enim indeficiens eloquentiae vestrae torrens non deterreat? est et alia causa, quae succincte me vobis loqui compellit: multa quidem intelligo, sed quia ad utrumlibet scilicet ad esse vel non esse se habent, et de nullo certum vos reddere possum, superficie verborum serenitatem animi vestri pulsare reformido. In gratia, quam super fratre meo mihi promisistis, confisus, eundem ad respectum gratiae et dominationis vestrae transmitto. Theodericus de Rielinge, in praesentia domini regis de injuria, quam vobis intulit, graviter pulsatus, et a rege multum increpatus promissit, ut pro respectu gratiae vestrae recuperandae de caetero vobis servire velit.

EPISTOLA CCLIX.

G. CARDINALIS AD WIBALDUM ABBATEM.

Laudat ejus in Romanam Ecclesiam zelum, etc.

(Anno 1151.)

G. Dei gratia sanctae Romanae Ecclesiae diaconus cardinalis, dilecto ac venerabili fratri WIBALDO Stabulensi abbati, salutem et dilectionem.

Comparata nobis vestrae dilectionis in brevi col-

locutione notitia, et probitatis et industriae vestrae multis argumentis nobis probata experientia, ita animum nostrum vestrae fraternitati reddidit affabilem et benignum, ut sim ego unus, quo cum omnia ad vobiscum tutissime loqui possitis, vel si quid est, quod constitutae inter nos amicitiae vel brevitate temporis, vel non adhibita hucusque verborum sponione, videatur deesse, id sine dubio suppleri credatis fervore dilectionis et indissolubili vinculo charitatis. Affectuosam vero sollicitudinem, quam erga matrem vestram sanctam Romanam Ecclesiam usque modo vos habuisse et assidue habere litterarum vestrarum series nobis manifeste declarat, debito benignitatis favore laudamus, et filialem devotionem vestram solito pietatis officio matri vestrae sanctae Romanae Ecclesiae subsidiaria ferre obsequia vera in Domino charitate rogamus. Illud vero quod a domino Conrado serenissimo rege per quasdam religiosas personas praerequisitum fuisse significastis, sciatis de domini papae voluntate vel conscientia nullatenus processisse, praesertim cum sciamus hominem illum, de quo mentionem fecistis, nihil honorificentiae regii culminis exhibiturum nisi adventum regium in Tuscia vel in Romania jam certo certius periret, nec Romanae Ecclesiae expediret, ut ea exclusa tales personae super tanto negotio convenirent. Sed si ad partes Italiae, regium culmen divina providentia traxerit, tunc sancta Romana Ecclesia commode et honeste se interponere poterit, et domino nostro regi Conrado preces et quasi violentiam inferendo, illum vero minis et terroribus conveniendo, quidquid pium, quidquid sanctum, quidquid regiae magnificentiae dignissimum fuerit, sine ulla dubitatione poterit terminari.

EPISTOLA CCLX.

WIBALDI ABBATIS AD CONRADUM IMPERATOREM.

Excusat se a suscipienda propriis sumptibus legatione Romana.

(Anno 1151.)

Inclyto triumphatori domino suo CONRADO, Dei gratia glorioso Romanorum imperatori augusto, frater WIBALDUS eadem gratia id quod est in Ecclesia catholica, salutem in eo qui dat salutem regibus.

Venit ad nos Corbeiam capellanus vester Heripertus cum vestrae dignationis litteris, quae hoc continebant, quatenus in Nativitate sanctae Mariae Nuremberch, ad vestrae celsitudinis praesentiam veniremus ita expediti et parati, ut cum cancellario vestro legationem vestram ad dominum papam et ad urbem perferremus. Et licet nos multas injurias et gravia damna non solum toto praeterito anno, sed etiam ad praesens in contumeliam regni et nostram sustineremus, tamen jussionibus vestris tam ex debito, quam ex devotione obtemperare studuimus, et in vigilia beati Laurentii de Corbeiensi monasterio egressi, magnis itineribus versus Ecclesiam Stabu-

lensem tetendimus, quæ multis rapinis, incendiis et aliis vexationibus conquassata, et attrita erat propter dissensionem quæ fuit inter Leodiensem episcopum et advocatum ecclesiæ nostræ et comitem de Monte Acuto. Venientes itaque Coloniam ad venerabilem cancellarium vestrum, multa familiariter ac diligenter contulimus de opportunitate itineris nostri, de utilitate legationis nostræ, et non videbatur nobis pro parvitate ingenii nostri, quod juxta qualitatem hujus temporis et rerum vestrarum statu hoc tempore hanc legationem fieri oporteret, maxime cum incertum sit, quidnam rerum comes Alexander de Gravina ab imperatore Græcorum referat. In ea igitur seria collatione, cum quid melius inter omnia esset, eligere tentarem, audivimus a vestro cancellario, quod vestræ voluntatis esset, ut nostris propriis sumptibus in hoc itinere servitemus. Verum, clementissimæ imperator, bene novit vestra serenissima majestas, quod a principio imperii vestri publicis laboribus vestris nunquam defuimus, sed tam in persona quam in substantia vobiscum semper et pro vobis, absque vobis frequenter non sine gravi impensa militavimus, quod etiam nunc facere desiderarem, si tenuitas rerum nostrarum ullo modo pateretur. Sed cum in partibus Saxonie per totum fere annum grandes expensas propter nostrorum dissensionem et rapinas Thiderici de Rikelinga fecerimus, nullo modo juxta nominis vestri excellentiam et legationis hujus pondus officium hoc arripere potuimus. Non itaque indignetur bonitas vestra humilibus famulis vestris semper et ubique ad servitium vestrum paratis, si hoc modo non implemus, quod implere nequaquam sufficimus, sed cum vel solus cancellarius vel cum eo Constantiensis vel Lausannensis vel Basiliensis hac legatione possint apte fungi, nos bona venia quiescere et suscepta damna resarcire permittatis. Nam apud Corbeiam de verbo sumptuum itineris a nobismetipsis in hac legatione exhibendorum nec per litteras vestras, nec per nuntium aliquid intelleximus. De Mindensi episcopo suppliciter exoramus, ut ei vestram gratiam conferatis.

EPISTOLA CCLXI.

WIBALDI ABBATIS AD ARNOLDUM PRÆPOSITUM COLONIENSEM.

Exponit quantas jam expensas pro imperatore et ejus imperio fecerit.

(Anno 1151.)

Charissimo domino et amico suo A. venerabili sanctæ Coloniensis Ecclesiæ venerabili præposito, regie curiæ cancellario, frater WIBALDUS Dei gratia id quod est in Ecclesia catholica, seipsum et sua universa.

Sicut apud vestram celsitudinem ex parte deploravimus, satis dolendo miramur, utrum ex animo serenissimi augusti sit, an eorum qui principem consilii locum apud ipsum tenent, suggestionem fiat,

(447) Regi Siciliae qui Conrado valde contrarius erat.

A quod divitiæ nostræ tantæ et tam amplæ sibi videantur. Primo enim post reditum suum misit nobis Rogerium de Ariana, ut ei vestes et arma pro suæ dilectionis reverentia præberemus. Quod nos studiose facientes, non minorem quam viginti marcarum impensam fecimus. Deinde vocati venimus ad curiam Frankenevort nostram et vestra expensa non pauca. Postmodum jussi venimus. Bavemberch in comitatu magno, et fuimus in curia decem fere septimanis, et licet a clementissimo principe liberaliter et honestissime detenti fuerimus, tamen nobis credite, quod in toto illo tempore, quo a Corbeia abfuimus, quadraginta marcas argenti de nostro expendimus. Sed dicitur, quod trecentas marcas, quas ei debebamus, nobis remiserit. At secundum conventiones et pacta nostra nec ei illas trecentas debuimus, et plusquam ducentas persolvimus, ea necessitate, quod debitam et promissam justitiam, sicut in conditionibus nostris fuit, ab ipso non accepimus. Præterea, charissime mi amice, non est nobis incognitum, quod alii fratres et coabbates nostri in regno serviant, et non solum nobis pares, sed etiam superiores sunt, qui portavimus pondus dici et æstus, quorum animam sæpe pertransivit gladius. Sed missa isthæc faciamus: non esset honestum domino nostro et ipsius imperio et nostræ parvitati, ut in tanta legatione exiliter appareremus. Sed quia timeamus ne in hoc mandato a nobis non impleto aliqua indignationis occasio quærat, malumus in asino uteunque transire, quam in hujus mandati cessatione tantum tempus in devotissimis obsequiis expensum amittere. Et felices labores nostri, qui de impossibili offensam merentur, cum Ecclesia nostra ex eis grande non susceperit emolumentum.

EPISTOLA CCLXII.

CONRADI IMPERATORIS AD WIBALDUM ABBATEM.

Legationem ad papam per alium quam per ipsum et suum cancellarium obiri non posse.

(Anno 1151.)

CONRADUS, Dei gratia Romanorum rex, WIBALDO abbati Corbeiensi gratiam suam et omne bonum.

Negotia quæ nobis cum domino papa conveniunt, per alias personas, nisi per tuam et cancellarii nostri discretionem, tractari non possunt. Præterea in processu legationis hinc ex parte fratris nostri imperatoris Constantinopolitani, inde etiam ex parte ROGERII (447) negotia se offerunt, in quibus tractandis aliquas personas præter vos admittere nec volumus nec possumus. Multas injurias et gravia damna, quæ non solum toto anno præterito, sed etiam ad præsens in contumeliam regni et nostram sustines capellano tuo H. referente ad plenum intelleximus, et tempore opportuno in his complanandis pro debito nostro tibi assistemus. Rogamus igitur et certi esse volumus quod laborem legationis nostræ ad dominum papam cum cancellario assumas, et in festo Sancti Michaelis Ratisbonæ cum ipso

præsentiam nostram adeas. Expensas itineris, quas per te habere non potes, positis vadimonii tuis accedas, quas nos, Deo annuente, quamprimum accepta opportunitate redimere parati sumus.

EPISTOLA CCLXIII.

WIBALDI ABBATIS AD ARNOLDUM COLONIENSEM PRÆPOSITUM.

Scribit necessario subeundam esse legationem Romanam, et ut diem, qua ipsum convenire queat, indicet.

(Anno 1151.)

Charissimo domino et amico suo A. sanctæ Coloniensis Ecclesiæ majori præposito, regiæ curiæ cancellario, frater WIBALDUS Dei gratia id quod est in Ecclesia catholica, se et sua universa.

Tenorem litterarum domini nostri regis tam ex nostro nuntio quam ex capellano ejusdem domini nostri, sicut accepimus, plane intellexistis. Porro nos licet in hac re et in Saxonica terra maximis et gravissimis curis coarctemur, licet fratres nostros in defectibus pene intolerabilibus relinquamus, tamen ne imputetur nobis quod honor et dignitas et proventus Romani imperii per nos impediatur aut retardetur, parati sumus voluntati domini nostri satisfacere, etsi non secundum regiæ dignitatis excellentiam, tamen pro possibilitatis nostræ prompta et abundanti benevolentia. Tutius enim hoc tempore et salubrius esse nobis judicamus, utilitatem fratrum nostrorum postponere, et Ecclesias nostras in periculoso discrimine relinquere, quam non obediendo domino charissimo, iram, quam non meruimus, incurramus, et tot devota servitia, quæ sæpe et pene assidue in regalibus aulis exhibuimus, tam repente amittamus. Ibimus, itaque, ibimus, non sicut decet regiam majestatem, sed sicut de domo nostra quodammodo expulsi et exsules, parvis sumptibus et paucis contenti comitibus. Significare itaque dignetur vobis vestra benignitas diem qua ad vos veniamus ita parati, ut ad curiam nobis conditam vobiscum transeamus. Volumus enim in hoc itinere, et in hac legatione sicut et semper devoti vobis in omnibus existere. Per præsentem itaque nuntium scriptis vestris super hoc nos certificare curetis. Credimus autem, cum dominus noster tam instanter et attente nos mittere decreverit, quod aliqua magna et regno utilia ex nostra legatione provenire debeant.

EPISTOLA CCLXIV.

CANCELLARIUM AD WIBALDUM ABBATEM.

Excusat se iterum a suscipienda legatione Romana.

(Anno 1151.)

Cancellarius domino abbati.

Voluntatem quidem domini mei tam ex nuntiis quam ex litteris ejus audivi, sed impossibilitatem meam ego solus cognovi. Ne igitur longam in scribendo moram faciam, et per singula, quæ mihi impedimento sunt, vagari incipiam, breviter finem rei vestræ dilectioni aperio. Si vobiscum Romam hoc tempore iturus essem, oporteret me omnibus quæ possideo renuntiare, et tunc solum et nudum pro-

ficisci. Nulla enim dies est qua a fratribus et clau-astro abesse possim vel audeam, cum nec curtes eorum, vel villici annonam vel servitia aliqua eis persolvant; verum de quæstu meo vivunt. Vinum, sicut ipsi scitis, in tota terra defecit, ipsi autem plagam et manum Dei non attendentes a me illud requirunt, commonitum itaque vos et exoratum esse volo, quatenus apud Dominum meum, cujus mandato nunquam non obtemperavi me fideliter excusatum habeatis, quia vos legationi huic solus sufficitis, nec ego vobiscum aliud agerem, nisi sicut nuntius apparerem, nihil agens, nihil in præsentia vestra loquens, et si loquerer imperitiam meam ostendendo, quasi sorex indicio meo perirem. Si vero quindecim dies post festum beatum Remigii me exspectare velletis, et ego me interim expedire et præparare valerem, dominum meum vobiscum adirem, et quicquid facturus essem, salva ejus gratia fieret. Valete.

EPISTOLA CCLXV.

WIBALDI ABBATIS AD A. CANCELLARIUM.

Hortatur ut superatis difficultatibus suscipiant legationem Romanam.

(Anno 1151.)

Charissimo domino et amico suo A. venerabili cancellario, frater WIBALDUS Dei gratia id quod est, seipsum et sua omnia.

Verba quæ scripsistis nobis de difficultate egressionis vestræ et præparationis ad iter Romanum, nostra procul dubio sunt, et quæ conditio nobis sit in ecclesiis nostris, aut quæ possibilitas hoc tempore relinquendi fratres nostros, vos in vestris fratribus consideratis, cum videamus jam præ oculis imminentem fratribus nostris, non dicam caritatem annonæ, sed duram inopiam maximæ sterilitatis. Licet igitur impium nobis esse videatur relinquere fratres nostros sub periculo famis et inopiæ, ex altera tamen parte durum nobis esse videmus iram principis incurrare, et una vice mandatum ejus prætereundo omne servitium, quo ei et regno unquam servivimus, subito perdere; angustiarum quidem sunt undique, sed melius nobis est hoc tempore, ut res nostras sub discrimine relinquamus, quam offensam domini nostri regis, non satisfaciendo voluntati ejus, incurramus, et gratiam ipsius, pro qua jam per multos annos laboravimus, pro aliqua negligentia modo perdamus, et res imperio vel imperantis honori opportunas atque sanctæ Ecclesiæ proficuas, aliquatenus retardemus. Quod vero scripsistis nobis, quod nos soli ad hanc legationem sufficeremus, et vos loco comitis in eadem legatione constitutum reputastis, non ita erit, sed vos in hac legatione major et dignior estis, quia vel Coloniensis vel Moguntinus, quia claves regni vos habetis et summam consilii in regno vos regere debetis, unde etiam nos comites et fideles famulos in obsequio vestro habebitis. Quia igitur jussio regis urget, et si male possumus, tamen ibimus, ut voluntati ejus satisfaciamus, et personam nostram

ad voluntatem illius laboribus et periculis exponimus: Quoniam vero pueros nostros, quos in hoc itinere habebimus, adhuc de Saxonia vocabimus, rogamus, ut diem certum designetis, quo ad vos usque Rintorp veniamus ita parati et expediti, ut una vobiscum ad dominum regem progrediamur. Quam videlicet diem designandam neminem nisi vestram schedulam scire volumus. Nam de quindecim diebus post festum Remigii, quibus nos expectare rogatis, gratum habemus, quibus ad voluntatem vestram etiamsi paulo plus exspectaveritis, nos libenter exspectabimus, ita tamen ut hoc caveatis, ne tempus eundi usque in asperam hiemem protrahamus. Cæterum nunc vestræ operæ incumbit, ut quemadmodum per nuntium nostrum nos jam fecimus, ita et vos per nuntium vestrum tam nos quam vos, quod præfixa die ad curiam non veniamus, apud dominum nostrum regem diligenter excusare curetis.

EPISTOLA CCLXVI.

WIBALDI ABBATIS AD HENRICUM MINDENSEM EPISCOPUM.

De amborum reconciliatione mutua.

(Anno 1151.)

Reverendo in Christo Patri et domino II. sanctæ Mindensis Ecclesiæ venerabili episcopo, frater WIBALDUS Dei gratia Corbeiensis abbas, exiguas orationes et devotum servitium.

Venientes ad nos dilecti filii vestri venerabiles fratres nostri, D. Warnerus majoris ecclesiæ vestræ præpositus, et magister Conradus nuntiaverunt nobis a paternitate vestra verbum bonum, verbum consolationis, quod videlicet ira vestra adversum nos versa esset in misericordiam, et procellam maximæ commotionis Dominus, qui mari imperat et ventis, statuisset in auram. Lætati sumus itaque in his quæ dicta sunt nobis, quippe qui a longis retro temporibus desiderio desideravimus probari posse vestræ sublimitati nostram innocentiam, nostramque circa vos et circa sanctam Mindensem Ecclesiam devotionem et reverentiam. Siquidem prænominatus præpositus vester Warnerus firmavit nobis coram fratribus nostris et consacerdotibus a vestra persona et Ecclesiæ vestræ conserta manu sua in manum nostram, certitudinem et fidem in animam vestram et suam, quod fratres nostros, qui Kaminatæ modo sunt, vel postmodum futuri sunt, sicut subditos vestros et filios spirituales diligere, nec nobis aut ipsis, quod absque vestra permissione introierint, de cætero imputaretis, sed eos et bona Kaminatensis Ecclesiæ, quæ in vestro episcopatu posita sunt, debita et canonica justitia fovere et protegere ac manutenere velletis. De injuria vero et offensione, qua vos et Ecclesiam Mindensem læsisse insimulati sumus, querelam de cætero non faceretis, sed reconciliationem nostram in consilio dominorum nostrorum episcoporum videlicet Patherburnensis, Monasteriensis et Osnabrugensis poneretis. Et si unus quidem ex eis vel cæte duo adesse non potuerint, totum verbum nostrum in

A voluntate et ordinatione domini nostri Patherburnensis episcopi dimitteretis. Nos quoque de cætero paternitati vestræ et Ecclesiæ Mindensi devote servire parati erimus, et officiositate nostra omnem commotionem, quam adversum nos habuisse dicebamini, per misericordiam Dei delinire studebimus, ut ubi abundavit discordia, superabundet charitas et gratia. Nam quia jam domini nostri regis offensam vos incurrisse propter nos doletis, omnem indignationem ejus, quam propterea habet adversum vos, ad purum vobis mitigare et serenare diligenter laborabimus, et omnes causas vestras non inferiori studio quam nostras provehere et ad effectum perducere, si non dedignamini nobis eas insinuare, deinceps studebimus. Denique, si nuntium vestrum et litteras excusatorias ad dominum nostrum regem in Nativitate beatæ Mariæ ad curiam Nuremberg, ad quam vocaverat vos, transmiseritis, hoc apud eum elaborabimus quod clementer vobis rescribet, et iram simul et indignationem, quam pro nobis adversum vos habuit, tam per litteras suas quam per nuntium vestrum vobis benigne remittet. Quia etiam in legatione domini regis ad dominum papam impræsentiarum transibimus, hoc quoque vestræ excellentiæ firmamus, quod contra honorem vestrum et Ecclesiæ vestræ nihil cum domino papa tractabimus; sed si dominus papa scripserit vobis pro querela nostra, talia ad vos scribi faciemus, quæ cogent vos facere justitiam de invasoribus rerum nostrarum, et tamen quietem vestram et pacem Mindensis Ecclesiæ non perturbabunt. Hoc quoque in hac compositione comprehensum fuit, ut si Deus infra spatium hujus moræ nos de hoc sæculo vocaverit, Corbeiensis Ecclesia et successor noster, quem Deus in eadem post nos ordinaverit, in eadem pace et concordia, quæ præscripta est, vobiscum et cum sancta Mindensi Ecclesia fide inviolata consistat. Eadem quæ præpositus Warnerus Corbeie nobis coram fratribus nostris data fide in manum nostram spondit et firmavit, magister Conradus apud Patherburnam domino episcopo Bernardo, coram Ecclesia sua data fide in manum ejus pro vobis in animam suam firmavit, et uterque eorum per osculum pacis suæ, quod nobis dederunt, præpositus quidem Wernerus Corbeie, magister vero Conradus apud Patherburnam, reconciliationem vestram et amicitiam nobis reddentes confirmaverunt.

EPISTOLA CCLXVII.

CONRADI IMPERATORIS AD HENRICUM EPISCOPUM
MINDENSEM.*Gratum habet quoa in pace cum abbate Corbeiensi redierit, eique remittit omnem quam incurrerat offensam.*

(Anno 1151.)

CONRADUS Dei gratia Romanorum rex, II. venerabili Mindensi episcopo, gratiam suam et omne bonum.

Gratias mansuetudini nostræ egit fidelis noster Corbeiensis abbas tam per litteras, quam per nun-

tios suos, quod ob nostræ dilectionis et mandati A reverentiam omnem commotionem, quam adversus eum et Ecclesiam ejus habueras remisisti, et monachos ipsius, quos in Kaminatensi Ecclesia ordinaverat, in gratiam et pacem tanquam pius Pater et bonus pastor recepisti, et de cætero te illos velle fovere et canonica justitia defensare firmiter promisisti. Quod licet morosius et serius effeceris, quam tuæ industriæ injunctum fuerit, tamen pergratum habemus, et experientiæ tuæ summopere injungimus ut eundem abbatem honores et diligas, et in omni opportunitate sua tam de Kaminatensi Ecclesia, quam de aliis rebus consilium ei et opem feras, et præcipue contra Thidericum de Rikelinga, qui, postposito Dei timore et nostra ac regni reverentia, prædictum abbatem et Ecclesiam suam perturbat et infestare præsumit. Ob hoc siquidem omnem indignationem et offensam nostram, quam juste merueras tibi clementer remittimus, atque a vocationibus et judiciis in te super hoc promulgatis absolvimus.

EPISTOLA CCLXVIII.

HENRICI MINDENSIS EPISCOPI AD WIBALDUM ABBATEM.

Excusat Godeboldi innocentiam, quam Everardus presbyter de Hemerin impetebat.

(Anno 1151.)

Domino sanctæ Corbeiensis Ecclesiæ reverendo abbati WIBALDO, HENRICUS per misericordiam Dei Mindensis Ecclesiæ episcopus, assiduas in Christo orationes et fidelis obsequii devotionem.

Magistri Godeboldi dilecti fratris nostri vitæ innocentiam, et totius habitus sui rectitudinem vestræ discretionis auribus ex veritatis experimento testificari possumus, et de importuna querimonia, quam adversus eum Everardus presbyter de Hemerin injuste suscepit, multo libentius et plenius vobiscum viva voce quam per scripta tractatum haberemus, si locus et tempus mutuis verbis accommodatum fuisset. Quoties enim prædictus Everardus presbyter a domino papa litteras nobis apportavit, nos parati fuimus ei justitiam facere, et magister Godeboldus coram nobis et tota Mindensi Ecclesia suam expurgationem canonice obtulit, quod nec per se vel submissas personas illius bona unquam diripisset, et hoc ex nostro testimonio certum habeatis, quod eandem expurgationem coram domino papa jamdudum obtulisset, si continuæ infirmitatis imbecillitas non obstitisset. Nuper vero auditis litteris domini papæ, quas idem Everardus attulit, et vestræ serenitatis commonitione superaddita, ut pax et finis laboris ad prænominatas perveniret personas, presbytero Everardo tria taliter pro amore et quiete fratris nostri Godeboldi persolvere voluimus, et

(148) Antiquum ordinis S. Benedicti monasterium ad Mosam situm, cujus historiam habes in Spicilegii Acheriani tom. VII in qua apposite ad hanc et sequentes epistolas hæc leguntur: Dominus Wibaldus a magisterio hujus monasterii scholæ in Stabulensi ecclesia ad idem officium accitus, non solum

A de aliis personis, a quibus conqueritur sua bona distracta ecclesiasticam nos facturos justitiam promissimus, ex quibus nullam partem pro consilio nostro contingere voluit, sed repetita querimonia sedis apostolicæ justitiam se expetiturum affirmavit. Sed quia pacis estis amator, et super fraterna infirmitate misericors, vestræ prudentiæ supplicando committimus, ut totius controversiæ turbinem per vos et nostra parvitate mediante terminare studeatis, ut videlicet dictum Everardum verbis vestris districte commonitum ad nos redire jubcatis, ut deposito labore præfatæ conventionis fructum recipiat, et de cætero, si vir bonus fuerit, in pace sua possideat. Quod si fieri non potest, in hoc Mindensis Ecclesia vestræ charitatis sentiat affectum, ut B apud dominum papam nostrum dilectum filium magistrum Godeboldum excusare satagatis, et de sæpius repetitis querimoniis sui adversarii ei pacem componere studeatis.

EPISTOLA CCLXIX.

H. DUCIS BAVARIÆ ET SAXONIÆ AD WIBALDUM ABBATEM.

Corbeiensis Ecclesiæ bona sub sua suscipit tuitione.
(Anno 1151.)

WIBALDO venerabili Corbeiensis Ecclesiæ abbati, H. Dei gratia dux Bavarix et Saxonix, fidele servitium.

Juxta petitionem vestram bona Ecclesiæ vestræ sub tuitionis meæ munimen recipio, et tam in his quam in cæteris quæ ad honorem vel utilitatis vestræ profectum respiciunt, promptum me et fidelem exhibeo. Unde ego de vestra vicissim benevolentia securus confido, quod memoria mei in benedictione sit apud vos tam coram domino papa quam coram rege.

EPISTOLA CCLXX.

WIBALDI ABBATIS AD PRIOREM ET FRATRES HASTERIENSES.

Ut contenti antiqua consuetudine loci ad concordiam redeant cum fratribus suis Walciodorensibus.

(Anno 1151.)

Frater WIBALDUS Dei gratia id quod est in Ecclesia catholica, I. venerabili Hasteriensis Ecclesiæ priori, et cæteris in eodem loco Deo et paci militantibus, benedictionem et vitam usque in sæculum.

Non est opus eruditioni vestræ replicare quanto charitatis affectu Ecclesiam et vos dilexerimus: opera enim nostra testimonium hactenus nostræ erga vos dilectionis ferre potuerunt. Audivimus vero, quod nequaquam de vestra fraternitate audire potuimus, quod videlicet terminos, quos posuerunt vobis patres vestri transgredi attentantes, matrem vestram Walciodorensis (148) Ecclesiam et dominum

illius, sed et Casinensis et Corbeiensis uno tempore abbas existit. Ipse antiquum Ottonis I imperatoris in curiis imperatorum Lotharii et Friderici simul et Conradi regis, novis et apertioribus impetratis privilegiis renovavit, quorum confirmationem in Metensi B. Stephani ecclesia, quæ et istius mater est et do-

abbatem T (149), qui per eam vestro etiam loco regulariter præest, contra ejusdem Ecclesiæ privilegia et vestræ religionis propositum novis et superfluis motibus fatigare incipiat. Siquidem hoc certissime constat, quod Ecclesia Walciodorensis ab initio foundationis suæ Ecclesia Hasteriensi et villa et omnibus appendiciis ejus per privilegia imperatorum et regum et præcipue decreto Benedicti papæ septimi aucta est, et inibi ordo monasticus ab abbate Walciodorensis constitutus; vestram vero Ecclesiam eidem Ecclesiæ subditam, et ejusdem loci abbate contentam esse debere, nullus est qui ambigat. Nos igitur qui de numero filiorum Walciodorensis Ecclesiæ sumus, vestros quoque fratres nos esse cognoscentes, hoc universitati vestræ consilium mittimus ut, quantocius potestis, ad pacem et concordiam cum abbate vestro et fratribus redire festinetis, contenti consuetudine et rebus vobis a patribus vestris constitutis; neque enim meliores estis quam patres vestri. Si autem primo discretionis nostræ consilium et litteras accepissetis, nequaquam, ut credimus, tantum processisset causa vestra, neque odor bonæ opinionis vestræ versus fuisset in fetorem. Quod si consiliis nostris acquiescentes ad pacis et concordie unitatem tetenderitis, nostram arctius benevolentiam consequemini, et bonorum filiorum et fratrum locum et nomen apud nos obtinebitis. Sin autem in vestra permanentes pertinacia nostris monitis salubribus non obaudieritis, extunc ad audientiam domini papæ vos appellamus, et diem vobis in Circumcisione Domini præfigimus ita paratis, ut de quibus vos interpellavimus, nobis respondeatis.

EPISTOLA CCLXXI.

WIBALDI ABBATIS AD STEPHANUM EPISCOPUM
METENSEM.

Ut privilegia Walciodorensis monasterii tueri et Hasteriensium audaciam compescere dignetur.

(Anno 1151.)

Reverendo Patri suo et domino STEPHANO sanctæ Metensis Ecclesiæ venerabili episcopo, frater WIBALDUS Dei gratia id quod est in Ecclesia catholica, exiguas orationes et devotum servitium.

Novit, reverende Pater, vestra prudentia quod ab initio dilectionis vestræ, quam nobis familiariter offerre dignatus estis, sinceræ charitatis affectu vos et vestra omnia dileximus, et ubicunque locorum fuimus, honori personæ et Ecclesiæ vestræ pro modulo nostro astitimus. Eadem confidentia paternitatem vestram precari audemus; et exoratam esse deprecamur, quatenus Ecclesiam Walciodorensis, quæ nobis naufragium mundi hujus fu-

gientibus habitum monachicum induit, in sua justitia et honore, juxta quod in privilegiis imperatorum et regum videre poteritis, esse et permanere jubetis. Neque enim sanctitatis vestræ aures pseudomonachis Hasteriensibus accommodare oportet, qui otio vacantes fabulis student, vana et superflua meditantur, et pacem Ecclesiæ conturbant. Siquidem Ecclesia Walciodorensis ab initio foundationis suæ Ecclesia Hasteriensi et villa et omnibus appendiciis ejus per privilegia regum et imperatorum, et præcipue decreto Benedicti papæ septimi aucta est, et inibi ordo monasticus ab abbate Walciodorensis institutus. Quod cum ita sit, et in memoria apud plerosque habeatur, quod defuncti etiam fratres de Hasteria in cœmeterio Walciodorensis antiquitus sepeliebantur, rogamus sanctitatem vestram ut temeritatem insanientium monachorum Hasteriensium auctoritatis vestræ virga compescatis, et, ut ad pacem et concordiam fratrum suorum redeant, compellatis, aut si contemnunt, tanquam rebelles et apostolicis decretis inobedientes de monasterio ejici faciat. Responsum vestrum tempestive humiliter et obnixè flagitando exspectamus. Nam in proximo pro legatione domini nostri regis et regni Romanam proficisci intendimus, ubi etiam Walciodorensis abbatis causam promovere omnimodis satagemus.

EPISTOLA CCLXXII.

STEPHANI EPISCOPI METENSIS AD WIBALDUM ABBATEM.

Ut Hasterienses monachos ad obediendum Walciodorensi Ecclesiæ compellat.

(Anno 1151.)

STEPHANUS Dei gratia, licet indignus, Metensis episcopus, WIBALDO venerabili Stabulensi abbati, salutem et dilectionem.

Quod de dilectione ac familiaritate mea vos confidere dicitis, sciatis pro certo, quod inde plurimum confidere potestis. De monachis vero Hasteriensibus quod scripsistis mihi, quia quasi quadam taurinæ cervicis feritate Ecclesiæ Walciodorensi subesse reluctantur, sagacitati vestræ committo, quatenus in eodem tenore et modo, quo eos antiquitus fuisse didicistis et scitis, etiam nunc præcepto et voluntate mea manere compellatis. Si enim in pace corporis capitis illius volunt manere, quod Christus est, oportet eos, sicut membra corporis capiti, ita propriæ ac matri suæ Walciodorensi Ecclesiæ, si ita est, ut asseritis, humiliter subjacere. Sciatis enim pro certo, quod ea quæ auctoritate pontificum, liberalitate principum, cæterorumque assensu catholicorum fidelium bene ac legitime antiquitus instituta sunt, nolo quasi quadam levitate meo tempore permutare.

test in nostri monasterii thesauris, temporibus apostolicatur, debet velut membrum capiti adhærere et in omnibus obedire.

(149) Theodericum II abbatem Walciodorensis XIII, qui Widrici successor exstitit.

mina, conservari perpetuo constituit. Renovavit etiam privilegium Benedicti papæ VII uti adhuc videri pollicorum Adriani et Eugenii III, quibus manifeste ostenditur, quod Hasteriensis locus Walciodorensis, tanquam cella vel propositura, vel quocunque nomine

EPISTOLA CCLXXIII.

A

WIBALDI ABBATIS AD THEODORICUM ABBATEM
WALCIODORENSEM.

Promittit ei suam protectionem, mandatque ut Hasteriensium scrutetur intentionem, et mittat sibi regum et paparum privilegia.

(Anno 1151.)

Reverendo Patri suo T. Walciodorensi abbati, frater WIBALDUS Dei gratia id quod est in Ecclesia catholica.

Dominus in lege præcipit: *Honora patrem tuam et matrem tuam, ut sis longævus super terram.* Cujus præcepti nos quoque memores, si quid emolumentum personæ ac Ecclesiæ vestræ, nostræ utique matri, nostro studio ac labore provenit, omnimodis gaudemus, et ut amplius et honoris incremento et utilitatis augmento multiplicetur pro facultate nobis a Deo concessa fideliter laborabimus. Verum quia in processu legationis nostræ jam sumus, mandamus ut perscrutata diligenter Hasteriensium intentione, sive dissensionis, quod absit! sive reconciliationis, quod Deus concedat, usque Lucæ evangelistæ de omnibus certi per vos efficiamur. Exemplaria etiam privilegiorum tam imperatorum quam pontificum Romanorum optime correpta nobis mittatis, ut si necesse fuerit, ad urbem ea portantes, per veritatis, quæ Christus est, liberationem, et ipsorum attestationem, justitiam et honorem Ecclesiæ vestræ manuteneamus.

EPISTOLA CCLXXIV.

STEPHANI EPISCOPI METENSIS AD THEODERICUM
ABBATEM WALCIODORENSEM.

Accusatum de dilapidatione citat ad synodum Metensem.

(Anno 1151.)

STEPHANUS Dei gratia Mētensis episcopus, T. (150) Hasteriensi abbati, salutem et dilectionem.

Hasteriensis cœnobii quidam fratrum se nobis præsentaverunt, et quod eorum Ecclesia multis modis per vos minôratur, et bona ipsius per negligentiam vestram contra licitum distrahuntur (151), multum conquesti sunt. Quoniam igitur illius Ecclesiæ providentia ad nostrum spectat honorem, et illius defensio nobis specialius incumbit, vobis præcipiendo mandamus, quatenus in proxima Metensi synodo, quæ sequenti septimana post missam omnium sanctorum celebratur, vos cum ipsis monachis ante præsentiam nostram, omni remota occasione veniatis, quatenus audita utriusque partis calumnia et defensione, utrinque servata æquitate inter vos nostra judicet discretio. Præcipimus insuper quod inter eundem et redeundum monachis conquerentibus necessaria stipendia ministrare non recuset vestra provisio.

(150) Queritur in sequenti epistola Wibaldus de hac inscriptione, cum Hasteria cella sit non abbatia.

(151) Certe ejus tempore ecclesia Hasteriensis pre-

EPISTOLA CCLXXV.

WIBALDI ABBATIS AD STEPHANUM METENSEM
EPISCOPUM.

De rebellionē monachorum Hasteriensium et de contentis in præcedenti epistola conqueritur.

(Anno 1151.)

Reverendo Patri suo et domino STEPHANO sanctæ Metensis Ecclesiæ venerabili episcopo, frater WIBALDUS.

Recordatur discretio vestra quod ante paucos dies sinceritati vestræ scripsimus, pro negotio dilecti Patris nostri T. Walciodorensis abbatis, videlicet de rebellionē monachorum Hasteriensium, qui ordinis monastici et disciplinæ regularis immemores, non solum inobedientes, sed etiam aperte rebelles eidem abbati suo exstiterunt, donec clamor contumaciæ ad aures domini Leodiensis episcopi perlatus est, et judicio tam archidiaconorum quam abbatum ac totius cleri ab officiis divinis suspensi sunt, quousque a pertinacia sua resipiscerent, et tum ipsi episcopo, tum abbati suo, quem contempserant, condigne et regulariter satisfacerent. Si quidem in Hasteriensi monasterio erant duo circumcelliones Jul. videlicet et M. quos vagantes et peregrinos et egentem pane abbas pro summa misericordia susceperat, in tempore hospitalitatis ipsorum probaturus, si conversatione digni existerent, quos speciali fraternitatis vinculo fratrum collegio deberet aggregare. Verum ipsi non solum enormiter vivebant, sed etiam inter monachos Walciodorenses et Hasterienses atque ipsum abbatem scandala et discordias accurato studio serebant; ita ut projecto interdum sacro et regulari habitu, armis accincti, possessiones Walciodorenses invaderent, et terminos ipsorum absque ulla juris assertionē convellerent, quod cum abbas corrigere diu dissimulasset, et orientia mala falce justitiæ resecare distulisset, tandem nostro et coabbatum suorum consilio admonitus, capitulum intravit Hasteriensium, et fretus auctoritate sacrosanctæ Regulæ beati Patris nostri Benedicti dixit honeste advenis et hospitibus litium seminariis ut recederent. Quod illis facere detrectantibus, et convitia in abbatem impudenter jacentibus, præcepit aliis ne eos in consortio suo retinerent, et quandiu duo illi inter monasterii ædes habitarent, ab officiis divinis omnes prorsus abstinerent. Cæterum ipsi conversi sunt in arcum pravum, et in utroque obedire contempserunt, tam illos, qui jussi fuerant egredi, delinendo, quam illis præsentibus et cum illis divina officia temere exercendo. Quæ, ut supra diximus, violenta non sine divini nominis contemptu præsumptio ad Leodiensem Ecclesiam perlata est, et canonico judicio debita animadversione est punita. Hanc cau-

tiosus gemmis et auro claris ornamentis spoliata est, teste chronographo Walciodorensi pag. 572; verum non Theoderici culpa, sed monachorum Hasteriensium, ut constat ex epistola sequenti.

sam cum excellentiæ vestræ per litteras et nuntium insinuavisset, et supplices preces pro statu matris nostræ Walciodorensis Ecclesiæ vestræ magnitudini effudissemus, placuit celsitudini vestræ nostræ parvitati rescribere ut monachos Hasterienses voluntate ac vice vestra compelleremus, debitam reverentiam Walciodorensi cœnobio et abbati suo exhibere. Cæterum nos, qui parati et accincti sumus in legatione domini nostri regis proficisci, tam molestis negotiis implicari nequaquam potuimus. Sed iidem Hasterienses ad vos profecti, litteras ad abbatem suum retulerunt vestro nomine titulatas, et sigillo vestro signatas, quas ab eruditione vestra conscriptas et datas credere nequaquam potuimus, propter multarum rerum a ratione et auctoritate et usu dissonantiam. Nam pagina ipsius limen contra auctoritatem et usum positum est, cum illæ litteræ abbati Hasteriensi dirigantur, quod vocabulum nec auctoritas roborat, nec usus confirmat. Siquidem Walciodorensis cœnobium a principio foundationis suæ ab annis videlicet CLXXXI nomen et potestatem abbatiæ obtinuit, sic instituentem loci ejusdem constructore nobilissimo comite (152) E. et sanctissimo Metensis Ecclesiæ episcopo Deoderico, sic etiam confirmante et per privilegii paginam asserente, imperatore Ottone hujus nominis primo, qui decreverunt Walciodorum esse abbatiam, et tradiderunt ibidem in augmentum præstationis Deo-serventium Hasteriam cum omnibus appendiciis suis, quam venerabilis Albero Metensis episcopus prædecessor utique prædicti Deoderici ex proprio hæreditatis jure Ecclesiæ Metensi et sancto Stephano protomartyri tradiderat, quod privilegia regum et imperatorum, nec non Romanorum pontificum Walciodorensi cœnobio collata, et liber vitæ sancti D. plenius loquuntur. Hoc etiam usus usque ad nos absque ullius interruptionis impedimento servavit, nec inventus est qui Hasteriensem nominaret abbatem, cum Hasteria cella sit, et præpositura Walciodorensis Ecclesiæ. Ratio etiam non admittit, ut tot vocabulis prælatio nostra tituletur, quot villas sub nobis esse contigerit. Incongruum enim esset, si quis vos non a civitate et sede vestra Metensem episcopum, sed potius a monasterio aliquo seu oppido aut vico vos Gorziensem episcopum aut Vicensem appellaret. Hoc etiam nec canones recipiunt, nec leges admittunt, ut rebus suis spoliatus ad iudicium vocetur, quoniam non est privilegium, quo possit spoliari jam nudatus. Quod propterea dicimus, quia idem abbas in proxima synodo vestra ad præsentiam vestram jussus est venire Hasteriensibus monachis de controversia jam sopita iterum responsurus. Præterea cum hoc eodem anno tam abbatem quam monachos pro mona-

(152) Eilberto filio Ebroini comitis et Bertæ natæ Wederici comitis, fratre Uddonis de Roix comitis, Heriberti comitis S. Quintini, Gerardi comitis de Odenarde, Bosonis et Wilersi comitum; et Marcuardi episcopi, teste chronographo Walciodorensi.

A chorum delatione in jus vocaveritis, et omnem controversiam hinc et inde diligenter cognoveritis, et tam iudicio quam consilio Ecclesiæ vestræ abbatem a monachorum accusatione præsertim falsa absolveritis, non est credibile, quod contra juris canonici rationem litem decisam refricari velitis. Et sæculi leges dicunt, rebus jam iudicatis standum esse. Et quoniam apostolicæ dignitatis culmen tam ordine quam professione tenetis, non estis juxta Apostolum levitate usus, ut sit apud vos *est et non*, ut videlicet causam bene a vobis cognitam et præjudicatam nobisque ad terminandum commissam, rursus ante tribunal vestrum in iudicium revocetis. Nam quod sæpediti monachi conqueruntur, quod bona Hasteriensis Ecclesiæ per abbatis negligentiam contra licitum distrahuntur, ut apud propitium iudicem loquamur, vera fere dixerunt, cum de thesauris ejusdem Ecclesiæ, tum in eundo ad vos, tum in revertendo ad dominum Leodiensem, calicem sex marcarum et crucem argenteam, ignorante abbate, expendisse asserantur, et multa præterea, quibus per inquietudinem suam et superflua litigia Ecclesiam minoraverunt, nequaquam adhuc cessaturi, nisi animositas eorum fortiori disciplinæ jugo reprimatur. Quamobrem sanctitatis vestræ genibus advoluti, obnixè precamur, ut misereamini jam deficientis inter has contentiones abbatis, parcite seni, parcite inopi, qui inter tyrannidem advocatorum et rerum omnium egestatem laborem vix tolerare sufficit. Misimus ad vestram discretionem nostrum tam sanguine quam obedientia et charitate germanum, quem tanquam nos ipsos in omnibus et honorabitis et exaudietis.

EPISTOLA CCLXXVI.

PRÆCEPTUM CONRADI II. IMPERATORIS PRO MONASTERIO WALCIODORENSI.

Interventu Wibaldi abbatis, confirmat privilegia Walciodorensis monasterii.

(Anno 1151.)

In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis. CONRADUS (153), divina faventé clementia, Romanorum rex secundus, ad implendam munificentiam pertinet bene de rep. merentibus præmia rependere, et cæteris ad famulatum imperii surgentibus eos in exemplum aut bonæ spei signum collocare.

Quocirca noverit fidelium nostrorum tam futuræ quam præsentis ætatis industria, quod interventu dilecti ac fidelis nostri Wibaldi abbatis, qui nunc, Deo auctore, Stabulensi et Corbeiensi monasterio præest, privilegia Walciodorensis monasterii in quo prædictus abbas sacrum religionis habitum suscepit, et juxta regulam beati Benedicti et sanctorum Patrum instituta professionem fecit, recitari et exponi jussimus, in quibus scriptum con-

(153) Exstat hoc Conradi imperatoris præceptum in archivis monasterii Walciodorensis, cujus exemplum nobis concesserat reverendissimus abbas ejusdem monasterii, antequam Stabuletum accederemus.

tinebatur, quod vir quondam illustris Elbertus comes in proprio hæreditatis suæ fundo monasterium secundum regulam et ordinem monachorum in pago Lumensi construxit, et de suo jure ac proprietate in jus et dominationem regiam cessit et transegit. Quod monasterium cum omnibus appendiciis imperator Otto primus, cui a præfato comite suo utique consanguineo donatum fuerat, contulit Metensi Ecclesiæ per manum Deoderici venerabilis Metensis episcopi, hac scilicet interposita rationis observantia, ut idem pontifex quemdam locum Hasteria nomine olim a sanctissimo prædecessore suo Adelberone antistite ex proprio hæreditatis jure sancto protomartyri Stephano in Metensi Ecclesia delegatum, supradicto cœnobio gratia solaminis copularet; et quoniam proxima vicinitate junguntur, et sub unius ditione ordinationeque abbatis eadem præfata loca, Walciodorum videlicet atque Hasteria indissolubili vinculo necterentur. Quæ constitutio tam a divæ recordationis prænominato Augusto per venerandæ sanctionis paginam roborata, quam apostolicis decretis per sanctissimum Benedictum papam confirmata, usque ad nostra tempora immobilis permansit et inconvulsa, licet alterius loci monachis, id est Hasteriensibus studium semper fuerit prærogativæ Walciodorensis cœnobii obsistere, et abbatum suorum ordinationibus temeraria præsumptione resistere. Quæ insolescentia usque adeo stultis conatibus excrescere ausa est, ut sese a connexionem et subjectionem Walciodorensis cœnobii et venerabilis Teoderici ejusdem loci abbatis abrumperere conati sunt, donec judicio curiæ nostræ legibus et ratione subnixo compressi suut, et ad unitatem et obedientiam revocati. Auctoritate igitur in perpetuum valitura decernimus, ut Hasteriensis locus Walciodorensi monasterio contraditus et connexus eidem semper cœnobio subdatur, sicut cella vel præpositura vel quocunque nomine dicatur aliquod inferius suo superiori debet adjacere. Et decedente eo, qui nunc ibi, Deo præstante, regulariter præest Teoderico abbate, suisque successoribus in perpetuum regulariter ordinandis, Hasterienses monachi convenient Walciodorum tam ad exsequias defuncti abbatis devote peragendas, quam ad electionem futuri pastoris disciplinate et concorditer celebrandam, hoc videlicet discretionis tenore, ut primus assensus, prima vox, prima denominatio penes Walciodorensium constet arbitrium, et de ipsorum cœtu persona, si fuerit idonea inventa, absque contradictione Hasteriensium eligatur. Quod si ibi forte reperiri non potuerit, atque in Hasteriensi Ecclesia persona conveniens inventa fuerit, de ipsis potius quam de alio monasterio prælatus assumatur. Et ut hæc constitutio rata et immobilis per cuncta successura

(154) Henrico de Limburgo, de quo Albericus ad annum 1164 scribit quod, mortuo Victore antipapa, oblatum sibi ab imperatore papatum recu-

A tempora permaneat, præsens præceptum conscribi mandavimus, nostræque signo imaginis impresso testes qui actioni et judicio interfuerunt, subternominari jussimus. Arnoldus Coloniensis Ecclesiæ electus nostræ curiæ cancellarius, Henricus Leodiensis episcopus, Otto frater noster Frisingensis episcopus, Warnerus Monasteriensis episcopus, Philippus Osenbrugensis episcopus, Albertus Misinensis episcopus, Herinannus Trajectensis electus, Wibaldus Stabulensis et Corbeiensis abbas, Lambertus Werdenensis abbas, Adolfus comes de Montibus, Henricus comes de Gelra, God. et Hermannus fratres de Kuic, Marquardus de Gruenbach, Albertus de Gruendinga. Signum domini Conradi secundi Romanorum regis invictissimi.

Actum in palatio Noviomagi, anno Dominicæ Incarnationis millesimo centesimo quinquagesimo primo, indictione XIII, XVI Kalendas Junii, regnante domino Conrado Romanorum rege secundo, anno regni sui XIV in Christo feliciter. Amen. Ego Arnoldus cancellarius vice Henrici Moguntini archiepiscopi et archicancellarii recognovi.

EPISTOLA CCLXXVII.

CONRADI IMPERATORIS AD H. LEODIENSEM EPISCOPUM.

Promittit vindictam de Ecclesiæ Leodiensis hostibus, mandatque ut et ipse a molestanda Ecclesiæ Stabulensi absteineat.

(Anno 1151.)

C CONRADUS Dei gratia Romanorum rex, H. (154) venerabili Leodiensi episcopo, gratiam suam et omne bonum.

Pervenit ad nos clamor Stabulensis Ecclesiæ dolentis et conquerentis quod Ecclesia tua impie a quibusdam tyrannis, et persona tua novis et inauditis modis ab his, qui fidelitatem tibi juraverant, vexetur. Confidimus autem de protectione divina, quod nos sanos et incolumes et inimicorum nostrorum victores esse facit, quod consilio et judicio principum hanc contumeliam digna animadversione in brevi tempore vindicabimus. Præterea suggestum nobis est, quod propter odium Henrici de Rupe, qui est advocatus Stabulensis Ecclesiæ, tam tu quam tui incendia et rapinas in bonis ejusdem Ecclesiæ facere disposueris, cum eadem bona in tantum sint ab advocati servitio libera, ut nullam in eis portionem vel de justis pensionibus, vel de legum compositionibus accipiat. Et quoniam eandem Ecclesiam lædere non solum contra regiam majestatem est, sed etiam contra tui ordinis sanctitatem, et contra omnem tam divini quam humani juris æquitatem, mandamus solertiæ tuæ et sub obtentu gratiæ nostræ præcipimus, ut te et tuos a læsione et gravamine prædictæ Ecclesiæ contineas, sciturus, quod si saverit, et Paschalem Victoris successorem consecraverit.

aliter præsumptum fuerit, justa indignationis nostræ ultione non carebit.

EPISTOLA CCLXXVIII.

CONRADI IMPERATORIS AD WIBALDUM ABBATEM.

Excusat eum a legatione Romana.

(Anno 1151.)

CONRADUS, Dei gratia Romanorum rex, WIBALDO Corbeiensis abbati, suam gratiam et omne bonum.

Experimento cognovimus, et certi sumus, quod honori et proventibus nostris promovendis summa fidelitatis constantia indefessus assistas. Igitur, si rerum opportunitas postulasset, officium legationis nostræ ad dominum papam quemadmodum expectavimus, assumpsisses. Quoniam autem magna rerum difficultate te præpeditum esse cognovimus, bonæ voluntati tuæ gratias habentes, ut ad cætera negotia nostra sinceritatis tuæ obsequium nobis promptissimum esse non dubitantes, aliis principibus, Basiliensi scilicet episcopo et Constantiensi episcopo legationis nostræ laborem ad dominum papam commisimus.

EPISTOLA CCLXXIX.

HENRICI EPISCOPI LEODIENSIS AD WIBALDUM ABBATEM.

Conqueritur de Henrico comite de Rupe, et de comite Namurcensi.

(Anno 1151.)

HENRICUS, Dei gratia Leodiensis Ecclesiæ humilis minister domino WIBALDO eadem gratia venerabili Sabulensi abbati, salutem et fraternam in Christo dilectionem.

Propter necessitates grandes ex improvise nobis occurrentes minoribus negotiis vacare nequam possumus. Non latet enim prudentiam vestram fomitem hujus mali hactenus specie invidæ adulationis protecti, calcata sub pedibus regalis reverentia majestatis, omnes rupisse aditus simulationis. Comes enim de Rupe Henricus treugas illas, quas per manum comitis Namurcensis et aliorum suorum in manus principum nostrorum stabili pace firmaverat, nihil nobis contradicendo, incendiis et rapinis in nos et Ecclesiam nostram impudenter confregit, æstimans excommunicatis dictum esse, ut qui in sordibus sunt, sordescant adhuc. Comes Namurcensis, nescimus quorum rumore regis debilitatis, venenosa factione aliorum principum in nos et Ecclesias nostras furit, præmissis dilectionis et fidelitatis nuntiis, et subsequenter eadem hora nuntio exfestucationem domini nostri deferente, Cinei nostram dominicalem villam adhuc ista legatione infecta penitus succendit. Quia igitur vobiscum de meis secretis solco loqui ut mecum, in gremio vestri consilii et consolationis hanc repono causam conturbationis, ut ego et vos, qui in eadem curia sumus fideles domestici, alter pro altero, cum opus fuerit, veritatis et fidei inveniamur socii. Bene valeat dilectio vestra, cætera lator præsentium expediet.

EPISTOLA CCLXXX.

WIBALDI ABBATIS AD EUGENIUM PAPAM III.

Scribit se suscipiendæ legationi Romanæ paratum fuisse commendatque ei latorum præsentium.

(Anno 1151.)

Reverendo in Christo patri suo et domino EUGENIO uni et universali papæ, frater WIBALDUS Dei et vestra gratia id quod est in Ecclesia catholica, filialem dilectionem et debitam per omnia subjectionem.

Non latet, charissime Pater, celsitudinis vestræ prudentiam, quod ex quo gloriosus atque inclytus Romanorum rex Conradus, sanctitatis vestræ filius, a Jerosolymitana expeditione rediit, a latere suo legatos efficaces et industrios ad vestræ magnitudinis excellentiam destinare proposuerit. Ad quod strenue peragendum, cum etiam nostræ parvitatæ persona et denominata et vocata fuisset, eousque perventum est, ut jam parati et expediti ad proficiscendum Lotharingiam exierimus. Quod si ingenioli nostri tenuitas intelligere ullo modo potuisset, quod hujus legationis labor ullatenus expediret catholicæ Ecclesiæ ac vestræ dignitati sive Romani imperii incremento, nullatenus rebus nostris aut personæ nostræ pepercissemus. Præsentium lator Sabulensi Ecclesiæ jure proprietario pertinere dignoscitur, qui, cum ad nos querimoniam detulisset, quod quidam God. decanus ecclesiæ Beatæ Mariæ in oppido Trajectensi domum, quæ ei patrio et avito jure hæreditario competit, violenter auferret, nos pro eo sanctitatis vestræ filio Henrico venerabili Leodiensi episcopo scripsimus, postulantes ut decanum suum a tanta et insolita violentia potestate debita removeret. Sed, cum idem clericus ab injusto proposito nollet cessare, dicens illum, qui contra se agebat, esse excommunicatum, compulsus est idem laicus protectionis vestræ appellare et adire præsentiam. Solita itaque clementia, Pater piissime, eum exaudire dignemini, ne tot labores et pericula frustra et in vanum se assumpsisse doleat, et alii oppressi de vestra misericordia hujus exemplo sperare doceantur.

EPISTOLA CCLXXXI

WIBALDI ABBATIS AD CONRADUM IMPERATOREM.

Conqueritur de episcopo Leodiensi, de comitibus Namurcensi, de Rupe et de Monte-Acuto.

(Anno 1151.)

Inclyto triumphatori et magnifico domino suo CONRADO, Dei gratia Romanorum imperatori Augusto, frater WIBALDUS eadem gratia id quod est in Ecclesia catholica, salutem in eo qui dat salutem regibus.

Scripsit dudum majestati vestræ nostræ parvitatæ humilitas, quod ad peragendam legationem vestram ad Urbem non sine gravi rerum nostrarum dispendio accincti fuimus, etsi dominus cancellarius proficisci potuisset, ad incrementum honoris vestri et regni pro posse laborassemus. Unde regressi terram nostram nimis rapinis et incendiis

concussam invenimus. Nam dominus Leodiensis episcopus, et comes Namurcensis, et comes de Rupe et comes G. de Monte-Acuto dissentientes, bonum pacis de finibus nostris exturbaverant. Cum autem neminem nostri neque nos læderemus, et in neutram partem inclinarem, cum jam in Namurcensem et suos fautores dominus episcopus sententiam anathematis promulgasset, comes G. de Monte-Acuto sua et domini episcopi militia villam nostram Okeriis devastavit et succendit, quæ fere tribus mensibus monasterio necessaria ministrabat. Intendit etiam cætera eidem monasterio pertinentia devastare, succendere, nisi gravissimis redemptionibus et exactionibus ab hoc suo proposito revocetur. Et, cum violenter nostra devastentur, diripiantur, et hoc auxilio domini episcopi, sine quo idem comes G. hoc non præsumeret, decet regiam majestatem vestram, nos, qui vestri sumus, defensare, et innocenter afflictis manum misericordiæ porrigere. Proinde dignitatis vestræ magnitudinem, quam semper propitiam sensimus, humiliter deprecamur, ut si dominus episcopus ad vestræ majestatis præsentiam venerit, de nostra a suis et nostrorum injusta oppressione, sicut vos debet, eum conveniat, et nostra, quæ adhuc a suis non tamen intacta supersunt, quæ idem G. ejus auxilio demoliri festinat, accepta ab eo dextra, sicut sunt, conservari faciatis. Si autem eum non venire contigerit, super hoc ei severius scribendo vestra præcipiat mansuetudo, et ut eundem G. comitem a nostrorum depopulatione tam per vestra scripta, quam sua auctoritate coercat, imperetis. Nos enim in eo discrimine positos addiderunt Córbeiensis revocare, inter quos quas molestias, quas insidias sustineamus, quid vero contra nos eo tempore, quo in servitio regni et vestro accincti eramus, molitum sit, quidve factum, eum ad vos venerimus, majestati vestræ plenius referemus. Deliberavimus autem si quolibet modo his curis et laboribus nos subducere possimus, ut in Purificatione sanctæ Mariæ ad vos, ubicunque locorum vos esse rescierimus, perveniamus.

EPISTOLA CCLXXXII.

R. STABULENSIS AD WIBALDUM ABBATEM.

De actis Leodii adversus incendiarios prædiorum Stabulensium.

(Anno 1151.)

Domino suo et patri WIBALDO venerabili Stabulensi abbati, frater R. obedientiæ, subjectionis ac orationum devotissimum munus.

Sabbato post discessum vestrum Leodium profecti Dominica venimus, ibique abbatem Florefiensem (155) de bonorum suorum violenta rapina querimoniam facientem invenimus. Cui ab archidiaconis et abbatibus die eodem, nobis vero in crastino responsum est, proximo Sabbato episcopum ventu-

(155) Florefia est insignis et pinguis abbatia ordinis Præmonstratensis a Godefrido comite Namurcensi fundata, duabus a Namurco leucis distans, in qua fundator ipse conversorum habitum et professio-

rum, reverti nos ea die debere in palam querelam nostram facturos, se vero nobis in omnibus justitiæ nostræ adfuturos. Itum est, reversum est, et die prædicto in conventu magno archidiaconorum, abbatum, cleri litteras vestras domino episcopo præsentavimus. Quibus a fratre Henrico palam distincte recitatis, respondit episcopus dubitare se utrum liberos homines parochianos suos excommunicare possit, iudicio tamen archidiaconorum consilioque omnia acturum. Causa tam nostra quam Florefiensis in crastinum protracta est, et præsentem frequentiore conventu requisitus episcopus causam nostram in responsis archidiaconorum dixit consistere, archidiaconi nihilominus privilegia et jura Ecclesiæ nostræ neque consilio, neque iudicio suo velle convellere. Tum episcopus: Cum, inquit, abbatem vestrum et privilegia et chartas ejus videro, consilio meorum, quæ justa sunt, agam. At nos de responso hoc præmuniti, diffugiis ejus sic obviavimus. Quoniam tempore prædecessoris vestri domini Alberonis excommunicationem Ecclesiæ nostræ ratam habere nolentis, archidiaconi, qui adhuc superstites sunt, et præsentem sunt, excommunicationem in Walterum de Warnanz et Balduinum de Hosden a nobis factam ratam esse censuerunt. Viderit prudentia vestra, si iudicio et testimonio archidiaconorum et priorum Ecclesiæ vestræ possit refragari. Verumtamen, quoniam dominus abbas abest, in cuius custodia et potestate privilegia Ecclesiæ nostræ sunt, qui ea, cum necessitas poposcerit, tempore et loco personæ congruenti relegenda præsentabit: nos in articulo hoc Ecclesiæ nostræ prætermittentes, auctoritate domini papæ Eugenii roboramus sententiam ejus de incendiariis datam, sicut de vestris ita de nostris observari postulantes. Et prolata schedula lectoque capitulo de incendiariis (156), auctoritate domini papæ sententiam ejus de incendiariis nostris ratam eum habere et observare urgebamus. Tandem, adductus vel instantia nostra, vel ne domini papæ offensam incurreret, dixit se privilegiis nolle contraire, præceptis vero domini papæ velle libenter obedire: statim excommunicationem in incendiarios nostros datam archidiaconos ex auctoritate domini papæ præcepit observare. Illis vero nomina eorum de manu ejus requirentibus, cum ipse ea per se dare nollet, dies in noctem protracta est. Tandem ipse nomenclatoriam per se recepit, nunquam nisi coactus sententiam de incendiariis nostris observaturus. Ita ab eo recessimus parum adhuc certi, quid super hoc egerit. Fama erat et constabat, quod dominus episcopus nuntios suos ad Urbem direxerit, et quod ad curiam præsentem domini regis Wormatiæ iturus erat, mille marcis datis dominum regem in perniciem et depopulationem comitis Namurcensis adducere suscepit.

(156) Exstat Eugenii papæ decretum in incendiarios concilii Remensis anno 1148 celebrati, cap. 15.

cturus. Comes autem per abbatem Florensem nos multum sollicitavit, ut ejus verbum apud dominum regem manuteneretis, et bono fine, si possibile esset, terminaretis. Episcopus et comes nullo modo a guerra desistere volunt, sed rursus post Natale Domini cuncta devastare intendunt. Comes God., ut dicitur, Harizeis intrat terram nostram, et in Condustrio et in Arduenna depopulaturus, nisi redemptione accepta cessaverit. Comes Henricus nondum convaluit. Comes de Lcz Tournines nostram vastabit, et Bosonem et Gosvinum fratres captivos tenet. Wellin episcopus post Natale se dicit incendio vastaturum, quod ex auctoritate domini papæ ne faceret monuimus, quia ad eum transituri eramus, quod vos etiam tam ex domini papæ, quam ex domini regis auctoritate prohibere satagatis. Facies rerum vestrarum tam intus quam foris eadem est, quæ in exitu vestro erat, ei ideo, si quid jubere, si quid ordinare disponitis, beneplacitum vestrum rescribite. Consilii enim et ordinationis vestræ providentia egemus. Valete in Domino, iterum dico, valete et gaudete.

EPISTOLA CCLXXXIII.

WIBALDI ABBATIS AD MINDENSEM EPISCOPUM.

De causa magistri Godeboldi et presbyteri Everardi.

(Anno 1151.)

Reverendo in Christo Patri suo et domino H., sanctæ Mindensis Ecclesiæ venerabili episcopo, WIBALDUS, Dei gratia Corbeiensis Ecclesiæ abbas, exiguas orationes et devotum servitium.

Litteras vestras, quas scripsistis ad nos pro causa magistri Godeboldi et presbyteri Everardi de Heme-
 ringe, xvii Kalendas Octobris in prædio quodam Stabulensis Ecclesiæ recepimus; sed, quia tunc longe a partibus vestris abfuimus, et dein procedente tempore plures causæ nobis inciderint, tam de publicis regni negotiis, quam de privatis occupationibus, prænominatum presbyterum Everardum secundum petitionem vestram convenire non potuimus. Ubi vero ad has partes regressi sumus, venientem eum ad nos interpellavimus, et, ut petitioni vestræ acquiesceret, et quæ offerrentur ei a vestra mansuetudine pro bono pacis et concordie gratanter reciperet, ipsi persuadere tentavimus. Ipse autem conqueritur, quod ab eisdem hominibus, qui ante
 ei injurias irrogaverant, et substantiam suam abstulerant, novas iterum rapinas pertulerit, et quod ex eo tempore quo ad nos mandatum domini papæ detulit, de porcis suis, quod valet, xv sol., ei abstulerint, et insuper omnem fructum, quem de glandatico suo præsentis anni habere debuerat, quem in summam magnam computavit, sibi usurpaverint. Cum ergo ei plurima hinc inde proponeremus, et ad terminandam tam longi temporis discordiam recipere, quæ oblata sunt, eum cohortaremur; tandem interveniente potioris consilii ratione, cessit nostræ commonitioni, et tria talenta, quæ pro quiete et amore Godeboldi offertis ei, se accepturum promisit, ita si de aliis personis, a quibus sua bona con-

queritur distracta, quemadmodum promisistis, ecclesiasticam ei justitiam faciatis. Sive igitur in hoc verbo sive alio quolibet modo controversia, quæ est inter eum et magistrum Godeboldum terminetur, et ut ei de ablatis bonis suis justitia fiat, et hæc omnia infra spatium quindecim dierum consummentur, discretionem vestram attente monendo rogamus, quia sententiam domini papæ, quam annuntiandam injunxit nobis, diutius, si hoc perfectum non fuerit, sub silentio tenere non præsumimus. Conqueritur præterea idem Everardus presbyter, quod clericus de Jacheim ubicunque potest, vel per se vel per submissas personas bona sua ei auferat, et eosdem laicos, qui rebus suis eum spoliare non cessant, ad damnum suum familiares habeat, quod
 quam absurdum sit et quam inconveniens ordini suo, discretio vestra perpendat.

EPISTOLA CCLXXXIV.

PRÆPOSITI DECANI ET CANONICORUM MINDENSII, AD WIBALDUM ABBATEM.

Frustra tentatam pacem inter Godeboldum et Everardum ei terminandam committunt.

(Anno 1151.)

Domino suo sanctæ Corbeiensis Ecclesiæ reverendo abbati WIBALDO, W. per misericordiam Dei Mindensis præpositus, R. decanus cum universis fratribus suis, assiduas in Christo orationes et subjectionis fidele obsequium.

Litteras sanctitatis vestræ, quas scripsistis pro causa magistri Godeboldi et fratris Everardi, dominus noster episcopus in quodam castro Ecclesiæ, quod dicitur Wilippa, recepit et audivit, et eas postea nobis transmisit; quas nos cum debita reverentia suscepimus, et fratri Everardo, ut omnem querimoniam et laborem deponeret, et in futurum vir bonus esset, et virum innocentem et optimum magistrum Godeboldum, quem multis injuriis molestavit, per subjectionis obsequium et pacis ingressum placare studeret, persuadere multis modis tentavimus, sed idem frater nostris consiliis se intractabilem exhibuit, et ideo cum eo compositionis introitum invenire non potuimus. Nos itaque per fideles fratres nostros sanctitati vestræ valde devotos omnem tractatum et consilium hujus negotii vestra discretionem et ordinationem cum fratribus nostris terminandum, ad aures pietatis vestræ transmittimus, tum propterea ut fratris nostri innocentiam vobis ostendant, tum etiam propter hoc, ut super his, quæ coram vobis fuerint stabilita et firmata, vos in testimonium habeamus, et, si prædictus frater Everardus nostram quietem turbare et pacis compositionem violare præsumperit, vos nobis in adiutorium sitis, quia veritatis filius et multorum præsidium ab hujusmodi impugnatione liberabit.

EPISTOLA CCLXXXV.

WIBALDI ABBATIS AD GODEBOLDUM.

Significat ei articulos pacis initæ cum Everardo presbytero.

(Anno 1151.)

FRATER WIBALDUS, Dei gratia id quod est in Eccle-

sia catholica, dilecto fratri et amico suo Godeboldo A nobis imperatum fuerat. Sed vestra sublimitas benedictionem et vitam usque in sæculum.

Meminit dilectio tua, quod scripta domini papæ ad nos accepimus, ut te studiose commoneremus, quatenus Eyerardo presbytero ecclesiam de Hemeringe et omnia ei ablata per te et alios in integrum infra viginti dies, postquam a nobis commonitus esses, omnino restitueres, et de cætero cum pacifice possidere permetteres. Fecimus itaque quod nobis imperatum fuerat, et tam jussionem domini papæ quam nostram admonitionem in tantum valuisse gaudemus, ut ex consilio religiosorum et sapientium virorum cum prædicto Everardo in concordiam redieris. Modus autem concordiae et reconciliationis in futurum valituræ hic est. Dedimus eidem Everardo a parte tua tria talenta denariorum, ea conditione, ut te ab omni querimonia sua tam de injuriis quam de damnis sibi ante illatis liberum et absolutum dimitteret, et ipse de cætero prædictam Ecclesiam suam in pace obtineret. Deposuit itaque in manu nostra sub idoneo monachorum, clericorum et laicorum testimonio omnem querelam, quam adversum te usque in præsentem diem habuerat, tecumque in gratiam et veram pacem rediit, nosque ab executione mandati domini papæ liberos sponte dimisit, et domino papæ pro adeptâ justitia gratias egit, nobisque pro studio sollicitudinis devote benedixit. Tuæ itaque fraternitati tam præsentibus litteris quam aliis, quibus opportunum fuerit modis testimonium perhibemus, quod mandatis domini papæ et nostræ admonitioni devote obtemperans fueris, et sententiam, quæ in vindictam inobedientiae intentata tibi fuerat religiose et prudenter devitaveris. De his vero, qui prædicto Everardo sua diripuerunt, justitiam a domino episcopo reposcet, juxta quod eidem domino nostro episcopo a domino papa injunctum est, et ipse nobis per litteras suas se fideliter facturum repromisit. Tu autem adversus eundem Everardum de cætero nullius offensæ memoreris, sed cum eo veram pacem et concordiam de omni anteacta controversia in bona fide habebis.

EPISTOLA CCLXXXVI.

WIBALDI ABBATIS AD HENRICUM MINDENSEM EPISCOPUM.

Facta inter Godebaldum et Everardum pace, mandat ut eidem Everardo de ablatis ab aliis justitiam faciat.

(Anno 1151.)

Reverendo Patri suo et domino H. sanctæ Mindensis Ecclesiæ venerabili episcopo, frater WIBALDUS Dei gratia Corbeiensis Ecclesiæ servus, exiguas orationes et devotum servitium.

Meminit paternitas vestra, quod litteras domini papæ ad nos accepimus, ut canonicum vestrum magistrum Godebaldum studiose commouefaceremus, quatenus Ever. presbytero ecclesiam de Hemeringe et omnia ei ablata per se et per alios in integrum infra viginti dies post acceptam admonitionem nostram omnino restitueret, et de cætero cum pacifice possidere permetteret. Fecimus itaque quod

A nobis imperatum fuerat. Sed vestra sublimitas nostræ parvitati sollicite injungere dignata fuit, ut reconciliationis et concordiae mediatores esse satageremus, hac videlicet ratione, ut idem Ever. tria talenta nummorum acciperet, et de aliis personis, a quibus sua bona conqueritur distracta, ecclesiasticam ei justitiam vos faceretis. Ad quam conditionem recipendam licet idem Ever. satis cunctaretur, nostro tamen studio pro pace Mindensis Ecclesiæ devotius adnitente, sicut vobis placuerat, perfectum est. Nam, acceptis de manu nostra tribus talentis nummorum, omnem querelam et actionem, quam adversus magistrum Godebaldum hactenus habuerat, sponte deposuit, et cum eo in veram pacem et gratiam absque simulatione et dolo rediit. Rogamus itaque celsitudinem vestram, quam verâ in Domino charitate plurimum diligimus, ut prædicto Everardo presbytero, qui jamdiu apostolicæ mansuetudinis aures crebris clamoribus fatigavit, canonicam justitiam de his qui bona sua violenter invaserunt, sine prolixioris moræ obstaculo, faciatis, tum pro domini papæ, qui hoc vestræ discretioni et viva voce et litteris injunxit, reverentia, tum pro nostræ petitionis interventu, qui vobis hoc vera et humili fide consulimus, et ex promisso vestro per litteras tanquam debitum reposcimus.

EPISTOLA CCLXXXVII.

WIBALDI ABBATIS AD H. MOGUNTINUM ARCHIEPISCOPUM.

De solvendo matrimonio Folcuini de Sualemberg, ob uxoris dissimulatam infirmitatem.

(Anno 1151.)

Reverendo Patri suo et domino H. sanctæ Moguntinæ Ecclesiæ venerabili archiepiscopo, WIBALDUS Dei gratia Corbeiensis Ecclesiæ servus, exiguas orationes et devotum servitium.

Referente domino Folcuino de Sualemberg didicimus, quod juxta sacerdotalis officii dignitatem erga ipsum et uxorem ejus districte justitiam custodiatis, et relicta carnis et sanguinis charitate, spiritum, qui libertatis est auctor et propagator, sequamini. Unde et nos gloriæ vestræ plurimum in Domino congaudemus, quippe qui in hac causa nihil aliud quam veritatem diligimus, etsi quos offendimus, propter veritatem offendimus. Testatur siquidem prædictus Folcuinus, quod antequam eandem uxorem suam desponsaverit, a quibusdam pro certo compertum habuerit, quod merbo caduco laboraret, et multorum ac religiosorum virorum testimonio se probare posse asserit, quod sibi eam copulare nollet, si veraciter tali infirmitate detineretur, et hoc parentibus puellæ palam indicaverit. Novit autem eruditio vestra, quod cum in omni contractu fraus et dolus abesse debeat, præcipue in contrahendo, ubi fides et sacramentum spectatur, nullius doli debet esse supposita commistio. Quod si ita est, nulla regula constringi potest ad sequendum id, quod nec intendit, cum faceret, nec voluit, cum sentiret. Scienti legem loquimur, et non ignorantem, sub quo lapsus

periculo et laicus et juvenis jam longo tempore ver- A
setur. Quod si ad partes nostras accesseritis, venire
ad vestram celsitudinem pro eadem causa parati su-
mus.

EPISTOLA CCLXXXVIII.

WIBALDI ABBATIS AD HENRICUM MINDENSEM EPISCOPUM.

*Scribit in gratiam Regenberni canonici, quem B. Ma-
riæ in Monte abbatissa vexabat.*

(Anno 1151.)

Reverendo in Christo Patri et domino H. sanctæ
Mindensis Ecclesiæ venerabili episcopo et dilectis
fratribus et dominis suis ejusdem Ecclesiæ canoni-
cis, frater WIBALDUS, Dei gratia Corbeiensis Ecclesiæ
servus, exiguas orationes et devotum servitium.

Veniens ad nos frater Regenbernus canonicus ec- B
clesiæ beatæ Mariæ in Monte, retulit nobis ex ordi-
ne, qualiter occasione cujusdam verbi præfate ec-
clesiæ abbatissa eum inordinate, quemadmodum
nobis videtur, gravaverit, et præbendam suam ei
interdixerit. Quia igitur in Ecclesia vestra cœpimus
esse pacis amatores et concordie cooperatores, pa-
ternitatem vestram per fraternam charitatem, de
qua plurimum apud vos confidimus, intime roga-
mus, et quantum licet, in Domino cohortamur, ut
nullam dissensionem in Ecclesia vestra nasci et cre-
scere sinatis, quia sæpe fieri solet ut de minimis
scintillis maxima oriantur incendia. Siquidem eru-
ditioni vestræ brevi sermone satis suggestum est,
quod quædam sæcularia jura confundi cum eccle-
siasticis ac permisceri non possunt. Hoc ideo dici-
mus, quod prædictus clericus nec per hominagium
canonicam suam potuit accipere, nec recusato ho-
minagio amittere.

EPISTOLA CCLXXXIX.

WIBALDI ABBATIS AD W. MINDENSIS ECCLESIE PRÆPO-
SITUM MAJOREM.

Scribit in gratiam Regenberni canonici.

(Anno 1151.)

Frater WIBALDUS, Dei gratia id quod est in Eccle-
sia catholica, dilecto fratri et amico suo W. ve-
nerabili sanctæ Mindensis Ecclesiæ majori præpo-
sito, benedictionem et vitam usque in sæcu-
lum.

Dilectionem vestram, de qua plurimum confidi-
mus, intime rogamus, ut sicut proximis litteris nos
admonere et cohortari curastis, quatenus ad pacem
et concordiam Mindensis Ecclesiæ in causa magistri
Godeboldi laboraremus, ita nunc in causa Regen-
berni benigno adniti studio dignemini, ne quid in
eum vel ipsius possessionem præter jus et æquum
admittatur. Siquidem ecclesiasticæ possessiones sæ-
culari jure non sunt omnimodo censendæ, et sicut
canonica clerici jure laico regulariter non accipi-
tur, ita etiam non nisi ordine canonico amittitur. Sa-
pienti sat dictum est, quia de parvis odiorum fo-
mentis maximæ interdum inimicitie et infiniti labo-
res succrescunt.

EPISTOLA CCXC.

H. DUCIS SAXONIE ET BAVARIE AD WIBALDUM
ABBATEM.

*Rogat ut in curia Ratisbonensi adsit sibi coram
rege.*

(Anno 1151.)

Domino WIBALDO venerabili Corbeiensis Ecclesiæ
abbati, H. Dei gratia dux Bavarie et Saxonie as-
cendere in montem Domini et stare in loco sancto
ejus.

Quoniam virtutis vestræ multa experimenta cogno-
vimus, multum in benevolentia vestra confidimus.
Hac itaque magna præcedente confidentia, quia Do-
minus et vera loquendi audaciam, eademque di-
serete proferendi vobis præ multis aliis contulit
scientiam, vestram adimus obnixè deprecantes be-
nevolentiam, quatenus in curia, quam rex secundo
Idus Junii Ratisbonæ celebrandam indixit, nobis as-
sistatis, et quam, in nos det sententiam, audiatis.
Pollicitus est enim, quod secundum justitiam vel
principum consilia, qui ad curiam confluent, se no-
bis responsurum. Valete, et de integerrimæ dilectio-
nis affectu ex nostri parte sitis indubii. Dominum
Theodericum de Rikelingen, filiosque ejus dilectioni
vestræ commendamus, et ut eis benignus existatis,
intime rogamus.

EPISTOLA CCXCI.

WIBALDI ABBATIS AD EUGENIUM PAPAM III.

Scribit in gratiam Regenberni canonici

(Anno 1151.)

C Reverendissimo Patri et domino EUGENIO, sanctæ
catholicæ Ecclesiæ uni et universali papæ, frater
WIBALDUS Dei et vestra gratia, id quod est in Ec-
clesia catholica dilectionem filii et obsequium
servi.

Lator præsentium in Ecclesia quadam Mindensis
episcopatus canonica sua per violentiam, ut ipse
conqueritur, spoliatus est; cui ante appellationem
suffragium reconciliationis conferre conati sumus,
in quo cum nequaquam proficeret, tandem vestræ
celsitudinis præsentiam appellavit, et suos adversa-
rios determinata die ibidem auctoritate vestra in-
vitavit. Unde sublimitatis vestræ pedibus devote
animo advoluti, clementiam vestram, quantum no-
stræ parvitati conceditur, humiliter imploramus, ut
causam ipsius pie audire dignemini, et ad sublevan-
das ipsius oppressiones, manum benignissimæ de-
fensionis extendere. Paternitatem vestram diu custo-
diat omnipotens Deus.

EPISTOLA CCXCII.

WIBALDI ABBATIS AD A. COLONIENSEM PRÆPOSITUM, ETC.

Gratias agit pro collatis beneficiis.

(Anno 1151.)

Charissimo domino et amico suo A. venerabili
sanctæ Coloniensis Ecclesiæ majori præposito, regiæ
curiæ cancellario, frater WIBALDUS, Dei gratia id
quod est in Ecclesia catholica, salutem et benedi-
ctionem.

Mittetis nobis per præsentem puerum nostrum

eindalia candida, ut mittere disposuistis : quæ, cum rogarem, non dedistis ; cum non peteremus, obtulistis. Liberalitatem vestram et studium sensit status Stabulensis Ecclesiæ, sensit penu nostrum, sensit mensa nostra, sensit marsupium nostrum, sensit stabulum nostrum, sed, ut capella nostra pauper et modica sentiret largitatem, munificentiam et liberalitatem vestram, neque Gallia, neque Germania, neque tota Græcia, neque Oriens adjuvare potuerunt. Nos tamen grati et memores sumus, et ab omni ingratitude rebus et animo alieni, plurima nos accepisse, et aut nulla vel pauca retribuuisse cognoscimus. Si aliqua innovata sunt in consilio domini nostri post recessum nostrum, nobis significare non gravemini.

EPISTOLA CCXCIII.

WIBALDI ABBATIS AD SUOS STABULENSES.

Anceps an duas adeo ab sese dissitas abbatias regere debeat, consilium ab eis petit quid in tanto sibi periculo sit agendum.

(Anno 1151.)

Frater WIBALDUS Dei gratia id quod est in Ecclesia catholica, Roberto decano et cæteris Stabulensis Ecclesiæ fratribus, spiritu consilii et fortitudinis abundare.

Deliberare cogimur de verbo et ad effectum perducere, quod sæpe in conventu vestro tractasse nos vestra recolit fraternitas, videlicet, quod duobus monasteriis tam longe distantibus, tam amplæ possessionis et familiæ præesse nequaquam sufficimus, licet a magistris Ecclesiarum et a domino nostro rege serenissimo clementer permittamur. Quanta enim malitia temporibus istis increverit, quando nec per ecclesiasticam nec per sæcularem justitiam adjuvamus, miserabilis vexatio, quæ quotidianis rapinis et incursionibus monasterium vestrum dissipat et affligit, experientiam vestram crudelibus documentis intelligere fecerunt. Sed, sicut ad regimen Corbeiensis monasterii præcipiti ambitione non declinavimus, sed post divinam per electionis canonicæ titulum vocationem, vestra in omnibus auctoritate, consilio et ordinatione usi fuimus ; ita nunc rerum difficultates et pericula sollicite pensantes, et tanto ponderi penitus succumbentes, ad consuetum vestri consilii oraculum refugimus, nullo modo dubitantes, quin hoc, quod in re tam ancipiti et a nostræ optionis capacitate tam remota nobis a vestræ fraternitatis unanimitate fuerit injunctum, a divina sit misericordia et dispensatione procuratum. Absit autem a pietate cordium vestrorum ut credatis nos in has cogitationes, aut ira impellente vel motu cogente, aut alicujus laboris suffugio suadente, repente incidisse, cum divina judicia in his multa mentis contritione formidemus, et hominum sententias et clamores nonnihil metuamus ; et si nos duplicatæ dignitatis gradus delectatio titillaret, palam tamen sit omnibus recte considerantibus, quod et morum et possessionum irreparabilia detrimenta in procuratione tam remotarum et tam grandium re-

rum quotidie suscipiamus. Exitus autem noster a vobis, qui visus est quibusdam perturbatus et repentinus, longe ante fuerat prævisus, et propter quasdam vociferationes, quæ a Corbeiensi monasterio nos molestabant, necessarius, cum anima nostra turbata esset valde in rebus vestris, non propter verbi alicujus commotionem, sed propter totius terræ per cædes, per incendia, per rapinas, assiduam vastationem, et tacitam esse oportuit nostram egressionem propter afflictæ populi reclamaciones et retentiones importunas, et propter magnorum et multorum latronum omnia fere itineræ obsidentium insidias. Valet, et in hac matris vestræ causâ sancti Spiritus adsit vobis gratia.

EPISTOLA CCXCIV.

WIBALDI ABBATIS AD H. STABULENSEM MONACHUM.
Declarat rationes quæ ipsum a retinenda abbatiâ Stabulensi deterrebant.

(Anno 1151.)

Frater WIBALDUS dictus abbas, dilecto filio suo H. benedictionem

De statu imo de nutatione animi nostri certius ex litteris communibus valebis addiscere. Quæ autem nos a regimine Stabulensis monasterii deterreant, licet ignorare non possis, breviter tamen tuæ vigilantia adnotabimus. In primis magna est ruina ordinis nostri, quam in tam multiplici rerum necessariarum defectu nos sublevare posse non confidimus. Porro, tanta est apud vos rerum tenuitas, et præbendæ quotidianæ defectus, ut etiamsi totum regnum firmissima pace fructur, vix tamen valeret se Stabulensis Ecclesia sustentare. Advocati vestri peccatis facientibus non sunt pauperum defensores, sed crudelissimi vastatores, et libertatis vestræ inimicissimi insidiatores. Ministeriales vestri, qui maxime deberent Ecclesiam sustentare, conversi sunt in arcum pravum, et neque mandatis obtemperant, neque agriculturam, ubi ipsi villici sunt, exercere adjuvant, sed, quod deterius est, impediunt et vastant. A quibus detrimentis nulla fere Ecclesiæ vestræ possessio aliena est, et maximæ illæ curtes vacuæ et neglectæ sunt, de quibus præcipua et præbendæ supplementa capi solebant. Inter hæc autem diurna flagella nullum nobis auxilium vel ab ecclesiastica vel a sæculari potestate. Non est itaque, si hæc omnia diligenter considerata tabescere faciunt sicut araneam animam nostram, et de salute et nobis commissorum sollicitius cogitare. Qualiter vero nostra ordinatio in Corbeiensi ecclesia sit a domino papa Eugenio in civitate Meldensi confirmata, tu melius nosti, qui præsens eras, et nos absentes fuimus.

EPISTOLA CCXCV.

STABULENSIUM MONACHORUM AD WIBALDUM ABBATEM.
Dehortantur eum a dimittenda abbatiâ Stabulensi.

(Anno 1151.)

Domino et Patri suo venerabili Stabulensi abbati WIBALDO frater R. cum omnibus Stabulensibus viriliter agere et confortari in Domino.

Acceptis, amantissime Pater, sinceritatis vestræ litteris, quæ animi non commoti, sed futura præcaventis, non fluctuantis, sed tempora, mores et pondera rerum considerantis, intentionem aperiebant, ac per hoc deliberationis vestræ vias demonstrabant, appositus est nobis dolor super dolorem. Nam, cum simus in hoc constituti, ut cum non transierit apud nos unum vae, aliud et aliud superveniat; cum unus nuntiorum Job loquatur, et alius sine dilatione veniat: cum Deus noster opposuerit nubem sibi, ne oratio transeat, tum maxime viscerabiliter doluimus, cum nos, qui in oppressionibus nostris frequenter vestris consolationibus sublevari consuevimus, nunc demum in necessitate positos a vestræ paternitatis dulcedine pro quavis causâ destitui debere intelleximus. Sed nunquam Liæ vel Rachel datus est libellus repudii, nunquam bonus pastor viso lupo officium pastoris deseruit, sed et de manu speculatoris-negligentis sanguis pereuntis requiritur: non debet pietas patris suos filios abdicare. Cæterum, si de retentione Corbeiensis abbatiæ agitur, prima vocatio, prima sponsa respicienda potius est et tenenda. Nam et recolat prudentia vestra, quod quando tam litteris et petitione domini regis et principum, quam Corbeiensis Ecclesiæ ad regimen ejusdem Ecclesiæ vocabamini, præstitus estis potius a nobis quam datus ut emancipationem vel abrenuntiationem Stabulensis Ecclesiæ nemo intelligeret. Quod, quia viva voce et scriptis tunc sufficienter quibuscunque significavimus, vos conventus et capituli nostri super hoc recognita sinceritate et veritate rei juste librata, nunquam ab animo Stabulensem Ecclesiam matrem vestram, educatricem vestram, sponsam vestram avellatis; nunquam fratrum vestrorum, filiorum vestrorum, non tam adoptionis quam uteri curam deseratis. Nec enim bonum est, ut qui divitiis Ecclesiæ Corbeiensis secundum promissum adjuvari expectabamus, ejus nunc occasione a vestræ paternitatis sollicitudine destitui debeamus. Spreta ergo omni tribulatione cordis, ad diligentes vos quantocius redite, et in necessitate multa constitutis cum Dei adjutorio expectantibus vos consilii vestri manu præsentialiter subvenite.

EPISTOLA CCXCVI.

HENRICI MONACHI STABULENSIS AD WIBALDUM
ABBATEM.*Ejusdem argumenti.*

(Anno 1151.)

Reverendissimo in Christo Patri suo et domino WIBALDO, Stabulensis Ecclesiæ venerabili abbati, HENRICUS, quidquid Patri charissimo devotus filius.

Dignationis vestræ litteris diligenter perlectis, nihil, Pater charissime, in eis invenire ingenioli mei potuit tarditas, quod vel benignitatis vestræ prudentiam a nobis deterrere, vel mentis vestræ statum a Stabulensis Ecclesiæ regimine digne perturbare valeat. Nam et ordinis incrementum et præbendæ

A restorationem, quodocunque ad hæc apponere animum vestra curabit diligentia, ea vobis administrabit charitas, quæ in ruinis Ecclesiæ nostræ resarciendis absque graviori discrimine omnem benevolentiam vestræ semper administravit copiam. Ministerialium vero nostrorum negligentiam et advocatorum insolentiam, quam satis aluit vestra interdum a nobis absentatio, non parum reprimet, et quotidianus noster clamor et præsentiam vestræ diuturnior assiduitas: nam gutta cavat lapidem, non vi, sed sæpe cadendo. Quid autem Meldis de ordinatione Corbeiensis Ecclesiæ me præsentem actum sit nescio: nam, si sapiō, id, quod scio, nescio. Levius autem sopiri solent illa, quæ sub specie pietatis ad paupertatem redeunt, quam ea quæ sub nomine felicitatis tenuitatem summis divitiis commutare intendunt. Cæterum, Pater amantissime, ut ad ea quæ fratribus in commune scripsistis, breviter respondeam, nullo modo paternitatis vestræ gubernatione, nulla ratione moderationis vestræ regimine carere volumus aut possumus, cum in hoc convenerimus, et fixum teneamus quod potius eo ipso modico thesauro, quod apud nos est, carere velimus, quam sub titulo alterius Ecclesiæ personæ vestræ regimen amittere. Quare, Pater, ea speciali confidentia, qua me semper filium vocare consuevistis, benignitatem vestram attente obsecro, ne nos super hoc verbo ultra perturbare intendatis, ne ruinam et desolationem loci, quem ædificastis, quod absit! oculis corporalibus in brevi videatis.

EPISTOLA CCXCVII.

WIBALDI ABBATIS AD SUOS STABULENSES.

Scribit eos in dando consilio nimis properasse, consulendos etiam fuisse Malmundarienses et alios vicinos, precesque ad Deum ante omnia adhiberi debuisse.

(Anno 1151.)

Reverendis in Christo fratribus et dominis Roberto venerabili decano et cæteris Stabulensis Ecclesiæ filiis, frater WIBALDUS, Dei gratia id quod est in Ecclesia catholica, magni consilii angelum.

Recognovimus in litteris, quas proxime ad nos vestra unanimitas direxit, vestrum illum circa nos incorruptum et inexpugnabilem affectum, quo nos a principio amplecti et confovere perseverastis, ut vere vos amicos dixerimus, qui permansistis mecum in tentationibus. Verum, fratres charissimi, dolemus vos nimium properasse in re tam difficili, tam ardua, tam necessaria, super qua universitatis vestræ consilium tanquam divinum responsum quæsimus, ubi nec orationes præmissæ, nec fratres Malmundarienses vocati, nec laici fideles et filii Ecclesiæ sunt invitati, veremurque, ut pace omnium dictum sit, ne de cordibus vestris prophetetis, et nobis, quibus res est pro anima, parum provide consulatis. In retransitu enim nostro ad vos, ut de domino nostro rege taceamus, plurimum domini papæ offensam metuimus: quibus neglectis et adversum nos commotis, parum vobis vel alicui pro-

desse possemus. Fundendæ sunt igitur ad Deum A preces cum omni humilitate et devotione, quaerendum est non solum universæ Ecclesiæ vestræ, sed etiam vicinarum consilium et suffragium, ut divina pietas talem vobis præstare dignetur pastorem, qui ex ejus dono possit sanare contritos corde, et alligare contritiones vestras. In eo autem quod scripsistis, quia nunquam bonus pastor, viso lupo, officium pastoris deseruit, recolere debet vestra prudentia quam multos, quam magnos, quam atroces lupos in regimine Stabulensis Ecclesiæ his viginti annis, quibus ei servivimus, non absque periculo mortis et gravibus scandalis et opprobriis sustinuerimus, nec adhuc ferre detrectaremus, si eidem soli Ecclesiæ ascripti essemus. Sed, cum in Corbeiensi Ecclesia lupi non desint, et pastoris sit B necessaria tam prudentiæ quam vigilantia, elegimus uni, vel, si sic expedit, neutri servire quam utrique incubando, neutri prodesse. Et, ut ad verba veteris historiæ respondeamus, nullo modo credatis, quod amorem posterioris primæ præposuerimus, quæ nec pro mandragoris Ruben nos ad priorem ingredi ad propagandam sobolem æquo animo patitur, sed in omnibus divinæ bonitatis propositum per orationis et consilii vestri suffragium inquirimus. Spiritus sancti gratia dignetur illuminare corda vestra. Amen. Quanto majores pressuras Ecclesia vestra patitur, tanto magis indiget communi consilio, quia nihil temere aut præcipitanter hoc in negotio agere volumus, sed cum tanta maturitate C consilii, ut et factum nostrum Creatori nostro placeat, et hominum recta judicia non offendat.

EPISTOLA CCXCVIII.

WIBALDI ABBATIS AD HENRICUM MONACHUM STABULENSEM.

Perseverat in voluntate abdicandæ dignitatis abbatialis Stabulensis, optatque hac de re Dei beneplacitum agnoscere.

(Anno 1151.)

Frater WIBALDUS dictus abbas, dilecto filio, HENRICO salutem et benedictionem.

Dolor capitis et invalidudo oculorum suadent nos eruditioni tuæ brevius scribere quam vel tempus vel materia postulat, præcipue cum hæc, quæ scribimus, tam secreta sint, ut alienæ manus uti non præsumamus adminiculo. Tacebimus nunc de bona D spe, qua nos ad res difficiles, imo fere impossibiles ferendas et corrigendas benigna charitate cohortaris, et nos promovere tentas pietatis studio, ne illa etiam corporalibus oculis prolabi videamus, quæ ad cultum divinæ religionis in Stabulensi monasterio labore multo et sumptu ædificavimus, quæ satius fuerat in animarum cultibus, quam in parietum nitore expensa fuisse. Ad illud respondebimus, quod scripsisti te nescire quid apud Meldas de ordinatione nostra in Corbeiensi Ecclesia sit actum. Ais enim, si sapio, id quod scio, nescio. Et subjungis, quid tibi levius et plausibilis videatur, non quid ordo postulet, quid regula doceat, quid obedientia poscat. Et illud quidem pro-

verbium non est sumptum de lege, de Evangelio, de Apostolo, de doctrina ecclesiastica, gentile est, sæculare est, comicum est, personæ est levis, et aut verbera vel aliquam incommoditatem fugere suadentis; non est de salute animarum, non est de dilectione Dei et proximi, non est de metu gehennæ, non est de desiderio cœlestis patriæ. Nos juvenes ista tædocuimus puerum, quando in his studiis ludentes tuam capacitatem instruebamus, ut Latina plane intelligeres et recte proferres, non ut falsa loquereris, aut vera contra Deum taceres. Nunc nostra schola hoc profitetur, hoc docet: Si sapis, id quod scis, scis; et id quod nescis, inquiris et discis in his duntaxat, quæ ad religionem et cultum Dei et ad animarum salutem pertinent. Et ideo, fili charissime, sicut nobis, ita et tibi fugienda est inobedientia, ne in regimine alterius Ecclesiæ vel nos simus admissi non per ostium, aut grex audiat vocem alieni, et pastor sit fur et invasor, grex autem seductus et prævaricator. Nos in quantum sapimus, id, quod scimus, scimus, videlicet quod dominus papa tam viva voce quam litteris de eodem verbo nobiscum egerit, et discere desideramus, quid in tam arduo negotio Deo nostro sit beneplacitum et salutem nostræ conveniens, et utrisque Ecclesiis, quibus jam non sufficimus deservire, proficuum, nec ab hominum veris judiciis abhorrens. Sed videmur tibi concupiscere divitias et paupertatem abhorrere. Mili crede, in Domino fili, non est verum, sed Deum per viam obedientiæ invenire satagimus, et ita relinquere alteram, ut alteri prodesse valeamus. Quod si non procedit, melius est utramque relinquere, quam in neutra proficere; magna res est, et a Deo petenda.

EPISTOLA CCXCIX.

STABULENSIUM MONACHORUM AD WIBALDUM ABBATEM.

Malmundariensium vota suis concordare eo in retinendo.

(Anno 1151.)

Domino et Patri suo venerabili Stabulensi abbati WIBALDO, frater ROBERTUS et tota Stabulensis Ecclesiæ congregatio, debitam subjectionem.

Sollicitudinis vestræ verbo accepto, fratres nostri Malmundarienses in nullo a nobis discrepant: nam idem sapimus omnes, et non sunt in nobis schismata, quod sinceritate paternitatis vestræ co-significamus attentius, quod nunquam a paternitate vestra divelli, quod a regiminis vestri moderatione nunquam recedere volumus. Quod autem laicis negotium hoc per nos non innotuit, ratio temporis poposcit, ne temerarie solito confidentius in nostra manus injicerent, ne fidei et constantiæ nostræ in aliquo detrahere possent, ne itum vel reditum vestrum in se consistere jactarent. Orationes autem ad Deum pro magnis et continuis pressuris nostris, et ut nobis pacem mentis et corporis cum spiritu consilii et fortitudinis tribuat, incessanter fundimus, in pace enim vestra nostra consistit. Unde

iterum iterumque universitatis nostræ petit facies, A ut fratrum, filiorum et amicorum vestrorum memores, Ecclesiæ Stabulensi jam labenti, et pauperum vobis commissorum multimodis tribulationibus subveniatis, et in ultimo necessitatis articulo jam pene constitutis, consilii et auxilii manum non subtrahatis.

EPISTOLA CCC.

HENRICI MONACHI STABULENSIS AD WIBALDUM ABBATEM.

Ne obedientes filios pater optimus deserat.

(Anno 1151.)

Reverendissimo in Christo Patri suo et domino WIBALDO venerabili Stabulensi abbati, HENRICUS B quidquid Patri filius.

Licet, Pater amantissime, multiplices querelæ et quotidianæ vexationes pauperum nostrorum ita cor et animam meam amaritudinibus repleverint, ut vix alia verba, quam væ et væ in mente habeam, tamen pietatis vestræ sinceritati pauca scribere curavi, non quod eruditionem vestram, aut animum semper providum, semper alta sapientem instruere intendam, sed ut solita simplicitate filialem devotionem charissimo Patri semper exhibeam. Prætermittens itaque omnium quæstionum propositiones et argumentorum conclusiones, quæ de scio et nescio contactæ sunt, quantum capacitatis meæ intelligere potest tarditas, non ordo poscit, non regula docet, non obedientia præcipit, non jus aut lex demonstrat, ut pater filios obedientēs abdicet, ut mater filiis tempore necessitatis ubera subtrahat, ut bonus pastor oves congregatas alienis male dissipandas relinquat. Neque enim est contra salutem animarum sive contra dilectionem Dei et proximi, seu alienum a desiderio coelestis patriæ præesse et providere filiis, diligere et regere Ecclesiam, quam vobis commissam esse scitis, quæ, etsi modo peccatis exigentibus flagellatur, potens est liberare eam Deus, qui locum, in quo sita est, ad serviendum sibi elegit ante sæcula. Quare, Pater charissime, paupertate Ecclesiæ nostræ, quæ vos a prima fere ætate nutrit, aluit et promovit, contentus, eam nequaquam deseratis, quia hoc secundum hominum justam æstimationem et vera judicia longe esset a paterna charitate, et secundum Deum, secundum Apostolum, secundum Christianam doctrinam alienum esset ab omni religionis pietate. Cæterum, quare ad consilium fratrum laici non sint admissi ex litteris conventus plenius intelligetis. Nequaquam arcanæ consilii nostri cum his participare volumus, qui semper contra nos sunt, qui semper nostra et vestra violenter diripiunt. Quod ergo ab Ecclesia vestra ex consilio actum est, sincere factum esse paternitatis vestræ intelligat prudentia.

EPISTOLA CCCI.

HENRICI MONACHI STABULENSIS AD WIBALDUM ABBATEM.
Iterum deprecatur ne dignitatem abbatialem Stabulensis monasterii abjiciat.

(Anno 1151.)

Charissimo domino suo WIBALDO venerabili Stabulensi abbati, humilis HENRICUS obedientiam, subjectionem ac devotionem.

Decreveram, Pater charissime, digitum ponere ori meo, ut qui nescio loqui, saltem ut tacere noverim, incipiam discere. Sed præ oculis habeo, quanta in auro, argento, et gemmis variisque ornatibus ecclesiæ nostræ contulistis, quam honestis et utilibus ædificiis eam promovistis, quamque integras possessiones ejus et fundos non solum custodistis, verum etiam ab antecessoribus vestris male distractas recollegistis et auxistis, dum etiam reminiscor, quantum honestatis, disciplinæ ac sollicitudinis, imitabilisque exempli circa vos perspexerim; ad ultimum vero, quod maxime cor meum tangit, quam pie ab infantia me collegistis, quam misericorditer habuistis, quam clementer educastis, assumo, cogente pietate, imò multa impellente necessitate, fiduciam, non erubesco jam humilis et indoctus excelsum (157) principem et disertissimum convenire oratorem. Quare nos, clementissime, vestra deserit mansuetudo? quare gregem multis ecce lupis expositum vestrâ solers derelinquit pastoralitas? quid in nobis paternitati vestræ displicuit, quia primo quidem per me nudis verbis, modo autem semel et iterum litteris et efficacibus nuntiis Ecclesiam vestram sollicitastis, imò turbastis, consilium de demissione alterius abbatia postulantem, et emissionem a nostra, quasi altera plus religionis et ordinis habeat, violenter, ut intelligimus exigentes? An ignorat vestra prudentia, quia de nobis a nobis electus, apud nos investitus, apud nos consecratus, inter nos et super nos sine perpetuo fructu sexdecim annis conversatus, quasi nuper vocationi Corbeciensium, petitioni regis et principum abbas noster et pastor præstitus estis potius quam datus? Quare de tam atroci negotio nostro non alterius ab alienis et extraneis nos querere consilium decernitis, cum penes nos firmum non dimittendi vos consilium habeamus? Quis hoc magnanimitati vestræ imposuit, ut Ecclesiam, quæ vos ab adolescentia educavit, assumpsit et dilatavit, deserere cupientes, ei Ecclesiæ, cui præstitus estis, benedictionem nostram non sine supplantatione infundatis? Cesset, quæso, domine, cesset hujus vestræ sollicitudinis intentio; cesset pietas vestra suos filios tam crudeliter velle abjicere, qui, ut breviter dictum sit, vagi et exsules decreverunt mori potius, quam vos, dum vixeritis, Patrem et dominum non habere. Hæc me, pater, scripsisse fides coegit, charitas persuasit, sed, sicut forte modum excessi, verba ad tantum

(157) Ergo jam ævo Wibaldi abbates Stabulenses sacri Romani imperii principes erant

principem impudenter et inculte proferendo, vestra A mihi eruditio ignoscat, et ut in veritate dicta sunt, simpliciter ac fideliter accipiat. De cætero Deus omnipotens vos custodiat, consiliumque vestræ ad nos celeris reversionis vobis dirigat .

EPISTOLA CCCII.

CORBEIENSIVM MONACHORVM AD WIBALDVM ABBATEM.

Ne ad præsens abbatiam Stabulensium abdicet.

(Anno 1151.)

Charissimo domino suo et Patri WIBALDO venerabili Corbeiensis Ecclesiæ abbati, conventus ejusdem Ecclesiæ debitam obedientiam.

Transmisimus ad sinceritatem vestram priorem nostrum et camerarium, eisque imposuimus vestræ paternitati suggerenda quædam verba ex communi B deliberatione capituli nostri, quæ vobis quidem adhuc nobiscum posito suggestisse debueramus, sed consueto humanæ naturæ errore neglexeramus. Non dedignetur ergo pietas vestra adhuc clementer ea attendere, et solita benignitate suscipere. Interpellavimus sanctitatem vestram, cum adhuc nobis præsens essetis, de relinquenda Stabulensi abbatia, hoc modis omnibus desiderantes, ut jugiter apud nos essetis, et de aliis occupationibus expeditis nostris necessitatibus quietius et tranquillus providere possentis. Considerata autem iniquitate præsentium temporum, audita etiam tribulatione et incommoditate fratrum nostrorum Stabulensium, liquido animadvertimus quod nostra peti- C tio non esset congrua ad statum præsentis temporis, nec sine maximo detrimento suo illa Ecclesia posset a vobis hoc tempore relinquere. Ea propter nostram petitionem de relinquenda illa Ecclesia in vestro arbitrio ponimus, tempusque relinquendi eam et opportunitatem ad nos transmigrandi in vestra discretione et voluntate dimittimus. Si qua alia capitula vestræ mansuetudini inconvenienter proposuimus, sicut præsentem facere debuimus, pedibus vestris provoluti paternitati vestræ satisfacimus, et ut ea de corde clementer dimittatis, humiliter obsecramus. Proxima transacta Dominica, præpositus in capitulo denunciavit quod ab eadem in quatuor septimanas panem et potum congregationi ministraret, postmodum vero nec haberet nec mi- D nistraret. Quia ergo alium procuratorem, præposito nobis necessaria non dante, præter vos non habemus, omnem curam nostram de hoc verbo in vos projicimus, et ut curam habeatis de nobis tanquam omni solatio destituti paternitatem vestram rogamus.

EPISTOLA CCCIII.

WIBALDI ABBATIS AD H. CORBEIENSEM MONACHVM.

Priorem eum monasterii Corbeiensis instituit.

(Anno 1151.)

Frater WIBALDUS Dei gratia, id quod est in Ecclesia catholica, dilecto filio H. salutem et benedictionem.

Iniquo tempore, frater, te priorem ordinavimus,

et hoc prædecessorem tuum longo tempore amovere distulimus, quoniam in palam erat neminem alium posse ordinari, in quem nostræ charitatis assensus accederet. Remansisti nunc in medio solus, graviorem postmodum sarcinam laturus, cum nos decedere oportuerit. Siquidem aut cedendum erit multitudinis ambitioni cum magno justitiæ et Ecclesiæ detrimento, aut resistendum parvis suffragiis et maximo periculo. Quid de causa nostra in curia sit actum, tam ex litteris domini nostri regis ad conventum missis, quam ex viva legatorum nostrorum voce plenius poteritis addiscere. Dominus rex curiam in Pascha Spiræ celebrabit, et in octava ei occurrere apud Bopardam jussi sumus, descensuri cum eo usque in Ulterius-Trajectum, nec speramus nos ab eo posse recedere ante octavam Pentecostes, etiamsi impetrare poterimus, ne secum usque Ratisbonam transeamus. Nunc igitur diligentia tua nobis celerrime renuntiabit, utrum præpositus administrare fratribus suis intendat, aut officium præposituræ abdicare. Non est enim nostri propositi detrimento sustinere in eo, in quo ipse fructum suscepit, et quando cessabit administrare, cesset et villicare, cum plane videamus publicam substantiam privatis et immoderatis sumptibus extirpari. Verumtamen, utcumque ipse se gerat, si defectum fecerit, tua industria sumptis de thesauro Ecclesiæ pignoribus, necessaria fratribus sollicitè providebit. Rescribe nobis de cunctis sollicitè, et quid comes Hermannus postea de Corbeiensi Ecclesia tractaverit, et quid ad litteras domini regis ad præsens respondeat.

EPISTOLA CCCIV.

H. PRIORIS ET CONVENTUS CORBEIENSIS MONASTERII AD WIBALDVM ABBATEM.

Conqueruntur de præposito monasterii, qui vitæ necessaria ipsis denegabat.

(Anno 1151.)

Reverendo in Christo Patri et domino WIBALDO Corbeiensi abbati, frater H. prior et conventus Corbeiensis Ecclesiæ devotas orationes et debitam obedientiam.

Sicut in litteris vestris universitati nostræ injunxeratis, ut cum præposito nostro conveniremus, ut absque defectu necessaria nobis administraret, facere studuimus; sed nihil promovere potuimus, ipsa defectum suum prætendente, et nobis ut necessaria ministraret insistens. Denique, inter eum et nos usque eo res processit, post multas denuntiationes, quibus defuturum nobis panem et potum denunciaverat, quod tandem in diebus Rogationum et in ipsa sancta die Ascensionis Domini nos absque potu et statim sequenti proximo Sabbato absque pane simul et potu, quod nunquam Corbeie factum credimus, nos dereliquit. Cum ergo ipsa die sedentes ad mensam secundum ordinem et consuetudinem nostram, consuetam alimoniam expectaremus, nec ab eo quidquam acciperemus, impasti surreximus, et Deum secundum ordinem nostrum euntes

ad ecclesiam cum psalmo benediximus. Statim igitur in unum congregati, quid facto opus esset in commune consulimus, et ut vestræ paternitati hanc necessitatem celeriter insinuaremus, inter nos convenimus. Interim autem fratri A. camerario nostro, licet invito et multum renitenti, hanc curam injunximus, ut donec redeat nuntius noster a vobis, panem et potum undecunquē possit, mutuo acceptum nobis provideat, et argentum, quod ad sarcophagum hoc anno deputaveramus, in pignore accepit. Quoniam igitur imminet nobis necessitatem videtis, obsecramus nobis dilectam paternitatem vestram, ut quantocius reditum vestrum ad nos acceleretis, ut de instanti periculo nos et Ecclesiam eripialis, quod sine præsentia vestra evadere non possumus.

EPISTOLA CCCV.

WIBALDI ABBATIS AD SUOS CORBEIENSES.

Laudat eorum in tolerando rerum necessariorum defectu patientiam, excusatque se quod tam cito ad eos redire nequeat.

(Anno 1151.)

Frater WIBALDUS, Dei gratia Corbeiensis abbas, H. priori Corbeiensis Ecclesie fratribus et filiis benedictionem et vitam usque in sæculum.

Quod tanti et tam enormes defectus tempore hoc in Ecclesia Corbeiensi contigerint, præcordialiter, Deo teste, dolemus; sed magno rerum turbine deprehensi, nullum effectum bonæ voluntatis nostræ operibus demonstrare possumus. Sed unum in tantis malis nostræ miserie solatium divina pietas providit, quod vos hæc incommoda, tam inordinata, tam inaudita, quæ nunquam ante hæc Corbeiensi Ecclesie accidisse credimus, patienter et æquo animo supportatis, neque absentiam nostram, quæ vestris utilitatibus officere putatur, acerbo reprehensionis verbo fatigatis. In quo nostram sollicitudinem arcissima vobis charitate obnoxiam ita devinctis, ut nullus de cætero labor sit, nulla injuria, quam pro vestra dilectione et communi justitia subire et ferre pro viribus recusemus. Cæterum, fratres charissimi, reditum nostrum ad vos accelerare prohibet non solum Stabulensis Ecclesie, verum etiam totius Lotharingie concussio et eversio, quæ utique nostra patria est, quæ nos genuit, educavit et provexit, quam prohibente domino nostro rege ac multis principibus regni deserere, et ad vos tam animo quam corpore migrare non est nobis concessum, quamvis extremæ impietatis esset parentem in tantis cruciatibus positam abhorre et fugere, ad cujus pacem reformandam, ultra facultatis nostræ captum sex fere septimanis, quibus cum domino nostro rege fuimus, ardentem institimus; sed peccatis facientibus et cuncta in pravum trahentibus, nihil proficere potuimus. Verumtamen, si in his proximis decem diebus nulla pax definitiva vel per inducias intercesserit, de totius terræ salute desperandum erit. Attamen modis quibuscunquē poterimus, efficere conabimur, ut non longe post

A festum Barnabæ apostoli, aut ipsi ad vos transeamus, aut tales nuntios dirigamus, qui vestris opportunitatibus certo providere possint consilio, cum non ignoret vestra eruditio quam difficile sit hoc tempore et nostræ domui, quæ ultra claustralem modum sumptuosa est, et toti monasterio providere. Interim charitati vestræ injungimus ut studio prioris vestri et fratris A. camerarii vestri sic omnia pro tempore ordinentur, ut et fratribus non desint alimenta, nec divina inter vos cessent obsequia.

EPISTOLA CCCVI.

CONRADI IMPERATORIS AD EUGENIUM PAPAM.

Ut Herimanni Trajectensis episcopi electionem confirmet, et comitem de Ara ab excommunicatione absolvat.

(Anno 1151.)

Dilectissimo Patri suo EUGENIO sanctæ Romanæ Ecclesie summo pontifici Conradus, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, filialem per omnia dilectionem et debitam in Domino reverentiam.

Vacante Trajectensi episcopatu post discessum piæ memoriæ Hariberti episcopi, etc. *Vide in Eugenio III ad an. 1153, post Regesta ipsius.*

EPISTOLA CCCVII.

WIBALDI ABBATIS AD B. LEODIENSEM ARCHIDIACONUM.

Excusat se a colloquio Hoiensi.

(Anno 1151.)

C Dilecto fratri et amico suo B. sanctæ Leodiensis Ecclesie venerabili archidiacono, frater WIBALDUS Dei gratia id quod est in Ecclesia catholica, benedictionem et dilectionem.

Frater noster, quem ad vos miseramus ad explorandum propositum domini nostri episcopi, et ad intelligendam de pace universitatis vestræ voluntatem, tardius ad nos rediit, quam opportunitatis ordo, et rerum ratio exposceret. Cum igitur propter longiorem moram ejus de colloquio apud Hoiium futuro desperavissemus, conversi ad curam corporis, sanguinem minuimus paulo antequam idem frater poster reverteretur. Excusatam itaque habeat vestra discretio nostram valitudinem, nec ullo modo in corde suo recipiat, quod propter privatas odiorum inimicitias pacem terræ et publicum statum turbari velimus et evertere. Neque enim mores nostros ita instituit et formavit illa vestra doctrix et domina rerum divinarum et humanarum magistra et educatrix philosophia, ut ob causæ singularis titulum bona communia deseramus. Divina enim philosophia dicit: *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocantur, et beati pedes pacem portantes.* Humana philosophia non contempsit etiam capitales inimicos in consortium magistratus ob reipublicæ salutem adsciscere. Et quoniam tyrannos jam in insaniam versos esse comperimus, vestra industria cum omni humilitate et placiditate animi efficere curabit, ne spes pacis abrumpatur, et efferate ad arma concurratur. Etenim, post hoc triduum, viribus recuperatis,

nec personæ nec rebus parcendum fore in animum duximus : quatenus pax et tranquillitas populo Christiano per nos peccatores, si divinitati ita complacuit, procuretur. Alias autem quæ proprie ad nos et Ecclesiam nostram spectant, non minore studio repetemus.

EPISTOLA CCCVIII.

WIBALDI ABBATIS AD FRATRES GLADBACENSES.

Suum eis consilium et auxilium offert, et de illatis eis a ministerialibus injuriis.

(Anno 1151.)

Reverendis in Christo fratribus (158) Gladbacensis Ecclesiæ monachis, frater WIBALDUS, Dei gratia id quod est in Ecclesia catholica, benedictionem et vitam usque in sæculum.

Duplex nos ratio ad vestræ dilectionis et charitatis affectum provocat, videlicet quod unius ordinis habitus et religionis nomine fruimur, et unius ejusdemque patroni intercessione gloriamur, videlicet beati Viti martyris, cujus nos, quamvis indigni, Deo tamen sic ordinante, vicarii existimus, cujus ut patrocínio sublevemur, et fidem congrua devotione sectemur; confidentissime exspectamus. Quapropter, fratres charissimi, omnem nostri affectus charitatem vestræ fraternitati exponimus, et ut de nostri consilii et auxilii adjutorio omnimodis confidatis, prompta animi voluntate offerimus, scituri quod in cunctis, quibus secundum Deum poterimus, opportuni pro nostra facultate assistemus. De eo autem verbo, quo tam nos quam omnes catholicæ Ecclesiæ filios interpellastis, gementes et supplices respondemus, quod filii matris nostræ pugnant adversum nos, et mirum atque mirabile esse poterit toto mundo, cui vel quibus ministeriales vestri respondere habeant: si vobis, quibus ministrare, servire et obtemperare debent, non respondent, cum totum quod sunt vel esse possunt, vestrum sit, et tam in eorum personas quam substantias potestas tam legibus quam canonibus vobis et monasterio vestro attributa sit. Si de causa capituli et peremptoria, vel de possessionis titulo ageretur, advocatis utique sæcularibus tanquam in causa sæculari opus haberetis. Verum, cum de injuria, de damno illato agitur, non solum hi qui jure proprietario vestro monasterio pertinent, sed etiam omne hominum genus; ut nostræ quidem parvitas fert sententia, respondere et satisfacere vobis juxta legum tramitem non posset contradicere. In qua præsumptione vestrorum ministerialium dilecti confratris et coabbatis nostri culpanda est, ut pace ipsius dicamus, vigilantia, qui non ascendit ex adverso, nec opponit murum pro domo Israel, sed permittit, ut vulgo dicitur, scabella in scamna ascendere. Otio enim vacant, et ideo vociferantur, et volunt matrem et dominam suam pedibus in luto conculcare, et cum de rebus Ecclesiæ alantur, impinguati, incrassati; dilatati recalçantur. De cætero de

(158) Gladbacense insigne monasterium ordinis S. Benedicti, in principatu Clivensi, et diœcesi Co-

A nostris orationibus et intimo servitio plurimum tam in hac quam in omni causa confidere debetis.

EPISTOLA CCCIX.

HENRICI EPISCOPI LEODIENSIS AD EUGENIUM PAPAM III.
Petit confirmari electionem Arnoldi Coloniensis archiepiscopi.

(Anno 1151.)

Reverendo Patri suo et domino EUGENIO, summo et universali sanctæ Romanæ Ecclesiæ pontifici, H., Dei gratia Leodiensis Ecclesiæ humilis minister, tam devotam quam debitam totius subjectionis obedientiam, et promptum ac fidele in omnibus obsequium.

Post decessum bonæ memoriæ A. Coloniensis archiepiscopi, *Vide in Eugenio inter epistolas variorum ad ipsum.*

EPISTOLA CCCX.

ECCLESIE COLONIENSIS AD EUGENIUM PAPAM III.

De electione Arnoldi majoris ecclesiæ S. Petri præpositi in archiepiscopum Coloniensem.

(Anno 1151.)

Reverendissimo Patri suo et domino EUGENIO, sanctæ Romanæ Ecclesiæ summo pontifici, W. decanus, archidiaconi, abbates, præpositi, clerus, honorati et universus populus Coloniensis Ecclesiæ, tam devotam quam debitam totius dilectionis ac subjectionis obedientiam.

Excellentiæ vestræ notitiam præterisse non credimus, quod mater nostra Coloniensis Ecclesia, etc. *Vide ubi supra.*

EPISTOLA CCCXI.

WIBALDI ABBATIS AD ARNOLDUM ELECTUM COLONIENSEM.

Fausta omnia illi optat.

(Anno 1151.)

Reverendissimo Patri suo et domino A., sanctæ Coloniensis Ecclesiæ venerabili electo antistiti, frater WIBALDUS, Dei gratia id quod est in Ecclesia, exiguas orationes et devotum servitium.

Non sumus de schola Pythagoræ, ut auditores nostros in verba nostra jurare cogamus. Licebit itaque vobis de scriptura nostra imminuere, demere et adijcere sine ingenii nostri acerba offensione. Unusquisque enim in suo sensu abundat. Deum, quem nec spatia locorum, nec intervalla temporum ab his, quos tuetur, abjungunt, nos et fratres nostri, vestri utique pro vestris beneficiis famuli, suppliciter exoramus, ut viam vestram gratia sua præcedente dirigat, et subsequente comitari dignetur, ut de actu et incolumitate vestra secundum misericordiæ suæ præsidia gaudeatis.

EPISTOLA CCCXII.

CONRADI IMPERATORIS AD HENRICUM ARCHIEPISCOPUM MOGUNTINUM.

Arguit eum quod electum Coloniensem electioni suæ necdum assentientem, præpositura de Lempurch privaverit.

(Anno 1151.)

CONRADUS, Dei gratia Romanorum rex, H., ventioniensi, cujus foundationis historia habetur Spicilegii tom. XII.

rabili Moguntiensi archiepiscopo gratiam suam et omne bonum.

Rogaveramus experientiam tuam per litteras nostras et mandata plusquam tertio, ut quod juris tui esse cognoscitur in præpositurâ de Lempurch, ad nostræ voluntatis ac petitionis nutum in spe fidelis retributionis ordinares, opportuno scilicet tempore, quando hoc fieri sacræ leges non prohiberent. Tu vero petitionem nostram non solum non exaudisti, verum etiam Ecclesiæ Coloniensis electum, necdum eidem vocationi consentientem, contra canonica instituta possessione sua nudasti. Siquidem cum adhuc detrectet onus ad ferendum suscipere, et rem omnem distulerit usque ad præsentiam et auctoritatem domini papæ, amoveri a gradu inferiori non debuit, qui altiores conscendere formidavit. Et cum examinatio præcedat consecrationem, removeri quidam a summi sacerdotii officio possunt, qui tamen alias Ecclesiæ œconomias recte administrare possunt. Proinde, prudentiam tuam attente monendo rogamus, ut factum tuum, quod canonicæ doctrinæ regulam transgreditur, celeri ac discreta mutatione corrigas, et cum eadem præpositura rite vacaverit, petitionem nostram exaudire non abnuas: universa enim quæ a nobis habet, illibata ei usque ad consecrationem conservabimus.

EPISTOLA CCCXIII.

CONRADI IMPERATORIS AD EUGENIUM PAPAM III.

De electione Arnoldi archiepiscopi Coloniensis (159), quam petit confirmari.

(Anno 1151.)

Dilectissimo in Christo Patri suo EUGENIO, sanctæ Romanæ Ecclesiæ summo pontifici, CONRADUS, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, filialem per omnia dilectionem et debitam in Domino reverentiam.

Coloniensis Ecclesia, quæ sui magnitudine ac decore omnes fere Germaniæ et Galliæ præeminebat Ecclesias, ad tantam et pastorum suorum negligentiam (160) calamitatem deciderat, etc. *Vide in Eugenio inter epist. variorum ad ipsum.*

EPISTOLA CCCXIV.

ARNOLDI AD WIBALDUM ABBATEM.

Clerum, honoratos et ministeriales ejus ad papam iter retardare, donec pax omnino firmetur.

(Anno 1151.)

Domino WIBALDO, Dei gratia venerabili Stabulensi abbati, ARNOLDUS, eadem gratia quidquid est, salutem et promptum ac fidele in omnibus obsequium.

Grates debitas celsitudini vestræ dicimus, pro eo quod vestræ prudentiæ experientiam modis omnibus nostro honori accommodam sentimus. Quid virtus Altissimi, sine qua nihil validum, nobis præ-

(159) Ex hac Conradi imperatoris ad Eugenium papam epistola aliisque præcedentibus et subsequen- tibus emendanda est Gallia Christiana, quæ Arnoldi II electionem anno 1155 consignat, cum Conradus anno 1151, mense Februario, fato functus fue-

rit, et in ejusdem instrumento anni 1151 pro Wal- ciodoro superius relato Arnoldus dicatur electus Coloniensis.

(160) Præsertim Arnoldi, quem Eugenius III ob Simoniam ab officio suspendit.

EPISTOLA CCCXV.


WIBALDI ABBATIS AD ARNOLDUM ELECTUM COLONIENSEM.

Lætatur de rebus ejus prosperis. De pace cum episcopo Leodiensi faciendâ. Hortatur ut iter Romanum non differat, et legatos sedis apostolicæ Coloniæ transeuntes suscipiat honorifice.

(Anno 1151.)

Reverendissimo Patri suo et domino ARNOLDO, sanctæ Coloniensis Ecclesiæ venerabili electo, frater WIBALDUS, Dei gratia id quod est in Ecclesia catholica, exiguas orationes et devotum servitium

Quod res vestræ prosperis successibus, Deo eas augente, provehantur, et pax a nobis diu desiderata per vestram industriam, compressa latronum audacia, reformatur, duplex nobis lætitiæ exstat materia, tum quia nostris temporibus, qui jam fere a bonis desperavimus, hæc fiunt, tum quia ab experientia vestra, quam a longis retro temporibus diligere et laudibus ornare studuimus, hæc fiunt. Sed positus nobis in nostra veteri nemorum solitudine, rarius hæc gaudiorum vota ad notitiam perveniunt. Eadem die qua frater Hillinus ad nos a vobis rediens pervenit, venerunt ad nos plures de religiosis abbatibus Leodiensis episcopatus prope monasterium nostrum orantes enixius ut, ommissa interim injuria, quam tum a domino Leodiensi episcopo, tum a comite Namurcensi et operibus et verbis gravem frequenter accepimus, de pace inter ipsos componenda tractaremus, et quia dominus episcopus in vicinio erat, pollicentes tam honestis viris operam nostram, pro eodem verbo pariter convenimus. Itaque ex ipsius beneplacito dies usque in proximum Sabbatum præfixa est, quando religiosi et sapientes viri de toto episcopatu conveniant, et ad pacem terræ, si ita summæ Divinitati complacuit, omne studium et diligentiam adhibeant. Quia igitur rebus publicis ad præsens impliciti sumus, de nostro ad vestram præsentiam adventu, sicut mandastis, certum vobis in instanti responsum reddere non possumus. Super hoc autem, quod nobis vestra celsitudo notificare dignata est, quod universalis Ecclesiæ vestræ consilio iter vestrum ad dominum papam



hoc tempore distulistis, nihil contra niti vel obviare A
 præsumimus, cum rerum eventus eorum commoda
 respiciat, qui sunt sententiæ auctores. Verumtamen,
 quia unusquisque in suo sensu abundat, nobis, qui
 frequenter horribilibus periculis jactati sumus, et
 præcipue periculis in falsis fratribus, cum de sum-
 ma dignitatis obtinendæ agitur, nihil satis festinari
 posse videtur, quoniam cum ad ardua tenditur, non
 solum regressus, sed etiam mora non immerito for-
 midatur. Paternæ siquidem regulæ et sanctissimis
 diffinita consiliis vetant sedem metropolitanam ul-
 tra trium mensium spatium viduatam manere,
 quod vestram eruditionem plenius recognoscere non
 ignoramus. Præterea, legati Romanæ Ecclesiæ ad
 has partes veniunt, causam Trajectensis electionis
 (161) terminaturi, et videat Ecclesia vestra, cujus B
 vos consilium sequi condecet, qualiter in urbe vestra
 iidem legati in hoc rerum statu suscipiantur, et ad
 eandem litem decidendam sicut decet Romanam et
 Coloniensem Ecclesiam et vestræ personæ dignita-
 tem teneantur. Circa festum beati Bartholomæi
 apostoli versus Saxoniam nos transituros speramus,
 et ubi tunc vestræ discretioni placuerit, vobis col-
 loqui et subservire parati erimus.

EPISTOLA CCCXVI.

CONRADI IMPERATORIS AD WIBALDUM ABBATEM

*Mandat ut Herbipolim ad principum colloquium
 statuto termino conveniat.*

(Anno 1151.)

CONRADUS, Dei gratia Romanorum rex, WIBALDO
 Corbeiensi abbati gratiam suam et omne bonum.

Discretioni tuæ volumus esse cognitum, quod
 octava die post Nativitatem sanctæ Mariæ nonnulli
 principum nostro se conspectui præsentabunt apud
 Herbipolim, de negotiis Ecclesiæ et regni et de no-
 stra expeditione nobiscum tractaturi. In quibus et
 tua opus habemus præsentia, utpote cum quo fami-
 liarius et plenius singula intendimus pertractare.
 Per præsentia igitur scripta sollicitudini tuæ man-
 damus, quatenus omni dilatione et occasione
 postposita, in termino supra memorato, modico
 comitatu contentus, nostro te conspectui repræ-
 sentes.

EPISTOLA CCCXVII.

HERIBERTI CAPELLANI AD HENRICUM PRIOREM
CORBEIENSEM.

Ut litteras regis sine mora Wibaldo transmittat.

(Anno 1151.)

Domino HENRICO venerabili priori Corbeiensis
 Ecclesiæ, HERIBERTUS capellanus servitium suum.

Sollicitudini vestræ arctius injungere præsumo,
 ut litteras domini regis domino abbati sine mora
 transmittatis, quia pro magnis et etiam privatis ne-
 gatiis ad curiam vocatur.

(161) Pro qua contendebant Herimannus Colo-
 niensis præpositus S. Gereonis, electus a præposi-
 to, decano, clero et nobilibus patriæ, et Frethericus
 Coloniensis, item præpositus S. Georgii, infra æta-

EPISTOLA CCCXVIII.

SUENONIS REGIS DANIÆ AD CONRADUM IMPERATOREM.
*Gratias agit pro beneficiis, oratque ut se protegere
 pergat.*

(Anno 1151.)

CONRADO, Dei gratia Romano imperatori glorioso
 et semper augusto, SUENO, ejusdem nutu Danorum
 rex, filialem dilectionem et debitam subjectionem.

Impensi beneficii haud immemor, paternitatis
 vestræ clementiæ semper gratias agimus, omnium-
 que remuneratorem Deum jugiter exoramus, ut ubi
 nostræ parvitas vicissitudo defecerit, summa sua
 misericordia retribuere dignetur. Serenitatis autem
 vestræ expertâ dulcedo accipiat, quoniam in vestra
 majestate manutionis nostræ anchoram a pri-
 mævæ juventutis flore fiximus, et immutabiliter
 esse fixam post Deum semper exoptamus, eique vita
 comite decenter... usque desideramus. Convenit
 igitur paternitati vestræ filii honori providere, et, si
 qui ad nostri destructionem emergerint, eorum te-
 meritatem compescere. Curia autem decorem et
 desiderabilem celsitudinis vestræ vultum videre cu-
 pientes, intime precamur, quatenus et locum ad-
 eundi commodum, et tempus apparatus idoneum
 designetis, et securum ducatum nobis procuretis.
 His vero amicis nostris fidelibus, videlicet domino
 Bremensi archiepiscopo et O. marchioni legationem
 nostram commisimus, ut ducis insidias declinare-
 mus. Valetate et principes vestros ad Slavorum de-
 pressionem excitare, et super his quæ digna viden-
 tur rescribite.

EPISTOLA CCCXIX.

KANUTI REGIS DANIÆ AD CONRADUM IMPERATOREM.

Privatus regno ad ipsum confugit.

(Anno 1151.)

CONRADO Dei gratia Romanorum imperatori augu-
 sto, KANUTUS rex Danorum salutem.

Quoniam vos Rex regum ad hoc constituit, et
 unum ex multis elegit, nominisque sui gloria deco-
 ravit, ut Pater justitiæ filiusque pacis fieretis, me-
 rito debetis in omnibus justitiam corroborare, et in-
 juste afflictis solatia adhibere. Privati igitur non so-
 lum regno, verum etiam patrimonio, Christo et vo-
 bis conquerimur ut, justitia dictante, nobis ex-
 sulibus condescendatis et compatiamini. Ad impe-
 rium enim Romanum expulsi confugimus, quia
 ibi consilium et auxilium invenire speravimus.
 Vestram itaque regiam potestatem suppliciter exo-
 ramus quod nobis subveniatis, et pro vestro honore
 nobiscum paterne agatis, et quæ injuste amisi-
 mus, gladii vestri severitate rehabeamus. Nos ve-
 ro vestra præcepta in omnibus velut filii constanter
 sequemur.

tem et ordines a quibusdam de clero electus, ex
 epistola Conradi imperatoris ad Eugenium papam
 supra relata.

EPISTOLA CCCXX.

WIBALDI ABBATIS AD MANUELEM IMPERATOREM CONSTANTINOPOLITANUM.

Conradum imperatorem parare expeditionem in Siculum

(Anno 1151.)

Inclyto triumphatori ac serenissimo dominatori glorioso ac sacratissimo imperatori Græcorum et Romanæ MANUELI excelso, sublimes, Porphyrogenito, WIBALDUS, Dei gratia duorum nobilium monasteriorum abbas, Stabulensis scilicet et Corbeisæ, devotum et perpetuum in Domino famulatum, et assiduas ad Deum orationes.

Largitori omnium honorum Deo infinitas gratiarum actiones referimus, qui vestræ mansuetudini dignatus est inspirare, ut nostræ parvitati scribere, et de vestræ voluntatis nutu significare dignaremur. Facimus itaque quod jussistis, et humilibus atque assiduis precibus Dei omnipotentis clementiam cum nobis commissis fratribus exorare studemus, ut tam vestræ celsitudini quam domino meo fratri vestro Conrado Romanorum imperatori Augusto sanitatem et incolunitatem et de inimicis victoriam conferre dignetur, et dilatet atque magnificet imperia vestra super omnia regna orbis terrarum, sicut priscis temporibus fuisse per historias veterum cognoscuntur. Hortamur etiam et continuais monitis suggerimus ut præcelsus et gloriosissimus imperator noster amicitiam et societatem vestram fideliter ac firmiter conservet, et omnia vestræ majestati promissa sine ulla diminutione compleat. In quo proposito ipse felicissimus princeps cum magna mentis constantia perseverans ordinat viriliter expeditionem suam ad partes Siciliæ et Apuliæ contra communem hostem utriusque imperii. Inde est quod, mediante præterito mense Septembre, apud civitatem Herbipolim quosdam principes imperii sui evocavit, ubi etiam convenerunt Coloniensis archiepiscopus, Bremensis archiepiscopus, Halverstadiensis episcopus, Licensis episcopus, Bavembergensis episcopus, Mersburgensis episcopus, Herbipolensis episcopus, Argentinensis episcopus, Wormatiensis episcopus, Pragensis episcopus et legati diversorum episcoporum ac principum, et de laicis principibus convenerunt marchio de Witin, marchio de Brandebourg, Palafinus comes de Bavaria, comes de Wincenburch in Saxonia, præfectus urbis Moguntia, præfectus urbis Herbipolis, præfectus urbis Bavemberch, et alii multi comites, honorati et nobiles, qui omnes cum magna voluntatis hilaritate, fide data et juramento præstito promiserunt, quod ad eandem expeditionem cum omni virtute et potentia militiæ suæ venient et prosequuntur. Nos quoque in eadem expeditione cum nostrâ militia Domino nostro famulantes, sanctissimam faciem vestram et permaximi imperii vestri decorem videre, Deo præstante, merebimur. Munificentia imperiali gratias referimus,

A quod benedictionem vestram nobis adhuc ignotis transmisistis.

EPISTOLA CCCXXI.

IMPERATORIS CONSTANTINOPOLITANI AD WIBALDUM ABBATEM.

Offert Conrado imperatori vires suas adversus Siculum.

(Anno 1151.)

Imperiale ad pretiosissimum ABAN monasterii Stabulensis.

Pretiosissime abba monasterii Stabul., imperium meum cum didicisset a multis in te florentem virtutem, quomodoque in honorem certas prænobilissimi regis Romæ prædilectissimique fratris et cognati imperii mei, et in utilitatem Christianorum, magnam devotionem et affectionem erga tuam pretiositatem obtinet, et orationem ejus invocat perpetue. Vult igitur imperium meum, quod rursus etiam tua pretiositas laboret in honorem prænobilissimi regis. Nunquam enim inveniet meliorem adiutorem in servitium contra Siculum et in cætera servitia sua. Vult autem et imperium meum ut etiam per scripturas tuæ pretiositatis doceatur sospitatem ipsius. Magnam enim affectionem habet imperium meum in tuam pretiositatem, ex quo certe cognovit florentem in te virtutem. Missa est Abadon servata magna civitate mense Martio indictione xiv † missum est tibi examitum megalogmon diplarion album †.

EPISTOLA CCCXXII.

CONRADI AD ROMANOS

Significat eis proximum suum in Italiam adventum, interimque legatos ad eo mittit.

(Anno 1151.)

CONRADUS, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus præfecto Urbis, consulibus, capitaneis et omni populo Romano tam minoribus quam majoribus, gratiam suam et bonam voluntatem.

Post reditum nostrum a Jerosolymitana expeditione, litteras universitatis vestræ frequenter accepimus, in quibus continebatur, quanto fidei ac devotionis studio pro personæ nostræ dignitate provehenda et imperii Romani statu reformando indefessis animis decertetis. Et licet epistolarum... tantis rebus, quas perferebant impares viderentur, pergratum tamen habuimus, vestram benevolentiam ex cœpto tenore procedentem imperiali retributione honorare decrevimus. Proinde a vestra prudentia, sicut oportuit, decenter invitati, expeditionem Italicam et adventum nostrum ad Urbem magno cum principum nostrorum favore, et totius militiæ alacritate efficaciter ordinavimus, primo quidem in celebri curia Ratisbonæ, secundo in civitate Herbipoli, firmato deinceps proposito nostro, ut ad cæteras regni nostri partes celerius accedentes, pace per misericordiam Dei ubique firmata, ad res et urbes Italiæ pacandas et firmandas sic transeamus, ut tam fidelibus quam rebellibus pœnam, Deo adiutore, re-

tribuere valeamus. Ea propter mittimus ad universitatis vestrae experientiam legatos nostros viros utique illustres ac moderatos, Arnoldum videlicet nostrae curiae cancellarium Coloniensis, electum archiepiscopum, et Wibaldum Corbeiensem abbatem, et Henricum notarium imperio nostro fidelissimos ac familiarissimos, ut per eos voluntatis nostrae et consilii certitudinem addicatis. Quocirca industriae vestrae attente mandando committimus, quatenus eosdem legatos nostros pro nostra reverentia et Urbis disciplina honeste suscipiatis, et ab ipsis tanquam ab ore nostro, quae in hoc temporis statu agenda sunt, accipiatis, et eos honorifice et commode, quo itineris res postulat, perducatis.

EPISTOLA CCCXXIII.

CONRADI IMPERATORIS AD EUGENIUM PAPAM III.

Expeditionem Italicam pro Ecclesiae utilitate se parare significat, commendatque Bremensem archiepiscopum et Wibaldum abbatem.

(Anno 1151.)

Charissimo in Christo Patri suo EUGENIO sanctae Romanae Ecclesiae summo pontifici, CONRADUS, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, filialem per omnia dilectionem et debitam in Domino reverentiam.

Sicut paternitatis vestrae benevolentiam in omnibus nostris nostrorumque negotiis saepe et nunc experti sumus, etc. *Vide in Eugenio, inter epistolas diversorum.*

EPISTOLA CCCXXIV.

CONRADI IMPERATORIS AD PISANOS.

De sua in Italiam expeditione adversus Siculum.

(Anno 1151.)

CONRADUS, Dei gratia Romanorum rex et semper augustus, consulibus, capitaneis, et universo populo Pisano, tam minoribus quam majoribus, gratiam suam et bonam voluntatem.

Post reditum nostrum a Jerosolymitana expeditione, omnem animi nostri intentionem converteramus, ut absque morae prolixioris interventu, ad res Italiae ordinandas et pacandas ingrederemur. Inde fuit, quod legatos excellentissimi fratris nostri Graecorum imperatoris ad universitatem vestram direximus, de fide et constantia vestra plurimum confidentes, quatenus ipsorum industria, et vestra potenti virtute, hostis utriusque imperii usque ad adventum nostrum sine intermissione bellicis incursibus quassaretur. Decet itaque patriae principem grates ac benevolentiam rependere his, qui ad tam egregium opus peragendum animo et opere imparati non fuerunt, quibus illis non immerito poena acerbior, qui tantos reipublicae proventus demoliri tentaverunt. Sed ardentissimum nostrae voluntatis studium manus divina, quam nemo mortalium potuit evadere, immissa coelitus infirmitate aliquandiu repressit, sed recuperata per eundem misericordissimum Deum sospitate, transacto sacrae Pentecostes festo, generalem curiam apud Ratisbonam celebrantes, expeditionem nostram regio more ver-

A sus Italiam cum magno principum favore et totius militiae alacritate indiximus. Similiter et apud Herbipolim, mediante mense Septembri, factum est; ita deinceps, firmato meatu proposito, ut ad omnes regni nobis a Deo concessi partes celerius accedentes, et pace per Dei gratiam ubique firmata, sic ad Urbem, et ad vos pervenire valeamus, ut tam bene merentibus praemia, quam rebellibus poenam rependere debeamus. Ad hujus rei evidentem notitiam atque certitudinem faciendam, direximus praesentes legatos nostros, viros utique illustres ac nobis inter principes nostros familiarissimos, Arnoldum videlicet Coloniensis Ecclesiae venerabilem archiepiscopum, Wibaldum Stabulensem et Corbeiensem abbatem, Henricum curiae nostrae notarium, ad reverendum Patrem nostrum papam Eugenium et ad urbem Romam, necnon ad caeteras urbes Italiae. Quos venientes ad urbem vestram, quae semper ab initio in pace et in bello terra marique imperii Romani consuevit esse domicilium, honorifice, ut vestra probitas consuevit, suscipiatis, et tam de militum, quam de navium numero, quas in expeditionem Siciliae ob perpetuam felicitatis remunerationis mercedem exhibebitis, per illorum notitiam nos certos efficiatis. Porro de verbo, quod de inimicorum vestrorum sempiterna humiliatione nobis per legatos nostros, scilicet Constantiensem et Basiliensem episcopos, atque marchionem de Monteferrato suggestistis, preces vestras exauditas esse sciatis; et quidquid super hoc praedicti nuntii nostri vobis confirmaverint, nos esse observaturos non dubitetis, scientes quod inimicis vestris inimici sumus, et odientes vos affligemus.

EPISTOLA CCCXXV.

ARNOLDI COLONIENSIS ARCHIEPISCOPI AD WIBALDUM ABBATEM.

Orat ipsum ut exspectet, simul ad imperatorem reversuri.

(Anno 1151.)

Domino WIBALDO, Dei gratia venerabili Corbeiensi abbati, A. Dei patientia quidquid est, salutem et obsequium.

Non parum nos conturbavit quod sic inopinato nos deserere, et infecto quodammodo negotio domini regis, nec nobiscum redire, nec ad ipsum finem vestrae legationis vultis differre. Quod quia et nobis et vobis indecens, et domino nostro regi, qui vestrum exspectat reditum, omnino est inutile et indecorum, monemus et intime rogamus antiquam illam vestram dilectionem, quam nos nunquam scindi cupimus, quatenus sicut nos unquam dilexistis, tum ob nostri obsequii, tum vestrae honestatis, tum regiae reverentiae intuitum, per diem crastinum nostrum velitis praestolari adventum, et sine mora et sine digressionis dispendio ad locum unde movimus, et ad dominum nostrum regem cum gaudio et dilectione nobiscum remeare. Parati enim eramus et jam ocreas induere, et vos adire, quia Lucenses, sicut praedixeratis, solis verbis nos lactaverant, et

ecce nuntius cum litteris vestris advenit, et statim **A** ad nos verbum hujus rei sine sua emendatione non cum equos ascendere paravimus, consules cum magna precum instantia nos detinuerunt. Rogamus itaque et iterum rogamus ut, domini nostri regis memor, cras nos per diem exspectetis.

EPISTOLA CCCXXVI.

EUGENII PAPÆ III AD COLONIENSES.

Arnoldum archiepiscopum propria manu consecratum ac pallio decoratum eis remittit, præcipiens ut ei obediant, etc.

(Anno 1151.)

EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis Gu. præposito, F. decano, archidiaconibus, prioribus et universo clero ac populo Coloniensis Ecclesiæ, salutem et apostolicam benedictionem.

Venientem ad apostolicæ sedis clementiam, etc. **B** *Vide in Eugenio.*

EPISTOLA CCCXXVII.

EUGENII PAPÆ AD CONRADUM IMPERATOREM.

Legatos ipsius honorifice suscepisse, ac ipsius votis in omnibus obsecundasse.

(Anno 1152.)

Dominus papa EUGENIUS Romanorum regi CONRADO.

Quanto sæpius de incolunitatis tuæ statu et bona voluntate, etc. *Vide in Eugenio.*

EPISTOLA CCCXXVIII.

EUGENII PAPÆ III AD LEODIENSEM EPISCOPUM.

Ut comites de Los et de Monte-Acuto ablata Stabulensi monasterio restituere compellat.

(Anno 1152.)

Dominus papa EUGENIUS HENRICO Leodiensi episcopo.

Ad eorum subventum, etc. *Vide in Eugenio.*

EPISTOLA CCCXXIX.

GREGORII ET JACOBI CARDINALIUM AD HENRICUM LEODIENSEM EPISCOPUM.

Ut illatas Stabulensi monasterio injurias a comite Namurcensi resarciri curet.

(Anno 1152.)

Leodiensi episcopo HENRICO GREGORIUS Sancti Angeli, et JACOBUS Sanctæ Mariæ diaconi cardinales salutem.

Ubi mandatum et auctoritas præcedit apostolica, securius maxime apud amicum scribere et preces amicas possumus et debemus interserere. Inde est **D** quod nos dilectioni vestræ scribentes, accurate mandamus, amicabiliter obsecrantes, ut cum dilectissimus noster Wibaldus abbas Stabulensis in illo eventu bellicæ altercationis inter vos et Namurcensem multa, imo infinita per militiam vestram perdidit, et Ecclesia ejus in multis et magnis damnum irrecoverabile sustinuerit, prudentia et discretio vestra sic adversus eum per condignam recompensationem gerat et habeat, quatenus alter cum altero unum et idem, quod fuit et esse competit, inseparabiliter permaneat, et postmodum

(1162) Hermannō, qui magnæ famæ et fidelitatis habebatur ab imperatore Friderico I et a tota curia, uti

ad nos verbum hujus rei sine sua emendatione non redeat.

EPISTOLA CCCXXX.

EUGENII PAPÆ AD R. ARCHIEPISCOPUM BREMENSEM.

Ut ablata a suis parochianis Kaminatensi cœnobio prædia restitui curet.

(Anno 1152.)

Dominus papa EUGENIUS H. Bremensi archiepiscopo.

Ex conquestione dilecti filii nostri Wibaldi Corbeiensis abbatis accepimus, etc. *Vide in Eugenio.*

EPISTOLA CCCXXXI.

EJUSDEM AD HENRICUM ARCHIEPISCOPUM MOGUNTINUM.

Ut ablata Corbeiensi monasterio a suis parochianis restitui procuret.

(Anno 1152.)

Idem HENRICO Moguntino archiepiscopo.

Unumquemque propriis manere contentum, etc. *Vide ibid.*

EPISTOLA CCCXXXII.

EUGENII PAPÆ III AD BERNARDUM EPISCOPUM PATHERBURNENSEM.

Ut a Vitikindo ablata Corbeiensi monasterio restitui sub anathematis districtione compellat.

(Anno 1152.)

Dominus papa EUGENIUS BERNARDO Patherburnensi episcopo.

Veniens ad nostram præsentiam, etc. *Vide ibid.*

EPISTOLA CCCXXXIII.

EJUSDEM HERMANNO TRAJECTENSI EPISCOPO.

C *Ut prædia Corbeiensis monasterii in sua diœcesi sita conservet.*

(Anno 1152.)

Idem papa HERMANNO Trajectensi episcopo.

Officii nos admonet et hortatur auctoritas, etc. *Vide ibid.*

EPISTOLA CCCXXXIV.

EUGENII PAPÆ III AD ULRICUM EPISCOPUM HALBERSTADIENSEM.

Ut parochianos suos Corbeiensibus fratribus molestos compescat.

(Anno 1152.)

EUGENIUS papa ULRICO Halberstadiensi episcopo.

Suscepti regiminis nos hortatur auctoritas, etc. *Vide ibid.*

EPISTOLA CCCXXXV.

EUGENII PAPÆ III AD HENRICUM DUCEM SAXONIÆ.

Commendat ipsi Wibaldum Corbeiensem abbatem.

(Anno 1152.)

Papa EUGENIUS HENRICO illustri duci Saxorum.

Inter præcipua facta virorum potentium, etc. *vide ibid.*

EPISTOLA CCCXXXVI.

EUGENII PAPÆ III AD FERDENSEM EPISCOPUM.

Conqueritur quod frater ipsius et alii ejus parochiani bona Kaminatensis monasterii invadant.

(Anno 1152.)

Idem papa Ferdensi episcopo (1162).

legitur in Chronico episcoporum Ferdensium tom. II scriptor Brunswic.

Si universalis Ecclesiae curam, etc. *Vide ibid.*

EPISTOLA CCCXXXVII.

EUGENII PAPÆ III EPISCOPO MINDENSI.

Ut Corbeiensi monasterio benefacere pergat.

(Anno 1152.)

Idem papa Mindensi episcopo (1163).

Gratum nobis est et acceptum, etc. *Vide in Eugenio.*

EPISTOLA CCCXXXVIII.

EUGENII PAPÆ III AD ABBATEM LUNENBURGENSEM.

Henricum Corbeensem abbatem depositum officio suo non fuisse restitutum.

(Anno 1152.)

Idem papa abbati de Lunenburch.

Dilectioni tuæ notum fieri volumus, etc. *Vide ibid.*

EPISTOLA CCCXXXIX.

EUGENII PAPÆ III AD PRÆLATOS ET COMITES AC BARONES.

Ut Conrado imperatori in expeditione Italica adsint.

(Anno 1152.)

EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus archiepiscopis, episcopis, dilectis filiis comitibus et baronibus per Alemanniam constitutis, salutem et apostolicam benedictionem.

Sicut a rectore Deo, etc. *Vide ibid.*

EPISTOLA CCCXL.

WIBALDI ABBATIS AD SUOS CORBEIENSES.

Suum ex legatione Romana reditum significat, ac mortem imperatoris, cui solemnnes exsequias celebrari mandat.

(Anno 1152.)

Frater WIBALDUS Dei gratia id quod est in Ecclesia catholica, dilectis in Christo filiis et fratribus H. venerabili priori et cæteris Corbeiensis Ecclesiae filiis, benedictionem et vitam usque in sæculum.

Dei omnipotentis gratia vias nostras comitante, et orationibus vestris iter nostrum prosequentibus, sani incolumes a domino papa et ab Urbe pro legatione regia, quam susceperamus, usque Coloniam reversi sumus, in omni negotio, quod nobis injunctum est, cum gratia et benignitate plenam efficaciam reportantes. Sicut enim rerum ipsarum consequentia manifestabit, in omni petitione nostra tam privatarum quam publicarum rerum clementer exauditi sumus, ita ut neque in privilegiis, neque in epistolis pro nostra opportunitate impetrandis ullam difficultatem sustinuerimus. Sed hæc omnia pro voto adepta gaudia amaricavit obitus serenissimi domini nostri Romanorum regis inclyti, cujus transitus, licet non immerito universitatis vestrae animos commoverit, non tamen graviore concussione perturbare debet, quia potens est Deus Corbeiensem Ecclesiam in suæ dignitatis statu conservare et nostræ personæ vilitatem usquequaque non de-

(1163) Henrico ex abbate S. Mauritii in Insula ordinis S. Benedicti.

A serere. Cujus clementissimi domini nostri exsequias ut solemniter ac regio more celebretis devotissime, charitati omnium injungimus.

Sed cur dominum dicimus eum, in quo semper plusquam paternæ pietatis viscera persensimus? Filiis enim suis nos in omni excellentiæ gradu non postposuit, germanis suis licet in altissimo principatus culmine constitutis, sæpenumero anteposuit. Universa nobis sanctæ pietatis et officia et nomina ab ipsius sacratissimo pectore manabant. Nunc inter dolorem amissi tam excellentis, tam amici principis, inter sollicitudinem futuræ de regno suo ordinationis, ea nos præcipue cura tenet attentius, ut vestrae fraternitati sine querela ab officialibus vestris administraretur. Declinavimus paululum ad Stabulensem Ecclesiam, ut cum eam fuerimus consolati, ad vos liberius et diutius mansuri brevi elapso tempore revertamur. Universitati autem vestrae notum esse volumus quod dominus Henricus, qui monasterio vestro aliquando præfuit, ordinem sacerdotii, a quo depositus fuerat, a domino papa non recepit, super cujus rei assertionem nos litteras ejusdem domini papæ accepimus.

EPISTOLA CCCXLI.

WIBALDI ABBATIS AD STEPHANUM EPISCOPUM METENSEM.

Ut negotium de electione abbatis Walciodorensis differat, donec novus eligatur rex Romanorum.

(Anno 1152.)

C Reverendo in Christo Patri suo STEPHANO sanctæ Metensis Ecclesiae venerabili episcopo, frater WIBALDUS, Dei gratia id quod est in Ecclesia catholica, exiguas orationes et devotum servitium.

D Audisse credimus excellentiam vestram, quod felicitis memoriæ dominus quondam noster inclytus Romanorum rex Conradus nos ad dominum papam et ad urbem Romam pro rebus regni agendis transmiserat, sed ante reditum nostrum, domino nostro Walciodorensis abbate (1164) viam universæ carnis ingresso, orta est dissensio inter monachos Walciodorenses et Hasterienses super electione futuri abbatis, pro qua controversia terminanda, vos eisdem monachis locum et diem præfixisse intelleximus. Et quoniam mandata domini papæ adhuc in manibus habemus, discretionis vestrae pedibus animo advoluti, benignitatem vestram intime rogamus, ut pro reverentia ejusdem domini papæ agere cum eis differatis, donec ordinato per omnipotentis Dei misericordiam novo rege, pro cujus electione principes regni crebra jam inter se habent colloquia, et nos pro recenti legatione Italiae abesse non permittunt, eidem causæ interesse possimus. Nec enim matris nostræ Walciodorensis Ecclesiae labores negligere debemus aut volumus, quin ei in omni necessitate sua, salva dignitatis vestrae reve-

(1164) Theoderico Walciodorensi abbate XIII de quo vide chronographum.

rentia, et sanctæ Metensis ecclesiæ honore, subser-
vire parati sumus.

EPISTOLA CCCXLII.

WIBALDI ABBATIS AD WALCIODORENSIS.

Condolet eis ob mortem abbatis, mittitque privilegium quod eis ab Eugenio papa obtinuerat, cum exemplo litterarum suarum ad episcopum Metensem et ad Hasterienses.

(Anno 1152.)

Frater WIBALDUS, Dei gratia id quod est in Ecclesia catholica, dilectis in Christo fratribus suis universis Walciodorensis Ecclesiæ filiis, benedictionem et vitam usque in sæculum.

Audito per famam obitu reverendi Patris nostri, plurimum propter multiplices Ecclesiæ vestræ labores, quos in rerum novitate futuros formidamus, animo vobis condoluimus, et præcipue cum de verbo electionis vestræ intelleximus, quæ universitati vestræ nullam omnino utilitatem afferrè poterit, et personæ nostræ (165) aliquantulum derogabit. Scire autem volumus dilectionem vestram, quod ad præsens in negotiis regni laborantes, usque Stabulaus pervenire non potuimus, sed ordinato nobis per omnipotentis Dei gratiam novo rege, et a publicis occupationibus paulo liberiores, necessitati vestræ assistere parati erimus, non quidem pro electionis verbo, sed pro fraternitatis debito. Interim vero ad consolationem vestram misimus vobis privilegium, quod a domino et Patre nostro papa Eugenio Ecclesiæ vestræ obtinuimus. Misimus etiam vobis litteras nostras, quas domino Metensi episcopo pro eadem causa transmittimus, monentes industriam vestram, ut eas sub omni celeritate ad ipsum perferri faciatis. Quarum exemplum cum exemplo illarum, quas Hasteriensibus transmisi-
mus, vobis videndum destinare curavimus, quas amicis vestris et religiosis viris, et præcipue coablatibus nostris ostendi volumus.

EPISTOLA CCCXLIII.

WIBALDI ABBATIS AD HASTERIENSES.

Ut de controversia quæ ipsos inter et Walciodorenses erat, agere differant, donec facta imperatoris electione ad ipsos veniat.

(Anno 1152.)

Frater WIBALDUS Dei gratia id quod est in Ecclesia catholica, dilectis in Christo Patribus J. venerabili priori, et cæteris Hasteriensis Ecclesiæ

(165) Quippe Wibaldum ipsum in pastorem animarum suarum eligerat teste chronographo cujus hæc verba : *Prior vero hujus monasterii videns eorum (Hasteriensium) arrogantiam, et timens ne si differatur electio, tumultus fieret in dominum Stabulensem sæpe memoratum Wibaldum abbatem electionis suæ sententia, toto annuente conventu, confirmavit. Ipse vero post reditum suum a curia imperatoris, (nam ibi per aliquot mensis moratus fuerat) tunc hoc audito Walciodorum venit, et ab hoc onere sese humi prostratus excusavit humiliter, etc.*

(166) Gemblacense insigne olim monasterium a S. Guiberto comite fundatum, hactenus præstat sub Regula S. Benedicti, cujus abbas in comitis gene-

A filiis, benedictionem et vitam usque in sæculum.

Audito per famam obitu reverendi Patris nostri, plurimum propter multiplices Ecclesiæ vestræ labores, quos in rerum novitate futuros formidamus, animo vobis condoluimus, et præcipue cum de verbo dissensionis vestræ intelleximus, quæ universitati vestræ plurimum noceret, et personæ nostræ scandalum generabit. Et quoniam mandata domini papæ, ad quem missi fuimus adhuc in manibus habemus, et principes regni nostri nos ad colloquium suum, ubi de ordinatione futuri regis agitur, per litteras evocaverunt, pedibus universitatis vestræ animo advoluti, fraternitati vestræ intime supplicamus, ut pro domini papæ, in cuius legatione sumus, reverentia, et pro nostro perpetuo servitio obtinendo agere de ista controversia differatis, donec ad vos, Deo ducente, pervenientes, consilio abbatum videlicet Gemblacensis (166), Florinensis (167), Lobiensis (168), Floreffensis (169), Maloniensis (170) ea quæ sunt ad pacem inter vos et fratres nostros Walciodorenses loqui et agere valeamus. Non enim credat discretio vestra, quod aliquid in eadem causa quæramus, quod meum sit, sed quæ Jesu Christi, et matrem nostram Walciodorensis Ecclesiam violari et imminui non debemus pati aut possumus, etiamsi omnem substantiam, quam possidere cernimur, pro eadem causa expendere haberemus.

EPISTOLA CCCXLIV.

WIBALDI ABBATIS AD EUGENIUM PAPAM III.

De morte Conradi imperatoris et electione Friderici, deque eam subsecutis circa expeditionem Italicam.

(Anno 1152.)

Reverende Patri suo et domino EUGENIO divina gratia uni et universali papæ, frater ille vester Dei et vestra gratia, id quod est in Ecclesia catholica, seipsum in fide et veritate.

Ecce, venerande Pater, quod verebar accidit, et ob hoc quasi divino et præscio spiritu cum essem apud vos, non dissimulavi neque silui suggerens et contestans, ut pacem populi Romani, si honesta et tuta esse posset, sine dilatione reciperetis. Etsi casum hunc, de quo non immerito dolemus, minime præsentiebamus, quadam tamen præensione futurorum angebamur, ne forte spes vestra, quam de

ralibus omnibus Brabantiae nobilibus præest.

(167) Florinense S. Joannis monasterium ineunte sæculo x a Gerardo episcopo Cameracensi fundatum floret hactenus sub Regula S. Benedicti.

(168) Lobiense antiquissimum et nobilissimum ordinis S. Benedicti cœnobium in diœcesi Leodiensi, virorum sanctitate et doctrina illustrium seminarium, cujus conditor S. Ursmarus abbas existit.

(169) Floresia ordinis Præmonstratensis de quo superius.

(170) Malonia forte idem cum Mala monasterio, cujus meminit Ansegisus in suo testamento. Hodie est canonicorum regularium.

expeditione futura conceperatis aliquo rerum eventu vacillaret. Multa enim quæ legimus, et audivimus, et vidimus inter Urbis reverendos pontifices et imperatores facta et dicta non indebita nos sollicitudine terrebant, et licet discreta eruditio vestra de omni statu Teutonici regni plenius impræsentiarum doceatur, tum per litteras gloriosi filii vestri et domini nostri Frederici Romanorum regis invictissimi, tum etiam per scripta devotorum filiorum vestrorum quorundam videlicet episcoporum, tamen devotio nostra circa vos et sacrosanctam matrem nostram Romanam Ecclesiam languere non debuit, quin celsitudinem vestram de rebus ad vos maxime pertinentibus aliqua ex parte præmoneremus. Et enim unusquisque in suo sensu abundat. Pervenientibus nobis Spiram in reditum a vobis occurrit nobis fama omni auditu horribilior, omni furia terribilior, quod videlicet tertia ante illam die de hac vita migrasset dulcissimus ac devotissimus filius vester serenissimus quondam Romanorum rex Conradus. Dubitare non oportet aut quærere sinceritatem vestram quantum dolor animos nostros pervaserit de amissione tam clementis, tam misericordis circa nos principis, de metu futuræ in imperio mutationis. Enavigavimus ita summa cum celeritate Coloniam, ut tanto esset Coloniensis ad providendum reipublicæ cautior ac liberior, quanto esset inter suos ab omni turbulentæ conventionis impetu securior. Cœperunt deinde summi principum sese per nuntios et litteras de habendo inter se colloquio pro regni ordinatione sollicitare, sicque factum est, ut cum pauci admodum crederentur venturi, maxima tamen optimatum multitudo 17 die post obitum prædicti magnifici principis in oppidum Frankenvort convenerit. Itaque concurrentibus omnium votis, imo ut verius dictum sit, præcurrere certantibus singulorum desideriis, electus est cum summo universorum assensu is, qui nunc rerum potitur Fridericus dux antea Sueviæ et pari et eadem alacritate et admiratione quinta postmodum die unctione sacra pontificium in solio regni more majorum Aquisgrani sublimatus est. Salva sane in omnibus divinæ omnipotentis reverentia, quæ operabatur in cordibus hominum ad inclinandum eorum voluntates quocunque vellet, in hac tam incredibili tam celeri concordia trahebat sua quemque voluntas. Multorum vox erat in ipsa impositione diadematis expeditionem Italicam, quam patruus ejus strenue ordinaverat, ipse firmaret ac perficeret. Sequenti vero die tam Coloniensis quam episcoporum, qui illic aderant, consilium et exhortatio erat, ut eandem militiæ sacramentis acceptis expeditionem Italicam ad propulsandas apostolicæ sedis injurias promoveret; sed laici principes simplici fortasse animo studiose suggerebant, non oportere in hac rerum novitate tam gravi sponsione principem devinciri, ne improbitas rebellantium de ipsius celeri egressu certa, in extremam dementiæ audaciam prorumperet; decere etiam ut vocatus a vobis po-

tiusquam sponte sua veniret. Ita de facili labor in quietem permutatus est. Et quidem cor regis in manu Dei est, et pro subjectorum meritis, quo placet, convertit illud. Hoc ideo dicimus, quod princeps noster nondum, ut credimus, annorum triginta, fuit antehac ingenio acer, consilio promptus, bello felix, rerum arduarum et gloriæ appetens, injuriæ omnino impatiens, affabilis ac liberalis, et splendide disertus juxta idioma linguæ suæ. Augeat in eo Deus omnium virtutum nutrimenta, ut faciat judicium et justitiam in terra, et sit vobiscum magni consilii angelus, ut declaretis eum in regem ac defensorem Romanæ Ecclesiæ, et illa ipsi ac principibus suis facere injungatis, quæ ad honorem Ecclesiæ catholicæ, et salutem populi Christiani, proficiant.

EPISTOLA CCCXLV.

FREDERICI IMPERATORIS AD EUGENIUM PAPAM III.

Per suos legatos certum eum facit de sua electione, promittitque sinceram Ecclesiæ Romanæ protectionem.

(Anno 1152.)

Dilectissimo in Christo Patri suo EUGENIO, sanctæ Romanæ Ecclesiæ summo pontifici, FRIDERICUS Dei gratia Romanorum rex et semper Augustus, filialem per omnia dilectionem et debitam in Domino reverentiam.

Patrem patriæ decet veneranda præcorum instituta regum vigilanter observare, etc. *Vide in Eugenio ad an. 1153, inter variarum epistolas ad ipsum.*

EPISTOLA CCCXLVI.

WIBALDI ABBATIS AD E. BAVENBERGENSEM EPISCOPUM.

Dat ei quædam monita in sua legatione observanda.

Anno 1152

Reverendissimo Patri suo et domino E. sanctæ Bavembergensis Ecclesiæ venerabili episcopo frater WIBALDUS, Dei gratia id quod est in Ecclesia catholica, exiguas orationes et devotum servitium.

Non sumus de schola Pythagoræ ut auditores nostros in verba nostra jurare cogamus. Licebit itaque vobis, absque ingenii nostri acerba reprehensione, de scriptura nostra immutare, demere vel adjicere. Unusquisque enim in suo sensu abundat. Veruntamen, quoniam ars nulla sine præceptore usque ad plenam rerum certitudinem capitur, licet benignum pectus vestrum scientia et eloquentia non deseratur; nostra tamen verborum lineamenta, quæ disertitudinis vestræ picturæ substravimus, nullo erunt facundiæ ornamento penitus oblitenda. Siquidem cum nos adhuc juvenes curiam intravissemus ante annos sursum versum plus minusve triginta, invenimus in quibusdam viris gravioribus imperatoriæ majestatis reliquias de contubernio et disciplina imperatoris Henrici senioris, qui verba quæ ad dominum papam et ad Urbem diriguntur, tanquam appensa et dimensa memoriter

retinebant, neque nobis in legationibus immutari, vel a rudibus legatis alterari permittebant, ne videlicet majestas imperii et ordo disciplinæ obsolesceret. Et ad comparationem quidem aliorum regum, videlicet Constantinopolitani, Hungarorum, Danorum, Northwegorum, et aliorum tam barbarorum quam Latinorum, nostri principis verba humilia sunt, et subtili appendiculo cavendum, ne inter duas et interdum dissidentes potestates, quibus fidei vinculo alligati sumus, sinceritatis nostræ rectitudinem ullo dicendi vel agendi modo distorqueamus. Reddetis nobis, cum, Deo ducente, prosperum redditum habueritis, studii nostri vicem, de alacritate eventus vestri certificare nos non abnuentes, quia licet officio et pietate præeatis, comitate tamen parem non dedignabimini. Si scribere placuerit populo Romano, quod nobis quidem faciendum in hoc articulo plurimum videtur, poterit eruditio vestra uti litteris vestris, quæ ad dominum papam scriptæ sunt, eisdem vel similibus verbis ac sententiis, paucis admodum pro personarum varietate mutatis.

EPISTOLA CCCXLVII.

HENRICI NOTARII AD WIBALDUM ABBATEM.

Ut sigillum et bullas aureas mittat Bavembergensi episcopo.

(Anno 1152.)

Domino suo dilectio Wibaldo Corbeiensi abbati, H. regie curiæ notarius servitium.

Sapientis est, propositum sibi negotium ex consilio et deliberatione promovendum assumere, assumptum compensata rerum et temporis opportunitate effectui mancipare. Bavembergensi episcopus, vir prudens et constans, ad peragendam legationem domini regis sibi injunctam, sigillum et bullas aureas, sicut promisistis, ex parte vestri jamdudum succinctus ad iter expectat. Vos autem nudas litteras ad opus domini regis ad curiam transmisistis. Certè si nobis tanta esset copia bullarum aurearum, quanta verborum, legatio domini nostri ex omni parte promotæ et maturata jamdudum processisset. De statu et processu domini regis sciat, quia bene sanus est, et omnibus in Trajecto rite peractis, per Daventriam versus partes Saxonie procedit.

EPISTOLA CCCXLVIII.

WIBALDI ABRATIS AD HENRICUM REGIÆ CURIÆ NOTARIUM.

Respondeat præcedentem.

(Anno 1152.)

Frater WIBALDUS, Dei gratia id quod est in Ecclesia catholica, dilecto in Christo sodali et amico suo H. magistro regie curiæ notario, recte judicare inter filios hominum.

Placuit eruditioni tuæ temeritatis nos inconstantiæ, etiam proposita philosophica sententia, tanquam nota censoria redarguere, pro eo scilicet, quod tibi, ut asseris, nudas litteras transmisimus, et dominum Bavembergensem episcopum, virum

A prudentem et constantem, ad legationem domini nostri regis peragendam jam accinctum retardavimus. Vulgari proverbio apud nos dicitur, quod tibi, licet inconcinne, e verbo transferre curabimus: *Male audire, facit male intelligere; et male intelligere, facit errare.* Siquidem dominus noster rex, præsentem et annuente domino Bavembergensi, ita instrumenta legationi necessaria ordinavit, ut postquam a nobis diligenter fuissent perfecta, Anselmo villico Aquensi transmitterentur, perferenda per ipsum usque ad Bavembergensem, quod nos cum maxima et instanti sollicitudine perficere studuimus. Nam die quinta post exitum vestrum a nobis, Aquisgrani dedimus puero nostro Godino perferendum sigillum argenteum perfectum, ne videlicet B illo novitio et non permansuro res regni diutius consignarentur. De nudis vero litteris, quas cum eodem sigillo misimus, lectores et auditores judicabunt utrum splendore sententiarum et ornamentis verborum prorsus nudæ sint. Quas nos tamen ex regio mandato, et pro episcoporum precibus non ad doctrinam vestram, sed tanquam picturæ vestræ quædam liniamenta propter materiæ novitatem coacti substravimus, et vobis ad notitiam rerum conservandam, custodiendas transmisimus. Decima postmodum die, hoc est in cœna Domini, perfecta sunt ferramenta ad bullandum de auro, quæ vobis per præpositum de Marsna sub celeritate transmisimus. Eadem vero die misimus Aquensi Villico sigillum stanneum diligenter expressum ad formam argentei, et duas bullas aureas perfectas, cum omnibus litteris et salutationibus, quæ domino Bavembergensi opportunæ erant, additis insuper propriis admonitionis nostræ litteris, quas quarta feria paschalis hebdomadæ recipere, si per nuntios neglectum non est, absque dubitatione potuit. Non igitur oportuit prudentiam tuam aures principis inquietare, tanquam opus ipsius et mandatum fuisset a nobis omissum, cum a juventute nostra sub tribus inclytis augustis principali jussione vigilanter obtemperare didicerimus. Sed ab ingressu quorundam in regiam curiam, qui nec scientia nec experientia rerum majestatem et imperii dignitatem perceperant, nostra et quorundam aliorum principum opera vel prorsus cessavit vel superflua visa est. D Neque hoc dicimus, quod quietis nostræ impatientes evagari et aliena curare concupiscamus, et judicandi ab omnibus, ferre de cunctis sententiam desideremus. Cæterum super hoc plurimum gaudeamus, quod de copia verborum in responsis regiis procurandis gloriatus est, quorum abundantia non a nobis solum, sed a multis regni fidelibus diu satisque desiderata est. Gratias autem referimus omnipotenti Deo de sospitate domini nostri regis. Sed nos a tua industria de statu ipsius requirentes, non ad incolumitatem corporis, quæ tamen curæ nobis, sed ad primordia novi regnatoris animum intendimus, utrum diligat justitiam qui judicat terram, utrum in eodem proposito fervens esset an len-

lus, efficax an vacuus. Remisimus autem tam ad ipsum dominum nostrum, quam ad tuam experientiam præsentem puerum nostrum, ut nobis absque retardatione remandes, utrum dominus noster per Corbeiam transitam sit habiturus.

EPISTOLA CCCXLIX.

WALCIODORENSIUM MONACHORUM AD WIBALDUM ABBATEM.

Orant ut regimen monasterii ad quod ipsum elegerant suscipiat.

(Anno 1152.)

Doctrina totius prudentiæ insigni domino WIBALDO abbatum egregio, consolationis suæ esuriens prudentiam Walciodorensium conventus, utriusque vitæ jucunditatem per moderationem sacræ dispensationis acquirere.

Venerande Pater et domine, destituto grege nostro pii pastoris solatio, ejus ovile morsibus plurimorum circumquaque unanimiter latrantium patuit, metuque istius impetus vehementer commoti, procul dubio cognoscimus talibus indiciis, quoniam ejus mortis occasus nostræ erit desolationis eventus, nisi periclitantibus nobis vestræ prudentiæ præsens adfuerit consolationis portus. Hac itaque perturbationis controversia pavefacti, post Deum ejusque genitricem, beatissimam videlicet Mariam spei nostræ anchora in sinu consolationis vestræ collocata, sub vestrarum alarum protectione confugimus, ac de vestra fidei magna pietate quatenus ab imminente periculo et nos et nostra vestro moderamine liberentur, vos ad regimen animarum nostrarum, custodiamque imminentium adversitatum assensu omnium in abbatem elegimus. Votis igitur præcordialibus consilium vestræ adminiculationis nobis adesse deposcimus, quatenus vestra freti consolatione, sub vestræ dispensationis regimine corporis et animæ tranquillitatem, valeamus acquirere, ipsumque regimen, ne vestra faceta urbanitas alicujus excusationis pondere valeat postponere, illud vos vestris genibus provoluti suppliciter precamur suscipere. Omnium bonorum custos Spiritus sanctus ad communem utilitatem regni et Ecclesiæ et nostram dignetur vos regere et conservare.

EPISTOLA CCCL.

HENRICI LEODIENSIS EPISCOPI AD STEPHANUM METENSEM.

Adversus Hasterienses monachos, qui duos in Walciodoro abbates volebant.

(Anno 1152.)

Reverendo fratri suo et amico STEPHANO Metensis Ecclesiæ venerabili episcopo, HENRICUS Dei gratia sanctæ Leodiensis Ecclesiæ humilis minister, fraternas orationes, et debitam in Domino dilectionem.

Pastoralis officii sollicitudo nos admonet, ut commissarum nobis ovium vigilantibus studio curam exer-

(171) Bronium ordinis S. Benedicti abbatia, diocesis Namurcensis, a S. Gerardo abbate fundata, cu-

ceamus, ut tam errantes instar summi pastoris ad ovile reportemus, quam obedientes et nulla discordiæ labe infectos, ad vitæ pascua adducamus, et nominatim vocemus. Eapropter discretioni vestræ suggerendo notificamus, quod monachi Hasterienses vagi et erronei, ac novitatibus intendentes, res ejusdem monasterii prorsus destruunt, et quosdam perversitatis suæ fautores, tam pretio quam promissionibus alliciunt, hoc suæ pertinaciæ emolumentum capere cupientes, ut in una, hoc est Walciodorensi abbatia, duo abbates contra sacrorum canonum instituta et apostolici privilegii auctoritatem ordinentur. Monemus itaque dilectam nobis in Christo prudentiam vestram, ne tam grave scandalum apud vos foveri et crescere sinatis, et ita de jure proprietario, quod in Walciodorensi abbatia Ecclesia Metensis habere dignoscitur, moderata discretione tractetis, ut Leodiensis Ecclesiæ, ad cujus officium pertinet electionem examinare, electum consecrare, terminos non attingatis. Nos enim divinam ultionem metuentes, diutius dissimulare non possumus, quin eos ad regularis electionis ordinem canonica severitate, pro nostri debito officii, compellamus, cum præcipue paterne admoniti, delegatis etiam quinque religiosi ad eorum visitationem abbatibus, obedire hactenus contempserint.

EPISTOLA CCCLI.

HENRICI LEODIENSIS EPISCOPI AD WALCIODORENSES ET HASTERIENSES.

Ut talem eligant abbatem, qui pene emortuam disciplinam suscitaret.

(Anno 1152.)

HENRICUS Dei gratia Leodiensis episcopus, fratribus qui sunt Walciodoro et Hasteriæ, spiritu consilii et pietatis abundare.

Quoniam abbas vester viam universæ carnis ingressus est, et secundum curam nobis commissam sollicitudo nobis Ecclesiarum quoque vestrarum imposita est, vota ad Deum fundimus, ut talem suo gregi ministrum substituat, cujus ope et studio beata monachorum religio vires accipiat et accrescat, quæ quia inter vos aliquandiu tepuit, et odorem bonæ opinionis suæ, supra quam necesse esset, turbavit, auctoritate a Deo nobis indulta vobis præcipimus ut, congregatis de circuitu religiosi abbatibus Floriensi, Broniensi (171), Gemblacensi et Floreffensi, talem vobis eligatis pastorem, qui jam pene emortuam in vobis resuscitet religionem. Valete.

Nomina abbatum Walciodorensium et Hasteriensium.

Hæc sunt nomina abbatum, qui Walciodorensi cœnobio præfuerunt, et Hasteriensem Ecclesiam cum omnibus suis appendiciis sub unius abbatiae nomine tenuerunt : Dominus Forannanus episcopus et abbas, dominus Kadroc, dominus Machalanus, dominus Immo, dominus Theodericus, dominus jus hodie abbatialis mensa episcopatus Namurcensis unita est.

Frembertus, dominus Rodolfus, dominus Lambertus, A
dominus Godescalcus, dominus Wulricus, dominus
Theodericus.

EPISTOLA CCCLII.

STEPHANI EPISCOPI METENSIS AD WIBALDUM ABBATEM.

Assignat ei diem qua ipsum convenire queat.

(Anno 1152.)

STEPHANUS Dei gratia Metensis episcopus, WIBALDO
eadem gratia abbati Stabulensi dilecto suo, salutem
et omne bonum.

Litteras dilectionis vestræ libenter suscepimus,
ex quibus adventum vestrum apud nos pro contro-
versia Walciodorensium et Hasteriensium intellexi-
mus. Sed quoniam diem a vobis postulatam obser-
vare non possumus, statuimus vobis aliam, scilicet
proximam secundam feriam post sextam a vobis B
nominatam, et hoc Metis. Valete.

EPISTOLA CCCLIII.

CONVENTIO INTER FRIDERICUM REGEM ET BERTOLFUM
DUCEM.

(Anno 1152.)

Hæc est conventio inter dominum regem Frideri-
cum et ducem Bertolfum.

Dominus rex dabit eidem duci terram Burgundiæ
et Provinciæ, et intrabit cum eodem duce in præ-
dictas terras, et adjuvabit eum easdem terras sub-
jugare per bonam fidem ex consilio principum, qui
in eadem expeditione erunt. De terra quam modo
habet comes Willelmus Matisconensis ex parte
neptis suæ faciet duci justitiam, aut ex consilio C
principum, aut ex iudicio ipsorum dominatum et
ordinationem utriusque terræ dominus rex habe-
bit, quandiu in ipsis terris fuerit. Post discessum
regis dux utrasque terras in potestate et ordinatione
sua retinebit, præter archiepiscopatus et episcopa-
tus, qui specialiter ad manum domini regis perti-
nent. Si quos autem episcopos comes Willelmus
vel alii principes ejusdem terræ investierint, eos-
dem dux investiat. Et quod hæc conventio ex parte
domini regis observabitur, fide data firmaverunt
Henricus dux Saxonie, dominus Welfo, Arnoldus
cancellarius, comes Odelricus de Lencenburch,
comes Egeno, Odelricus comes de Hornunge,
Marcq. de Gronbach, Arnoldus de Biberbach, Otto
Palatinus comes de Witelinesbach, Walterus dapi- D
fer, Hildebrandus pincerna, Conradus Colbo et fra-
ter suus Sigefridus. Dux Bertolfus habebit cum
domino rege mille loricated equites, quandiu domi-
nus rex in illis terris fuerit. In Italicam expeditio-
nem ducet cum domino rege, quandiu in ipsa expe-
ditione fuerit, quingentos loricated equites et quin-
quaginta arcobalistarios. Et quod dux hæc omnia
servabit sine dolo et sine fraude, dabit domino regi
in pignore allodium suum, castrum scilicet Teche
cum omnibus ministerialibus et prædiis ibidem
pertinentibus, Helligen, Williggen et Erstem cum
omnibus eorum pertinentiis. Et quod dux ex omnia
observabit, juraverunt homines sui Burchardus et

Werhnerus. Dominus autem rex expeditionem in
prædictas terras movebit a proximis Kalendis Junii,
quæ sunt indictione xv infra annum.

EPISTOLA CCCLIV.

OTTONIS EPISCOPI FRINSINGENSIS AD WIBALDUM ABBATEM.

Explicat quemdam psalmi versiculum.

(Anno 1152.)

Venerabili in Christo fratri et amico præcordiali
WIBALDO Corbeiensi abbati, O. Frisengensis Eccle-
siæ minister, id quod est salutem cum devoto ob-
sequio.

Quod negotium, pro quo ac curiam miseratis,
debitum processum non habuerit, in nobis non re-
mansit. De cætero super quæstione quam nobis mo-
vistis Aquis, quomodo videlicet ad Ascensionem,
Domini referri valeat quod in psalmo legitur : *Tol-
lite portas, principes, vestras, et elevamini portæ
æternales; et : Quis est iste rex gloriæ*, breviter re-
spondemus triplicem in eadem auctoritate sensum
reperiri, quorum iste unus est. Legite glossas Psal-
terii et invenietis super *attollite portas*. Virtutes mi-
nistræ ad alias cœlestes clamabant, ut viam ape-
riant, quæ novo mysterio carne induti stupefactæ
quærent, *quis est iste ?* sed et illum quem dixistis de
principibus tenebrarum et portis mortis : unde ille
cantus : *Sum rex gloriæ*, factus est; ibi invenire
poteritis, ita tamen ut portæ æternales non sint in-
fernales, sed item cœlestes. Unde est rursus illa
Glossa : *Attollite*, id est auferte, portas mortis, quæ
a principe diabolo positæ sunt, et *elevamini* contra
portas mortis portæ æternales. Omnis gratia quæ,
veniente Christo, data est. Et alibi : Angeli præeun-
tes ad infernum dicunt : Auferte potestatem vestram.
Et in Ascensione dicunt, secundum vos, principibus
tenebrarum in descensione ad inferos : *Attollite*, id
est auferte *portas principes vestras*; dicunt secun-
dum nos principibus suis in ascensione ad cœlos ;
Tollite pro aperite, ut idem sit *tollite portas*, quod
et *elevamini portas æternales*. Tertius ejusdem le-
ctionis sensus mortalis est. Hæc idcirco charitati
vestræ scripsimus, non quod sapientiam vestram
nostra insipientia doceri ambiamus, sed quod no-
stram imperitiam apud vestram solertiam excusa-
tam esse desideramus, ut quia multifarius Scriptu-
rarum sensus noscitur, nobis non imputetis, quasi
hanc auctoritatem in Ascensione Domini de ascen-
sione ad populum loquentes, de nostro potius quam
sanctorum Patrum corde induxerimus, cum secun-
dum primum sensum illi in psalmo dicant : *Quis est
iste rex gloriæ ?* qui in propheta aiunt : *Quis est
iste qui venit de Edom ?* stylo non succenseatis, quo-
niam festinanter scripsimus. Personam vestram
vera in Deum charitate diligimus, et de omnibus
quæ vobis nocere possunt, præcipue de his quæ a
Saxonibus antiquis regni hostibus fraternitati ve-
stræ illata sunt, plurimum dolemus.

EPISTOLA CCCLV.

WIBALDI ABBATIS AD JORDANUM CARDINALEM.

Gratias agit pro exhibitis suis beneficiis, oratque ut causam Xantensis præpositi committat archiepiscopo Coloniensi terminandam.

(Anno 1152.)

Reverendo Patri suo et domino JOR. (172) sanctæ Romanæ Ecclesiæ venerabili presbytero cardinali, apostolicæ sedis legato, frater WIBALDUS Dei gratia id quod est in Ecclesia catholica, exiguas orationes et devotum servitium.

Dignationi vestræ multiplices gratiarum actiones referimus, quod, quandiu in Lotharingia fuistis, memoriam nostræ parvitatæ in magna benevolentia et benedictione habuistis, nostrosque ac nostra juxta temporis opportunitatem prompta defensione adjuvistis, sicut per litteras fidelium nostrorum longe remoti didicimus. Pro his tam paternæ misericordiæ officiis et personam vestram propensius de cætero diligere et Romanam curiam attentius venerari disposuimus, ita ut neque mors neque vita nos ab ipsius charitate possit divellere. Cum reverentes ab Urbe Coloniæ cum domino archiepiscopo pervenissemus, invenimus dominum Theobaldum Xantensem præpositum gravi et longa infirmitate adeo debilitatum, ut cute ossibus adhærente, infirmum vix traheret spiritum. Audivimus autem priores Coloniensis Ecclesiæ in magno clericorum conventu confitentes, quod prædictus præpositus se ad omnem justitiam frequenter in Coloniensi Ecclesia exhibisset super querela, quam canonici sui adversus eum habuerant, cum iidem canonici sæpe a majore præposito et prioribus pro hoc vocati venire supersedissent. Proinde nos filii vestri ausu veræ charitatis, qua vos in Domino diligimus, vestræ oculatæ discretionis suggerimus, ut eandem causam domino Coloniensi archiepiscopo tractandam terminandamque remittatis, nec de gravamine prænominati præpositi vobis ab aliquo persuaderi permittatis.

EPISTOLA CCCLVI.

ARNOLDI COLONIENSIS ARCHIEPISCOPI AD WIBALDUM ABBATEM.

Quærit ab eo an possit velare sanctimonialia in Pentecoste.

(Anno 1152.)

ARNOLDUS Dei gratia si quid est sanctæ Coloniensis Ecclesiæ humilis minister, domino WIBALDO eadem gratia venerabili Corbeiensi abbati, salutem et obsequium.

In octava Pentecostes sanctimonialia velare disposuimus, sed quidam ad nos referebant, hoc non licere, nisi in Epiphania Domini et natalitibus apostolorum et in secunda feria Paschæ. Quocirca non plene memores quid super hoc a domino papa docti simus, prudentiam vestram, quæ sacri juris articu-

(172) Hunc cardinalem apostolicæ sedis legatum valde perstringit S. Bernardus epist. 290 ad cardinalem Ostiensem, ubi ipsius nequitias avaritiamque describit.

A los plenius agnoscit, consultantes, rogamus, quatenus super hoc vestra eruditio scripto nos certificare dignetur, an in prædictis duntaxat solemnitatibus (173), an in diebus tantum Dominicis, quod a domino papa accepisse videmur, liceat velari sanctimonialia.

EPISTOLA CCCLVII.

WIBALDI ABBATIS AD ARNOLDUM ARCHIEPISCOPUM COLONIENSEM.

Respondet ad præcedentem et de quibusdam aliis agit.

(Anno 1152.)

Reverendo in Christo Patri suo et domino ARNOLDO, sanctæ Coloniensis Ecclesiæ venerabili archiepiscopo, frater WIBALDUS Dei gratia, id quod est in Ecclesia catholica, exiguas orationes et devotum servitium.

Humilitas excellentissimi præceptoris, qui imitatoribus suis præcepit: *Vos autem nolite vocari Rabbi*: et charitas, quæ non inflatur, vos docuerunt; ut sacrorum canonum instituta, quorum scientia eruditioni vestræ notissima est, a nostra parvitate investigare dignaremini. Siquidem quo tempore fieri debeat virginum consecratio, habemus ex decretis Gelasii papæ cap. 11 ita dicentis: *Devotis quoque virginibus, nisi aut in Epiphania, aut in Albis paschali-bus, aut in natalitiis apostolorum sacram minime velamen imponatur, et non ante viginti quinque annos, nisi forte, sicut de baptisate dictum est, gravi labore correptis, ne sine hoc munere de sæculo exeant, implorantibus non negetur.* Si igitur ab aliquo episcoporum contra hujus sacræ regulæ formam factum meministis, quod ab uno, vel a paucis, vel necessitate præsumptum vel ignorantia neglectum est, in observantiam universorum transire non potest. Verum quod non plane memor estis, quid a domino papa de sanctimonialium, velatione doctus sitis, in quantum memoria nostra recolligere possumus, non de sanctimonialium, sed de episcoporum consecratione fuit, super qua, quod in natalitiis apostolorum et in aliis solemnitatibus, sed et in Dominicis tantum diebus fieri debeat, auctoritatem canonum exstare asseruit, quæ hujusmodi est ex epistola Leonis ad Dioscorum. Quod die Dominico ordinationes sacerdotum celebrantur, non tantum ex consuetudine, sed et ex apostolica novimus venire doctrina, Scriptura manifestante, quod cum apostoli Paulum et Barnabam ex Spiritus sancti præcepto ad Evangelium mitterent gentibus prædicandum, jejunantes et orantes imposuerunt eis manus, ut intelligamus, quanta et dantium et accipientium devotione curandum sit, ne tantæ benedictionis sacramentum negligenter videatur impletum. Et imo pie et laudabiliter apostolicis morem gesseris institutis, si hanc ordinandorum sacerdotum formam per Ecclesias, quibus Dominus præesse te voluit, et ipse reservaveris, ut his, qui consecrandi

(173) De virginum consecratione egimus in lib. II De antiquis Ecclesiæ Ritibus cap. 6; ubi de die consecrationis disseruimus, num. 5.

sunt, nunquam benedictio nisi in die Resurrectionis Dominicæ tribuatur, cui a vespere Sabbati initium constat ascribi, quæ tantis divinarum dispensationum mysteriis est consecrata, ut quidquid a Domino insignius est constitutum, in hujus diei dignitate sit gestum. In hac mundus sumpsit exordium, in hac per resurrectionem Christi et mors initium et vita accepit incrementum. Princeps noster per bonam de se merentibus spei fiduciam præstat, qui magna cum benevolentia et jucunditate beneficii vestri recordatur, quod ei gratis et plusquam gratis in suis ad imperii culmen proVectibus exhibuistis, et postmodum in suis primordiis singulari fide et constantia ad rempublicam, et sua emolumenta indeficienter astitistis : inde est quod Lotharingæ regnum vestrum est, et per vestram provisionem et operationem cuncta disponere intendit. Fideles super hac re monitores sunt cancellarius et notarius, opportuni sane propter quorumdam laicorum oblationes. De castello quod nuper gloriose expugnastis, licet vobis absque mentis regie offensa, quidquid commodissimum est ordinare. Parcite Prumiensi (174) abbati, ne serenus augustus in Deum peccet cum suæ famæ vel modico detrimento. Veniemus ad vos in martyrio Petri et Pauli, sed licet a Mindensi episcopo pro causa ipsius obnixè rogati, apud vos tamen et vobiscum futuri. Monachi Sancti Remigii (175) qui sunt in Marsna multum vexantur calliditate Goswini, quos nisi pietas vestra protexerit, omnino illudentur.

EPISTOLA CCCLVIII.

ARNOLDI COLONIENSIS ARCHIEPISCOPI AD HENRICUM MINDENSEM EPISCOPUM.

Conqueritur quod ejus nutu a fidelibus suis truncatus membris fuerit Vortlevius, citatque ipsum Coloniæ, et omnes sceleris hujus complices coram responsuros.

(Anno 1152.)

ARNOLDUS Dei gratia si quid est sanctæ Coloniensis Ecclesiæ humilis minister, HENRICO eadem gratia venerabili Mindensi episcopo, salutem et orationes in Domino.

Luctuosa quidem et omnino miserabilis querimonia de novo et infandissimo scelere, ad nos et sanctam matrem nostram Coloniensem perlata, omnium mentes acerbissimo dolore turbavit, horrore terruit, compassione commovit. Rediit siquidem a Mindensi civitate ad Coloniensem urbem, ubi natus est, frater Vortlevius vir utique, dum apud nos vixit, inculpata vitæ, qui in domo beati Petri, præsentente tota Coloniensi Ecclesia et pluribus principi-

(174) Prumia imperiale est monasterium in diocesi Trevirensi a Pippino Francorum rege et Bertha ejus uxore ad Prumiam flumen novo opere constructum, secessu Lotharii imperatoris, qui medio jacet in choro, celeberrimum.

(175) Cella erat ab archimonasterio Remensi S. Remigii dependens, primo a Trajecto ad Mosam lapide sita, olim in diocesi Leodiensi, nunc in Ruremondensi, quam Gerberga regina consilio Gerardi

abus, qui ad solemnitatem regie susceptionis conveniant, subito ad pedes nostros prostratus, horridas vulnerum cicatrices et cavernas oculorum ipsis orbatas oculis miserabiliter præmonstrans, gravem, et a vestra utinam serenitate alienam querimoniam in vestram personam intendit, affirmans quod instinctu et nutu facta de ipso ad fideles vestros querimonia, ab eisdem membris truncatus, et quod in vita miserrimum est, cæcus factus sit. Quia vero in cathedra beati Petri licet indigni auctoritate tamen apostolicæ præceptionis vim passi residemus, justitiæ lineis inhærentes, habito conventu abbatum et omnium priorum Coloniensium, et coram eis iterata querimonia, quæ in vos prolata est, iudicio Ecclesiæ ad quadraginta dies post acceptas has nostras litteras, sicut ratio temporis canonicas inducias diffinit, vestram nobis præsentiam Coloniæ exhiberi ex apostolica auctoritate et nostra fraternitati vestræ mandamus. Et quia crudelis est, qui famam suam negligit, quod Deus a vestra serenitate avertat, nihilominus mandamus, ut eos, quos præfatus Vortlevius hujus tanti sacrilegii auctores astruit, et quos post perpetratum facinus ad vos regressos et vobiscum in domo familiariter commoratos dicit, ad famam gloriæ vestræ pro se responsuros Coloniæ eadem die venire districtè commoneatis. Novit enim vestra eruditio, quid in hujusmodi malefactores apostolica decreta sanxerint. Præterea eos, quos idem Vortlevius testes invocat, quod eis præsentibus minæ vestræ in eum et querimonia ad eos, qui ipsum excæcaverunt, prolatae sunt, et duos fratres, quos de traditione notavit, modis omnibus vobiscum petimus nobis exhiberi, et ut factorum et dictorum veritas pateat, et eo fine cuique justitia sua tribuatur, ut spiritus salvus fiat. Prædictorum nomina subternotavimus. Malefactores : Elgerus, Wiuerus, Bernardus, Poppo, Fridericus, Wikerus, Arnoldus, Eiluardus, Robertus. Testes invocantur. Abbas de Insula, Wernerus præpositus, Anno præpositus, Robertus decanus, Godeboldus magister scholæ, Nitbardus abbas de Bursvelde (176). Traditionis notati : Eppo, Reimarus.

EPISTOLA CCCLIX.

WIBALDI ABBATIS AD FRIDERICUM IMPERATOREM.

Vindictam petit de illata suis contumelia a Folcuino et Widikindo.

(Anno 1152.)

Inclyto triumphatori ac serenissimo domino suo, FREDERICO Dei gratia glorioso Romanorum imperatori Augusto, frater WIBALDUS Dei gratia id quod est

Tullensis episcopi fundavit, de qua vid. Marlotum in lib. III hist. Rem.

(176) Bursvelde seu Bursfelda monasterium ordinis sancti Benedicti in Saxonia, diocesis Moguntinensis, in honorem SS. Thomæ apostoli et Nicolai confessoris, ab Henrico comite de Northheim et Gertrude ejus uxore fundatum, quod celeberrimæ congregationi in Germania nomen dedit, hodie Lutheranorum evasit præda.

in Ecclesia catholica, salutem in eo, qui dat salutem A regibus.

Injuriam, quæ Corbeiensi Ecclesie et nobis illata est, propriis verbis explanare non valentes, cum propheta ingemiscimus dicentes : *Expectavimus pacem, et non venit, et tempus curationis, et ecce turbatio*. Sperabamus enim in tempore et maxime in primordiis regni vestri, quem Deus mirabili et celeri potentia sua, omnium principum summa et desiderabili conniventia in regni solium sublimavit, latronum manus esse compressas, furta vindicata, perfidiam eliminatam : quippe cum vestrae potentiae nulla possit nequitia obsistere, in hac confidentia securos et nihil omnino metuentes invaserunt nos homines nostri, qui nobis fidelitatem juraverunt, et magna beneficia a nobis habent, et armata manu in-
Btraverunt oppidum nostrum Huxariam, et praemissa paulatim et per turmas militia, tandem armati et patentibus vexillis super incautos Folcuinus videlicet et Widekindus fratres, et in vastitate hostili totum locum occupaverunt. Triduo itaque ibidem commemorantes, et omnem circa regionem, quæ ad praebendam fratrum specialiter pertinet, penitus devastantes, nefandissima scelera in viros ac mulieres passim commiserunt, et post publicam atque communem rapinam, quæ aestimata est fuisse nongentarum librarum denariorum, a captivis melioribus, quos a pauperiore turba segregaverant, ducenas quinquaginta tres libras nummorum extorse-
Crunt. Insuper vallum et munitiones, quæ auctoritate regia, et praecipue privilegio beatæ recordationis patris ac praedecessoris vestri constructæ fuerant, cum advocati essent ejusdem loci, destruxerunt. Nullæ inter nos et ipsos inimicitiae erant, sed proxime cum ab eis in osculo pacis recesseramus, nullam unquam querimoniam vel nobis vel alicui super praedictos burgenses fecerant, nec alicujus mali suspicio inter ipsos et nostros habebatur. Pro hac tam atroci calumnia fratres nostri cum absentes essemus, corpora sanctorum Viti et Justini, quæ apud nos requiescunt, in terram deposuerunt, et humiliatis crucifixi Salvatoris nostri imaginibus, ab omni deinceps solemni officio divino et a pulsatione campanarum abstinerunt. Provoluti ergo genibus vestrae majestatis, tam nos quam fratres nostri, et
Dtota familia Corbeiensis, clementiam vestram suppliciter exoramus, ut sicut decet principalem excellentiam, vindicare non differatis hanc insignem contumeliam, quæ vestram dignitatem non modica ex parte obscurat. Alioquin non solum vobis et regno servire, sicut in praecipuo habemus, ultra non poterimus, sed etiam in terra Saxoniae cum honore habitare non valebimus.

EPISTOLA CCCLX.

WIBALDI ABBATIS AD BERNARDUM PATHERBURNENSEM ANTISTITEM.

Ut de Folcuino et Widikindo qui Corbeiensium Ecclesiam invaserant et violaverant sumat vindictam.

(Anno 1152.)

Reverendo in Christo Patri suo et domino BER-

NARDO sanctae Patherburnensis Ecclesiae venerabili episcopo, frater WIBALDUS Dei gratia id quod est in Ecclesia catholica, exiguas orationes et devotum servitium.

Confidimus de misericordia Dei et vestra benignitate quod memoriae vestrae tenacius inhæreat, quanta benevolentia paternitatem vestram ex longo tempore dileximus, et quod quietem vestram nunquam perturbare studuimus, sed et nos memoriter et jucunde recordamur, quod pari vicissitudine jugiter a vobis dilecti fuimus. Novit autem discretio vestra, quam violenter et inhoneste propinqui vestri et homines tam vestri quam nostri Folcuinus et Widekindus nos et ecclesiam Corbeiensem invaserint, et quanta turpitudine oppidum et oppidanos nostros
Baffecerint, quantaque temeritate ecclesiam et loca consecrata violaverint, dum homines nostros ad ecclesiam tanquam ad singulare refugium confugientes, in manu armata a sacris aedibus abstraxerunt, et praeter communem praedam suppellectilis, quæ difficile supputari potest, ad exsolvendam pro salute sua ducentas quinquaginta tres marcas miseros sub periculo captivitatis et mortis compulerunt. Quia vero has multiplices injurias et graves diutius dissimulare non possumus, conquerimur vobis inter alia id quod episcopalem respicit vindicationem, sacrae videlicet ecclesiae violationem, et ut nobis tam de nominatis quam de aliis parochialis vestris ecclesiae violatoribus, quorum nomina vobis trans-
Cmisimus, justitiam tanquam de notorio crimine faciatis, tum pro charitate Dei, tum pro reverentia domini papae, vos obnixè interpellamus, cujus etiam geminas epistolas pro eadem causa, quas apud nos habemus, opportuno tempore vobis offeremus. Sed et hoc nos volumus discretionem vestram scire, quod de reparandis munitionibus oppidi nostri in proxima curia, quæ apud Wirtsburch celebrata est, judicium regni coram domino rege et universis principibus accepimus, ad quod opus cum Marescalcum domini regis praesentem habeamus, ut vestros ministeriales ab infestatione nostra prohibeatis, si forte illi domini iterum nos infestare voluerint, dilectionem vestram attente monendo rogamus. Quod itaque de nostra petitione estis factururus, ut nobis
Dper litteras vestras et per praesentem nuntium significare curetis, obsecramus. Ideo autem celerem vindictam de crimine notorio expetimus, quia omnibus manifestum est, et negari non potest, quod ecclesiam et sacrum coemeterium violaverint, et inde homines ad extorquendam supra taxatam pecuniam per violentiam extraxerint.

EPISTOLA CCCLXI.

ARNOLDI ARCHIEPISCOPI COLONIENSIS AD WIBALDUM ABBATEM.

Conuotet ejus aaversitatibus, notamque ei facit obsidionem castris Seyne.

(Anno 1152.)

WIBALDO dilecto fratri suo venerabili sanctae Corbeiensis Ecclesiae abbati, ARNOLDUS Dei gratia si

quid est, Coloniensium humilis minister, salutem A cum intima dilectione et obsequium.

Etsi familiaritatis nostræ bene inchoatæ, bene deinceps conservatæ series, verbis exprimi non possit, paucis tamen de ipsa loqui, et ejus recordatione frui adeo suave est, ut sensu quidem intelligi possit, sed in sermone experimentum non habeat. Cum igitur omnibus adversitatibus vestris ex debito compatiar, maxime tamen et justius doleo id, quod cum ad synodum nostram veneratis, invasionem iniquorum passus estis. Quidquid igitur super his honori vestro convenire videbitur, libenter prosequar, quousque satisfactio condigna afferatur. Nunc autem ne status noster vos lateat, sciatis quod in obsidione castri Seyne positi simus, exitum rei adhuc ignorantes, et mentem domini Trevirensis B quasi in pendulo reputantes. Multa tamen tam timenda quam speranda auribus nostris allabuntur, sed charitas foras mittit timorem, spes autem non confundit. Noscat Deus, qui scrutator omnium est, quod non pro privato odio, sed pro justitia et curæ pastoralis debito violatores pacis prosequar. Necesse enim est, ut quia terra diu commota et conturbata est, sanentur ejus contritiones. Nunc autem quia omnes inimici pacis inimici mihi facti sunt, obsecro orationes ab Ecclesia vestra pro peccatis meis fieri, ut sine quo nihil est validum, ejus adjutorio possimus subsistere. Valet. Si quid aliud nobis occurrerit, vos non latebit.

EPISTOLA CCCLXII.

ARNOLDI ARCHIEPISCOPI COLONIENSIS AD EUGENIUM PAPAM III.

Causam Mindensis episcopi de excæcatione Wortlievi clerici ei remittit, lata interim excommunicationis sententia in criminis hujus auctores et fautores.

(Anno 1152.)

Reverendo Patri ac summo pontifici EUGENIO, ARNOLDUS sanctæ Coloniensis Ecclesiæ humilis minister, W. majoris ecclesiæ præpositus, A. decanus, T. Xantensis præpositus, G. Bunnensis præpositus, et universus præfatæ ecclesiæ conventus, debitam cum omni subjectione obedientiam.

De controversia, quæ inter episcopum Mindensem, et pauperem clericum Wortlievum nomine coram nobis ventilata fuit, admoniti et rogati ab D utraque parte testimonium dare super his quæ vidimus et audivimus, et coram nobis tractata sunt, testimonium perhibemus. Notum igitur excellentiæ majestatis vestræ facimus, quod jam dictus pauper ad præsentiam nostram veniens, querimoniam miserabilem et lacrymabilem coram nobis deposuit, quod consensu et jussu episcopi a ministerialibus suis excæcatus sit. Communicatio itaque consilio super hac causa cum fratribus nostris, visum fuit nobis, ut episcopus ad audientiam nostram evocaretur, et super hoc verbo audiretur. Qui cum responsurus impositis præsentiae nostræ se exhibuisset, et de hoc nefando facto pulsatus fuisset, confessus fuit, quod undecim ministeriales

A de domo sua egressi, et ad eam regressi, hoc scelus tam detestabile, se nesciente, perpetrassent. Adjecit quoque, quod cum in hos omnes tam consentientes quam facientes, sententiam vestræ excommunicationis pronuntiasset, quod tumultu populi quosdam eorum, qui in comitatu fuerant, quoniam manum se in clericum misisse negaverunt, absolvere coactus sit. Post hujusmodi confessionem, cum purgationem innocentiae suæ nobis offerret, Ecclesia tota fere reclamante, non fuimus ausi eam audire, tum quia periculosum nobis visum fuit propter hujusmodi confessionem, tum quia talium excessuum vindictam vobis soli servastis. In malefactores autem omnes, tam consentientes quam facientes, sententiam vestram cum omnibus suffraganeis nostris, præter Trajectensem, qui tunc forte abfuit, ita promulgavimus, quatenus catenis nostris firmiter teneantur, quoadusque præsentiae vestræ se exhibeant, et secundum mandatum vestrum condignæ satisfactioni se supponant. Vestræ igitur paternitatis interest, ut sub tali testimonio dictorum atque factorum in beneplacito discretionis vestræ et prudentiæ super hoc negotio judicetur.

EPISTOLA CCCLXIII.

MONIALIUM DE OSTERMERE AD WIBALDUM ABBATEM.

Conqueruntur de ministerialibus ipsius, qui datam sibi ab eo decimam invadebant.

(Anno 1152.)

Patri eximio ac domino dignissimo Corbeiensi abbati, domino WIBALDO, speciales ejus filiae in loco, qui dicitur Ostermere, a lippitudine Liæ ad speciositatem Rachelis proficiendo transire.

Quanta sublimitatis vestræ amplitudinem deceat laudum magnificentia, si litteris assignare conemur, pro sensus nostri parvitate deficimus. Vestri tamen memoriam nobis dulcissimam super altare incensi orationum nostrarum jugiter ignis adolebit, et ut paternæ dignationi vestræ, quam nobis, licet indignis hactenus in omnibus negotiis nostris pie exhibuistis, superabundans remunerator occurrat, et serenitatis vestræ audientiam pauperum suorum querelis Christus indulgeat. Proinde, Pater sanctissime, ad vos tanquam ad fontem misericordiæ, scienter exæstuans nostra tendit oratio, ut causam negotii nostri, prout Spiritus sanctus pectori vestro dictaverit, plenarie discutiendo terminetis. Notum ergo facimus nobilitati vestræ, imo lacrymabiliter conquerimur mellifluæ paternitati vestræ, quia ministeriales vestri vehementer nos infestant, pro decima, quam divina nobis annuente clementia, vestra concessit providentia, ac infringere ac annihilare, quæ vestra auctoritate et consilio stabilita sunt, volunt, et omnimodis auferre conantur, nisi a vestra dignitate commoneantur. Hanc igitur, reverendissime domine, tam ineffabilis doloris injuriam vestræque personæ, quia ipse in causa fuistis, contumeliam per nos effugere non valemus, nisi vestra compassione fretæ fuerimus. Quapropter, o pium solamen animarum nostrarum, o spes nostra post

Dominum, licet corpore absentes, spiritu tamen A
 præsentes, toto cordis ac mentis affectu ad sinum
 paternæ miserationis vestræ humiliter provolutæ,
 suppliciter et contritione Spiritus sancti clementiam
 vestram obsecrantes, quatenus causa Dei et domini
 archiepiscopi, qui nos clementiæ vestræ perintime
 commendavit, litteras vestras ad episcopum Pather-
 burnensem dirigatis, eumque rogetis ut sua aucto-
 ritate confirmet, ne nos ulterius infestent, et quæ
 jure possidemus, inconvulsa permaneant. Valete.
 Patrem nostrum charissimum sanctitati vestræ per-
 intime commendamus, et ut ei in omnibus angu-
 stiis suis condescendatis, obnixè rogamus.

EPISTOLA CCCLXIV.

WIBALDI ABBATIS AD EUGENIUM PAPAM III.

*In gratiam Sifridi abbatis Ullesheimensis, quem Fer-
 densis episcopus, nec accusatum, nec convictum
 expulerat e suo monasterio.*

(Anno 1152.)

Reverendo in Christo Patri suo et domino Eu-
 GENIO, sanctæ Romanæ Ecclesiæ summo pontifici,
 frater WIBALDUS Dei gratia id quod est in Ecclesia
 catholica, exiguas orationes et devotum servitium.

Lator præsentium Corbeiensis Ecclesiæ filius,
 noster in domino collega et confrater Sifridus,
 assumptus fuit de monasterio Corbeiensi in præla-
 tionem abbatiae de Ullesheim (177), quam etiam
 administravit jam annis plusquam duodecim cum
 disciplina et augmento sui ordinis, et rerum tem-
 poralium incremento, ita ut testimonium haberet
 ab his etiam qui foris sunt. Hunc D. H. Ferdensis
 episcopus, in cujus parochia idem monasterium
 consistit, sine vocatione, sine audientia, non convi-
 ctum, non confessum de abbatia sua expulit, et om-
 nibus monasterii rebus plusquam per anni spatium
 jam spoliavit. Pro qua re non solum a nobis, verum
 etiam a reverendis confratribus nostris totius fere
 Saxoniae abbatibus frequenter et officiose commo-
 nitus, nec restituere, nec ordine canonico tractare
 ipsum confratrem nostrum voluit. Insuper ad into-
 lerabilis contumeliæ cumulum, quosdam pseudo-
 monachos, quos prædictus abbas propter enormi-
 tatem vitæ suæ de monasterio projecerat, in illam D
 ecclesiam malignantium tanquam in sentinam recol-
 legit, et quidquid improbi et irati et sese ulcisci
 cupientes, confingere in famam abbatis potuerunt,
 conscripsit et dispersit. Pedibus itaque vestræ celsi-
 tudinis animo advoluti cum universis fratribus no-
 stris, supplices preces effundimus, ut venientem ad
 vestram clementiam prædictum abbatem, virum
 utique honestum et litteratum, in mansuetudine
 bonitatis vestræ suscipiatis, et exauditum, in neces-
 sitate sua, in plenitudine dignitatis suæ litteris et
 mandatis auctoritatis vestræ, per aliquem fidelem
 legatum vestrum restituatis.

(177) Vulgo Ulsen fundata anno 990 pro puellis,
 Ditmarus episcopus Ferdensis anno circiter 1140.

EPISTOLA CCCLXV.

WIBALDI ABBATIS AD ARNOLDUM COLONIENSEM ARCHIE-
PISCOPUM.

*Congratulatur ei de victoria, interceditque apud eum
 pro episcopo Mindensi.*

(Anno 1152.)

Reverendo in Christo Patri suo et domino AR-
 NOLDO, sanctæ Coloniensis Ecclesiæ venerabili archi-
 episcopo, frater WIBALDUS Dei gratia id quod est
 in Ecclesia catholica, exiguas orationes et devotum
 servitium.

Lætati sumus in his quæ dicta sunt nobis, et in
 domum Domini lætantes et gratias agentes ivimus,
 pro eo quod gloriosum de tyrannis et latronibus
 triumphum reportastis : qui ubique locorum ita
 peccatis facientibus nunc excreverunt, ut nulla ec-
 clesia, nullus omnino locus sacer aut laicus ab
 illorum possit infestatione defendi. Quam quidem
 victoriam vestræ beatitudini divina potentia in
 multos annos concedat. Vestræ autem celsitudini
 notum esse volumus quod in transacto proxime
 beati Jacobi apostoli festo Mindam rogatu episcopi,
 et petitione cleri descenderamus, ad compacandas et
 componendas dissensiones quasdam, quibus episcopi
 et cleri fuerat perturbata concordia. Et hæc quidem
 causæ non erant criminales aut peremptoriæ, sed po-
 tius de fundis, videlicet de molendinis, de paludibus,
 de compascuis, de hæreditatibus et patrimoniis,
 pro quibus adversum se litigabant villici episcopi
 et villici canonicorum, et quidam clerici contra
 quosdam laicos. Erat hæc commotio paulo inflatior
 adversus episcopum, pro eo quod in concilio Colo-
 niensi accusationem cum gravi repulsa sustinuerat,
 nullo tamen, quantum perscrutari potuimus, in
 tantum progrediente, ut illius cæcati verbo et accu-
 sationi, vel etiam querelæ Walderi ullo patrocinii
 vel testimonii modo vellet assistere. Siquidem in
 eadem solemnitatis celebratione prædictus episco-
 pus publice in pulpito ecclesiæ denunciavit excom-
 municatos esse, et anathematis sententiam protulit
 in eos, qui clericum cæcaverant, vel operam consi-
 lio, vel auxilii in hoc maleficio adhibuerant. Om-
 nibus itaque ex divino beneficio in concordiam re-
 vocatis, tentavimus etiam Waldero illi pertinaciam
 suam in episcopi vexatione dissuadere, sed et ipse
 multis audientibus asseruit quod fide data esset a
 vobis prohibitus, ne pacem cum ipso reformaret.
 Quod nos, qui nobilitatem vestram et mentis ex-
 cellentiam jamdudum novimus, nequaquam cre-
 dere potuimus, ut suffraganeo vestro, qui metropoli
 devotus semper militavit, et personam vestram præ
 omnibus dilexit et honoravit, hanc vellet inferre
 contumeliam, ut causam ipsius, quam ex judicio
 terminare propter importunam accusatorum inso-
 lentiam non potuistis, per concordiam finiri non
 pateremini. Novit enim eruditio vestra, quorum
 consilio, quæve disciplina iidem adversarii episcopi
 quibus monachos e Corbeia assumptos substituit

judicium vestrum, quod suffraganeorum et Ecclesie vestrae testimonio et assensu erat subnixum, recusare præsumperunt, quo ordine quibusve induciis datis appellaverunt, sicut ex transcriptis eorum libellis considerare poterit vestra discretio, retentis apud nos eorum exemplaribus. Et licet, ut prædictum est, plane sciamus animi vestri magnitudinem in tam viles et abjectas meditationes nequaquam decidere potuisse, ut cum jam dicto Waldero tam enormes condiciones inire deberetis, pro familiari tamen et intima dilectione, qua sanctitatem vestram longo jam tempore diligimus, admonere coronam vestram non dubitavimus, ut apud dominum Mindensem, et Ecclesiam ipsius ab hac suspicione gloriam vestram liberare non dedignemini. Auxit enim metum episcopo litterarum vestrarum; quæ domino papæ scriptæ sunt, inspecta series, quæ pro ipsius innocentia nihil agere videntur, quas a vobis scriptas sive perlectas omnino negavimus, ob hoc scilicet, quod intelligentia vestra bene notavit, hoc esse inferioris judicis officium, ut cum ab ipso ad superiorem fuerit appellatum, ita studeat actionis ordinem enarrare, ut æquitate servata neutri parti videatur favorem inclinasse. Quod in litteris istis nequaquam factum esse cognoscetis.

« Ego Walderus, Dei gratia diaconus et sanctæ Mindensis Ecclesie qualiscunque canonicus papam appello, ipsius tutelæ me et mea committens, ad quem te Henricum Mindensem episcopum invito, pro violenta subreptione decaniæ meæ, et pro aliis, quæ habeo contra te, responsurum Nonis Septembris. Ego Vortlievus, subdiaconus appello te H. Mindensem episcopum, ad præsentiam domini papæ de sacrilegio, eo quod tuo consilio et jussu exoculatus sim et plagatus. Diem statuo Kal. Octobris. » Hujusmodi appellationes, imo vero confusiones, effractis foribus episcopi, non absque sanguinis effusione in pavimento sunt projectæ, et sicut episcopo non præsentatæ, ita nec ab ipso visæ, quas quidem nos a manu decani ecclesie beati Martini in Minda eadem die suscepimus.

EPISTOLA CCCLXVI.

FRIDERICI IMPERATORIS AD WIBALDUM ABBATEM.

Ipsius injurias se promittit ulturum.

(Anno 1152.)

FRIDERICUS Dei gratia Romanorum rex, WIBALDO Corbeiensi abbati, gratiam suam et omne bonum.

Præter communem charitatis legem, qua cunctos regni principes honorare compellimur, personam tuam speciali dilectione complectimur, et ea, quæ ad honorem tuum spectare noscuntur, libenter volumus per omnia promovere. Super injuriis igitur Ecclesie Corbeiensi illatis debita tibi affectione compatiens, discretioni tuæ commendando consulimus, ut adversa quæ existunt, impræsentiarum æquanimiter sufferas, nostramque vindictam miti-

gato animo præstolari non graveris. In brevi etenim, cum temporis opportunitas se nobis, Domino favente, præbuerit, talem tibi vindictam faciemus, quod alii similia committere trepidabunt. Præterea te ignorare nolumus, quod tertio Idus Octobris curiam generalem, ex consilio principum, vita comite, Wircebure celebraturi sumus. In qua præsentiam tuam nobis cupimus exhiberi.

EPISTOLA CCCLXVII.

FRIDERICI IMPERATORIS AD CORBEIENSES MONACHOS.

Ejusdem argumenti.

(Anno 1152.)

FRIDERICUS Dei gratia Romanorum rex, universo conventui Corbeiensis Ecclesie gratiam suam et omne bonum.

Universitatis vestrae doloribus debita affectione compatimur, et vestris angustiis admodum condolemus. Cum autem opportunitas se nobis, Domino favente, præbuerit, ita vestras intendimus ulcisci injurias, ut et dolor vester omnino mitigari debeat, et omnes, qui vindictam persenserint, similia committere non præsumant. Verum quia propter easdem injurias divina, sicut accepimus, in vestra Ecclesia siluerunt, cruces sternuntur, reliquiæ sanctorum moventur, discretioni vestrae propensius commonendo consulimus, et mandamus ut, crucibus sanctisque reliquiis in statum pristinum restitutis, ecclesiastica celebrantes officia, divino cultui more solito insistatis, firmiter sperantes, quod plenariam vobis vindictam, vita comite, faciemus.

EPISTOLA CCCLXVIII.

FRIDERICI IMPERATORIS AD CIVES HUXERIENSES.

Ejusdem argumenti.

(Anno 1152.)

FRIDERICUS Dei gratia Romanorum rex, universis burgensibus de Huxera, gratiam suam et omne bonum.

Injurias a F. et W. (178) vobis illatas satis audivimus, de quibus vita comite talem faciemus vindictam, quod alii similia committere non præsumant. Verum quia pecuniam eisdem malfactoribus, sicut accepimus, persolvere spondidistis, per præsentia vobis scripta firmiter præcipimus, ut nullam pecuniam eis persolvatis. Præcipimus etiam, ut vallum et alias vestras munitiones, quæ noviter destructæ esse noscuntur, sub nostra tuitione reædificare pro viribus studeatis.

EPISTOLA CCCLXIX.

WIBALDI ABBATIS AD A. ABBATEM DE MONTE.

Gratias agit quod Sifridum abbatem exspoliatur charitable suscepit.

(Anno 1152.)

Reverendo in Christo Patri et domino A. venerabili abbati de Monte, frater WIBALDUS, Dei gratia ad quod est in Ecclesia catholica, salutem in Domino, et fraternæ charitatis indissolubile vinculum.

Multiplies gratiarum actiones vestrae in Christo

dilectæ fraternitati debemus, pro eo quod charum fratrem nostrum et in domino collegam Sifridum, venerabilem abbatem de Hüllesheim venientem ad vos in tribulationibus et angustiis suis, benigne suscepistis, et pii consolatoris affectum, quantum in vobis fuit, ei exhibuistis, et contumeliam, quæ ordini nostro in persona ejus irrogata est, debita compassione doluistis. Et nos ergo contemptam in eo justitiam plurimum dolemus, tum pro totius monastici ordinis generali abjectione, tum pro Corbeiensis Ecclesiæ, cujus ipse filius est, speciali confusione. Hanc autem violentiam personæ ejus irrogatam in auribus vestræ sanctitatis et omnium fratrum venerabilium scilicet coabbatum nostrorum, nec non universorum, qui in sancta religione consistunt, cum lamentabili et affectuosa querimonia proclamamus, quod sine vocatione, sine iudicio, sine audientia, sine proprii oris confessione, dignitate et rebus abbatiae suæ privatus est, neque per nostram supplicationem, aut Corbeiensis Ecclesiæ seu alicujus ordinis aut dignitatis intercessionem post hoc factum obtinere potuit, ut in iudicium vocaretur, et causa ejus canonico ordine tractaretur. Hujus igitur illatæ sibi injustitiæ testimonium ei apud dominum papam et sanctam Romanam Ecclesiam perhibemus, et quantum in nobis est, querimoniæ ejus, ubicunque indigerit, ex debito officii nostri non deerimus, hoc a vestra paternitate obnixè efflagitantes, ut quemadmodum hactenus fecistis, solatium vestrum ipsi clementer impendatis, ita videlicet, ut causam ejus sanctis Patribus in regione, quæ circa vos est, notam faciatis, et eos ad compatiendum afflictioni ejus ipsius, et ad sublevandum animum tam per litteras testimonii ipsorum, quam per alia humanitatis subsidia monitis et exhortationibus vestris studiose provocetis. Specialiter autem charissimo seniori nostro et in Christo, fratri Etberto, venerabili abbati de Huisbruc, cujus religionis sanctitatem vera in Domino charitate amplectimur, hunc pauperem nostrum dejectum et humiliatum commendamus, et ut vicem Christi in causa ejus doleat, atque in quantum potest, dejectionem ejus consoletur, cum omni devotione supplicamus.

EPISTOLA CCCLXX.

HENRICI NOTARII AD WIBALDUM ABBATEM.

Imperatorem citasse Folcuinum et Widikindum super injuriis Corbeiensibus fratribus illatis, episcopum Bavembergensem donatum fuisse abbatia de Altha, etc.

(Anno 1152.)

DOMINO SUO WIBALDO venerabili Corbeiensis abbati, HENRICUS regie curiæ notarius servitium servi.

Sicut parvitati meæ injunxistis domino regi legationes et querimoniam vestram diligenter expo-

(179) Athlata monasterium duplex est, superius et inferius, utrumque celeberrimum ordinis S. Benedicti in Bajoaria inferiori juxta Danubium, ab Odilone dūce sæculo VIII fundatum hactenus floret.

A sui, qui de injuria et gravamine vestro non parum conturbatus, malefactores, videlicet Folcuinum et Widekindum, in festo Bartholomæi apostoli Wormatiæ ad præsentiam suam vocat, ut districto iudicio injuriam vobis et Ecclesiæ Corbeiensis illatam expostulet. Ducem quoque Saxonie intime rogat, ut plenariam justitiam de prædictis malefactoribus faciat. Corbeiensis quoque Ecclesiæ et burgensibus de Huxera, sicut mihi insinuastis, scribit et mandat. De statu vero curiæ sciatis quod Bavembergensis a domino papa reversus prospera nuntiavit, sed laboris sui satis magnam mercedem quæsit, abbatiam de Altha (179) Bavembergensi Ecclesiæ a domino rege contraditam. Althenses vero huic verbo cum magna indignatione contradicunt. Dominus rex nec contra

B Hungaros, nec versus Arelatum hoc anno expeditionem movebit. Cardinalem a latere domini papæ ad nos directum expectamus. Transacta apud Ulmam curia, dominus rex Spiram procedet, ibi nepotim suam a rege Hispanorum desponsatam et magnifice dotatam in magno comitatu deferendam tradet.

EPISTOLA CCCLXXI.

WIBALDI ABBATIS AD EUGENIUM PAPAM III.

De controversia quæ inter abbatem S. Laurentii Leodiensis et abbatem S. Ægidii in Monte publico agebatur.

(Anno 1152.)

Reverendissimo Patri suo domino EUGENIO, sanctæ Romanæ Ecclesiæ summo pontifici, frater WIBALDUS Dei gratia id quod est in Ecclesia catholica, tam devotam quam debitam totius dilectionis et obedientiæ plenitudinem.

De controversia, quæ est inter abbatem monasterii Sancti Laurentii, in suburbio civitatis Leodiensis, et abbatem de Monte publico, celsitudini vestræ ea in his litteris suggerere studebimus, quæ super his in veritate didicimus, ante annos ferme triginta septem, cum essemus pueri sub scholari disciplina in prædicta civitate constituti. Non quod ad consilium vel actionem talium rerum admissi, hujusmodi conventiones seu pactiones inspicere in testimonium rogarémur, sed quod fama inter clerum et scholares collationes, qualiter inter prædictos abbates fuerat contractum, nobis ex celebri relatione non poterat esse omnino ignotum. Ecclesiam Beati Ægidii, quæ est in Monte publico prænominatæ civitatis Berengerus (180), abbas de monasterio Sancti Laurentii, dedit cuidam Gerico regulari canonico cum quibusdam fratribus ejusdem professionis ad inhabitandum et amplificandum, secundum ordinem sancti Augustini, ea scilicet conditionis ratione, ut si prænominatus locus eousque per divinam largitatem crescendo proficeret, quod pastorem sibi fratres regulariter deberent eligere, idem electus corporalem investituram a prædicto abbate suscipe-

(180) Berengerus ex priore Andaginensis monasterii S. Huberti primum prior, deinde abbas S. Laurentii Leodiensis creatus est circa annum 1075, vir magni meriti, magna cum laude præfuit ad annum 1115.

ret, a quo etiam ad suscipiendam episcopalem benedictionem præsentaretur, hac constitutione per omnes successores valitura. Necdum in eis partibus terræ consuetudo processerat, ut canonici, qui regulares dicuntur, abbates crearent, nomine præpositorum in prælationis officio contenti (181). Quod vero abbates ab abbatibus ordinari possint et soleant, auctoritate sacræ Regulæ (182) beati Benedicti didicimus, ubi dicitur: Per ordinationem præpositi scandala sæpius oriri, maxime in illis locis, ubi ab eodem sacerdote vel ab eis abbatibus, qui abbatem ordinant, ab ipsis etiam præpositus ordinatur. Superest usque hodie unus de primis habitatoribus ejusdem loci, et ipse primus abbas, vir religiosus ac timens Deum, qui jam proventus in senectute bona, et quasi in labro sepulcri positus, præscriptas conditiones coram tota Leodiensi Ecclesia confitetur. Verumtamen quidam ex prædicto loco regulares a felicitis memoriæ papa Innocentio privilegium obtinuerunt, in quo prærogativa abbatis Sancti Laurentii relicta, simili fortasse simplicitatis forma, qua in eodem privilegio circa Stabulensem Ecclesiam et nos usi sunt, quandoquidem possessionem nostram de Heran (183), quæ ex juris Stabulensis Ecclesiæ et sub certæ pensionis canone jure locationis obtinuerunt inter proprios Ecclesiæ fundos ascribi fecerunt. Siquidem ante annos sedecim nos miserati paupertatem prædictæ Ecclesiæ et fratrum quos in Domino diligebamus, prænominatam Ecclesiam de Heran, cum decimatione, quæ Stabulensibus fratribus pertinet, eidem abbati, qui nunc superest, concessimus, et eum dono nostro investivimus, ut Ecclesiæ Stabulensi inde per singulos annos tres marcas, et unum fertonem persolveret, quod etiam usque nunc diligenter observatum est. Sed quia in eodem privilegio, quod modo primum rescivimus, fraudem Ecclesiæ Stabulensi, sicut prædictum est, fecerunt, pactum quod contractum fuerat, propter dolum malum qui intervenit, a parte Stabulensis Ecclesiæ discissum est, et privilegium, quod acceperant, infirmandum est a vestra censura et abolendum. Porro de innocentia abbatis monasterii Sancti Laurentii nihil vestræ discretioni dubitandum fore credimus, cum in eodem monasterio, cui nunc, Deo auctore, præest, a parvulo sit non solum in regularibus, sed etiam in liberalibus disciplinis apprime eruditus, qui etiam et prædictis conventionibus interfuit, et nunc in lege Dei sui die ac nocte meditatur, et horam vocationis suæ lampade accensa exspectat. Quem ut diligere et honorare dignemini, devote supplicamus.

(181) Plerique adhuc in Belgio, omnes vero in congregatione Windesheimensi, quæ hactenus floret in Germania, præpositi nomine sunt contenti.

(182) Regul. S. Benedicti cap. 65.

(183) Hujus locationis instrumentum datum est anno 1156 sub Adalberone Leodiensi antistite.

(184) Hæc epistola scripta videtur occasione con-

EPISTOLA CCCLXXII.

CUIJUSDAM CANONICI REGULARIS AD WIBALDUM ABBATEM.

Proponit ei aliquas difficultates solvendas.

(Anno 1152.)

Domino GWIBALDO quidam suus (184), gratiam Dei, custodiam sui.

Apostolice sapientibus et insipientibus debitor estis. Mihi igitur insipienti, tanquam debitor respondere dignemini. Quidam dicunt ordinem nostrum non debere abbatem habere, quia hoc Augustinus non constituit, et conversos nos esse, et imo nec clericos, nec monachos dici debere. Qui hoc dicunt, non se satis discernunt, et quod beatus Benedictus, qui simplicem pœnitentiã instituit monachis, nec baculum pastoralem, nec gradus ecclesiasticos (185) scripsit eis. Quare si ab Ecclesia quædam accipiunt, ab eadem quædam nos accipere nolunt? Quod nos conversos appellant, in hoc, velint nolint, apostolicis consociant, qui conversi sunt ad Dominum, in hoc nihilominus monachis nos jungunt, qui similiter convertuntur ad Dominum. Qui autem nostra pro sua (186) novitate infirmant, sua pro illorum vetustate affirmant, manifeste falluntur, quia tempus nihil in hoc conferre probatur, et tales Horatius irridet:

Qui non suscipiunt, nisi quod libitina sacravit

(HOR., *Epist.* II, 1, 49.)

Clerici autem, qui principaliter debent episcopis subesse, tantum dejiciunt dignitatem suam sub abbate, quantum inferior est abbas pontifice hominum omnium, quid certius tenendum sit, decernite nobis. Valet. Quid abbas Sancti Laurentii per pastoralem baculum debeat dare abbati Sancti Ægidii certificate nobis. Curam enim animarum, quæ est episcopi, dare non poterit. Fundos non dabit, quia baculus contradicit, qui spiritualia innotescit. Sed abusio est legis contradictio.

EPISTOLA CCCLXXIII.

WIBALDI ABBATIS AD ANONYMUM.

Respondet ad præcedentem.

(Anno 1152.)

Frater WIBALDUS Dei gratia id quod est in Ecclesia catholica, cuidam suo et omnibus amicis, conscientiam sibi et famam proximo.

D Acceptis litteris eruditionis tuæ, in quibus suppresso nomine tuo, multiplices nobis quæstiones proponis, recordati sumus evangelicæ parabolæ de grano sinapis quod inter omnia semina minimum, si in terram bonam cecidit, in tantum crescit, ut volucres cœli tanquam in arbore nidificare possint. Ita litteræ tuæ spatio breves, sed sensibus spatiosæ,

tentionis quæ versabatur inter abbatem S. Ægidii Leodiensis, et abbatem S. Laurentii, de qua supra ad summum pontificem scripserat Wibaldus.

(185) Imo exstat in Regula S. Benedicti, cap. 62 *De sacerdotibus monasterii.*

(186) Hic agnoscit clare auctor hujus epistolæ canonicorum regularium institutum esse novum.

si ab erudito responsore tractentur, et in altum crescere, et odorem reddere, non sine aliquo acredinis sapore poterunt. Verum nobis jam et in laboribus plurimis, et in anxiiis ac frequentibus periculis longo tempore exercitatis, et deficiente capitis et oculorum valetudine, nunc ad sequendam imperatoris nostri curiam accinctis, etiamsi aliquando tallium rerum peritia, quod quidem de nobis nec sentimus nec dicimus, suppeditasset; tamen in tantastudii et lectionis dissuetudine sufficere ad respondendum, præcipue cum tentantis animo interrogaveris, non possemus. Sed hoc tibi ad præsens responsum sit, quod et auctoritas et ratio docuit, et antiquitas longæva observavit. Moyses, qui in eremo degens, cum fugeret regem Ægypti, virgam habuit, dux primus et prævius monachorum fuit. Ad ipsum Dominus dixit: *Quid tenes in manu?* At ille respondit: *Virgam.* Quam, juvante Domino, cum in terram projecisset, in serpentem mirabili et mystica conversione et in seipsam mutata est. Aaron pontificum princeps virgam habuit, qui in testimonium mandati a Deo sacerdotii sui floruit, et fructus edidit. Ex quibus sacræ Scripturæ auctoritatibus Ecclesia sancta Spiritu Dei plena rationabiliter instituit, ut Aaron et Moyses successores, de quibus scriptum est: *Moses et Aaron in sacerdotibus ejus,* episcopi videlicet et abbates monachorum mysticas virgas in regimen suorum acciperent et gestarent, et a temporibus apostolorum usque ad hæc tempora, plusquam annis mille diligenter ac reverenter observavit. Si igitur, ut tu scribis, clerici principaliter debent episcopis subesse, consequens est, ut solus clericorum princeps inter clericos, tanquam pastor inter oves proprias, virgam debeat gestare. Nam oves minare pastorem non debent, sed oves pastor modo præcedit, modo sequitur, aliquando virga, quam manu gerit, retrahit, aliquando repellit, ut vocem ejus audiant. Cæterum hæc tua quæstio, sive quæstiones in modum hydræ in damna sua fertiles, et uno capite amputato in multa recrescentes, a nobis, ut dictum est, hoc tempore per cuncta occurrentium objectionum latera pervideri et pertractari non possunt; sed, ne verbum tuum ad te vacuum reverteretur, hæc tibi pauca de pluribus innuere curavimus. Hoc etiam breviter adjiciendum est, quod

A gratia, qui mansum a te habuerit, et vita decedens legitimos hæredes, id est naturales filios reliquerit, quid, inquam, isti hæredes a te per corporalem investituram suscipiunt, qui se in bonis Patris jure successores non diffidunt? Et ut ad rem proprius accedamus, putasne, frater, quod omnis, qui virgam pastorem accipit, continuo episcopus vel abbas fiat? Credisne quod omnis, cui virga pastoralis porrigitur, in eo ipso episcopus vel abbas consecratur? Quocirca, mi frater, si tamen falsus frater non es, si inter signa rerum et ipsas res moderatam discretionis differentiam habueris, et invidia, et errore procul posito, novitates, quæ ad nihil aliud, nisi ad destructionem charitatis et humanæ societatis valent, abiciens, antiqua sanctorum Patrum instituta et mores cum humili et obediendi reverentia observaveris, tum liquido perspicias, quam puerilia et frivola sint hæc, de quibus occupationes nostras quæstione pulsandas existimasti. Verumtamen si post reditum nostrum ab instanti curia propitia divinitas sospitatem et otium concesserit, interrogationi tuæ diffusius respondere poterimus, cum tamen in his paucis, si diligenter consideres, objectioni tuæ satisfactum esse oporteat.

EPISTOLA CCCLXXIV.

WALTARII ABBATIS SANCTI LAURENTII LEODIENSIS AD
WIBALDUM ABBATEM.

Gratias agit quod in synodo Leodiensi ejus defensionem suscepit.

(Anno 1152.)

C Reverendo Patri gratia Dei Corbeiensi et Stabulensi abbati WIBALDO frater WALTARIUS et ipse gratia Dei si quid est, ecclesiæ Sancti Laurentii in Leodio, sinceræ dilectionis affectum et devotum in Domino servitium.

Magnæ benevolentiae vestræ, Pater in Christo amabilis, devotè gratias ago, pro eo quod Leodii in generali synodo causam justitiæ beati Laurentii, de jure quod habet in ecclesia Publici (187) montis, etiam me absente, vera et constanti assertione palam tueri et defendere non omisistis, ita ut auctoritate vestra prorsus obstructa sint ora loquentium vana. Inde nos et pusillus grex beati Laurentii, tam specialiter quam devotè oramus pro vestra incolumitate et salute. Precor autem ut latorum præsentium fratrem nostrum, dulcedine solita et benignitate audiat, et in causa, quam suggererit, vestro eum consilio et patrocinio dirigatis. Optabilem mihi reverentiæ vestræ præsentiam spero me in proximo visurum, ut de rebus necessariis vestrum digne expetam et obtineam consilium et auxilium. Superna pietas protectione sempiterna vos custodiat.

EPISTOLA CCCLXXV.

WIBALDI ABBATIS AD EUGENIUM PAPAM III.

De litteris quas ad eum scripsit post regis electionem.

(Anno 1152.)

Dilectissimo in Christo Patri suo et domino Eu-

(187) Scilicet S. Ægidii de qua in epist. 571.

GENIO uni et universali papæ, frater WIBALDUS Dei gratia et vestra id quod est in Ecclesia catholica, seipsum et sua universa.

Litteræ nostræ, quas post ordinationem domini nostri novi regis ad vestram celsitudinem scripsimus, ordine præpostero perlatae sunt. Siquidem illæ quæ priores scriptæ fuerunt, et fratri Franconi ad perferendum traditæ, cum crederemus eum mox ad vestram beatitudinem reversurum, posteriores præsentatæ sunt. Nam secundas, quas scripsimus vestræ magnitudini, prius apportaverat magister Baldricus Trevirensis. Et nunc quidem suspensio ac dubio aliquantulum animo scriptitamus, propter legatum vestrum, quem venire audivimus, sed pervenientem necdum accepimus, ut post auditum ex ipso beneplacitum vestrum, tanquam voluntarii servi vestri ad omnem nutum vestrum obediens, et parati de mandatis vestris exsequendis certiora quædam excellentiæ vestræ intimaremus. Enim vero si regnum nostrum a suis intestinis ac perniciosissimis motibus cessare aliquando posset, nihil esset charitati vestræ dubitandum, quin sacrosancta mater nostra Romana Ecclesia pristinae dignitatis decorem per virtutem principis nostri posset recipere. Atque utinam, bone Jesu, qui veraciter dixisti: *Ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua*, etiam cum Patre, quem, rogas largiri digneris, ut humana defensione non egeat, sed tuo tantum adiutorio et abstrahatur a noxiis et ad salutaria dirigatur! Durum est enim eos servire, quos tu in altissimo imperii culmine dignatus es collocare. Sed hæc hæcenus. Nam sapientia vestra a Deo illuminata, et nos intelligere et plurima disponere prudenter consuevit. Scribimus apertius et prolixius, cum ex legato vestro quid opus sit facto audierimus. De causa latoris præsentium pedes sanctitatis vestræ deosculamur, ut eum contra præsumptionem laicorum solidare dignemini, ne gloriantur se hæreditate sanctuarium Dei possidere, quod etiam per successionem, ordinando videlicet in Ecclesia filios prædecessorum, festinant profanare.

EPISTOLA CCCLXXVI.

WIBALDI ABBATIS AD HERMANNUM CANONICUM BUNNENSEM.

Villicationem de Castiniaco ei neptique suæ committit.

(Anno 1152.)

WIBALDUS Dei gratia Corbeiensis abbas, dilecto fratri et amico suo HERMANNO Bunnensis Ecclesie canonico, benedictionem et vitam usque in sæculum.

Villicationem nostram de Castiniaco cum omnibus appendiciis suis fidei tuæ committimus, sicut eam tenuit Ludovicus nepos, hoc est secundum pacta et conditiones, quæ a felicis memoriæ prædecessore nostro domno Erchemberto, de eodem prædio et villicatione sunt ordinatæ et constitutæ; ita videlicet, ut tu destructa reedifices, et dilapsa re-

PATROL. CLXXXIX.

staures, tam in domo indominicata, quam in cellario et torculari, et bovaria, et aliis tam ædificiis quam clausuris. Post obitum quoque tuum concedimus eandem villicationem, modo quo supra dictum est, nepti tuæ præfati Ludovici filie, sub hujus videlicet conditionis tenore, quod eadem puella Ecclesie Corbeiensi in jure ministerialium a dominis suis, quibus modo pertinet, attribuat, et transactetur absque nostro labore et expensa, a præsentis festivitatis sancti Michaelis archangeli, quæ est in anno Dominicæ Incarnationis 1152, indictione i infra anni spatium, et quod prædicta puella quando ad nobiles annos pervenerit, non nisi nostra vel ejus qui nobis in abbacia Corbeiensi regulariter successerit, permissione nubat. Quod si de præscriptis conditionibus aliquid a te vel ab eadem puella prætermisum aut violatum fuerit, prædicta villicatione cum omni beneficio suo sine spe recuperationis de cætero carebitis. Si autem in solutione vini, vel annonæ, vel nummorum, seu vasorum, vel aliarum pensionum statutis diebus negligentes fueritis, pro tali excessu vel judicio familiarie in Castiniaco, vel judicio ministerialium nostrorum in caminata nostra Corbeie, utrumlibet horum nobis magis placuerit, respondebitis, et in compositione duodecim solidos nummorum persolvete. Quæcunque autem nepos tuus Ludovicus, vel in pignore vel in beneficio de rebus jam nominatæ curtis Castiniacæ, tam in agris quam in vineis, vel etiam censu aut silva obligavit, vel alienavit, judicio curiæ nostræ in irritum ducta sunt, vel stare non posse post obitum villici adjudicata, quæ vobis ita recolligenda committimus, ut si infra hujus anni spatium non feceritis, a villicatione et toto pacto cadatis. Quod autem filie quondam Ludovici villicationem post discessum tuum concessimus, non ex eo est, quod hæreditariam ei successionem, vel in villicatione vel in beneficio Patris aliquid recognoscamus, cum hoc a nostris ministerialibus universaliter abjudicatum sit, sed propter tuum et amicorum tuorum servitium ad hoc faciendum inclinatum sumus.

EPISTOLA CCCLXXVII.

WIBALDI ABBATIS AD HILLINUM ARCHEPISCOPUM TREVIRENSEM.

Gratulatur ei de nova dignitate, sua ipsi offert obsequia, fratres suos in ipsius episcopatu degentes ei commendat.

(Anno 1152.)

Reverendo Patri suo et domino H. sanctæ Trevirensis Ecclesie venerabili archiepiscopo, frater WIBALDUS Dei gratia id quod est in Ecclesia catholica, exiguas orationes et devotum servitium.

Confidimus de vestræ benignitatis eruditione, quod familiaris charitas, quæ hæcenus inter nos vicissitudine obsequiorum succreverat, propter celsitudinis vestræ proventus imminui non debeat, quoniam si experientie regulam tenemus, quam in prælationis sarcina in labore hominum conversati

et cum hominibus flagellati jam antea didicimus, A tanto erunt solertiae vestrae viri fidei ac constantiae, qui vos non vestra diligunt, chariores, quanto possunt in tota generis humani multitudine inveniri rariores. In quorum paucitate nos qui nec fallere debemus, nec falli volumus, integro benevolentiae studio annumerati plurimum in Domino, gratulamur de tam gloriosa personae vestrae promotione (188), cui a propitia divinitate concessum est, ut antiquissimae ac nobilissimae civitati, quae totius Galliae Belgicae caput ac metropolis esse dignoscitur, possitis tam prodesse quam praesesse. Ad vestrae igitur dignitatis suffragium prompta devotione offerimus quidquid illud est, quod in Ecclesia sua Deus nos esse, vel dici, vel posse potuit, optantes ut absque prosperitatis vestrae detrimento vobis opportunum B fiat, quo dilectionis nostrae ac fidei evidens experimentum capiatis. Cum vero a partibus Saxoniae versus Lotharingiam proxime retransire poterimus, etiam corporali praesentia vestram beatitudinem visitare et salutare desideramus. Interim commendamus dulcedini vestrae fratres nostros Corbeienses, qui sunt apud Liciacum, et omnes res nostras, tam Corbeiensis monasterii quam Stabulensis, quae in vestro episcopatu sunt sitae, quatenus pro nostrae dilectionis intuitu in vestrae protectionis defensionem eas assumere dignemini,

EPISTOLA CCCLXXVIII.

EUGENII PAPAE III AD FRIDERICUM IMPERATOREM.

Gratulatur ei de sua electione, sperans eum inchoata a Conrado pro ecclesiae exaltatione completurum. C

(Anno 1152.)

EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, charissimo in Christo filio FRIDERICO, illustri Romano-regi, salutem et apostolicam benedictionem.

Nuntiis egregiae tuae nobilitatis, etc. Vide in Eugenio III, ad an. 1153.

EPISTOLA CCCLXXIX.

BERNARDI PATHERBURNENSIS EPISCOPI AD WIBALDUM ABBATEM.

Ut Henricum priorem suum in abbatem Marianum monasterii postulatum emancipare dignetur.

(Anno 1152.)

Amico suo dilecto in Christo domino WIBALDO, D reverendo sanctae Corbeiensis Ecclesiae abbati, B. Patherburnensis humilis minister, orationis et servitutis suae fidelem exhibitionem.

Fratres de monasterio (189) Sanctae Mariae orbatu suo abbate, post multas admonitiones et preces nostras, scilicet ne gregem sibi commissum desereret, eremiticae tamen vitae labores aggresso, ut ipse tunc asserebat se habere in animo, venerabilem fratrem

(188) Ipsius promotionem ad annum 1152. consignat Albericus, quo Alberoni archiepiscopo defuncto successit.

(189) Quod in bulla Innocentii papae Sualembergense monasterium dicitur, eo quod a Widikindo comite Sualembergensi et ipsius uxore, proprio in fundo, constructum fuerit, promovente in primis

dominum Henricum, monasterii vestri priorem abbatem, sibi unanimiter elegerunt. Vestram itaque paternitatem intime oramus, et exoratum esse toto animi desiderio cupimus, quatenus ipsum eis clementer concedatis, novellae plantationis nostrae notam vobis necessitatem benigna miseratione attendentes. Qui si vestra permissione, propriaque benignitate oblatus oneris curae se submittere voluerit, in omnibus eum consolari eique assistere et fideliter opitulari studebimus.

EPISTOLA CCCLXXX.

WIBALDI ABBATIS AD BERNARDUM EPISCOPUM PATHERBURNENSEM.

Excusat se ab emancipando priore suo.

(Anno 1152.)

Reverendo in Christo Patri et domino B. sanctae Patherburnensis Ecclesiae venerabili episcopo, frater WIBALDUS Dei gratia Corbeiensis Ecclesiae abbas, orationum et obsequii intimam devotionem.

Fratres quidam de monasterio Sanctae Mariae, ad nos cum litteris vestrae sanctitatis venerunt, quae hoc obnixè postulabant, ut charum fratrem nostrum Henricum Ecclesiae nostrae priorem, quem iidem fratres elegerunt, eis in abbatem concederemus, ad quam petitionem ex consilio capituli nostri vestrae discretioni respondemus, primum quod idoneas causas non videmus cur dilectus frater noster Conradus, qui eidem monasterio praefuit, commissi sibi gregis curam deseruerit, qui propter eremiticam vitam fratres suos, quos custodiendos susceperat, deserere non debuit, inter quos aliqui erant, quibus prodesse potuit, quod manifeste beatus Gregorius papa in libris Dialogorum ostendit (lib. II, cap. 3): *Ibi, inquit, adunati aequanimiter portandi sunt mali, ubi inveniuntur aliqui, qui adjuventur boni.* Alia causa est quare praedictorum fratrum electioni assensum praebere non possumus. Ordo monasterii nostri habet, imo omnia monasteria nostri ordinis hanc observantiam tenent, ut si quando aliquis fratrum nostrorum abbas ad aliud monasterium eligendus est, prius a nobis et a fratribus nostris quam ab extraneis eligatur, nec aliqua nobis persona inter fratres nostros in abbatem ab alio monasterio vel a quolibet hominum ex homine designetur, sed assumptio fratris nostri cujuslibet in nostro arbitrio et fratrum suorum electioni relinquatur, praesertim cum vultus pecoris nostri melius a nobis et a semetipsis quam ab extraneis agnoscat, et imo convenientius a nobis et a suis domesticis, qui dignus est, eligatur. Hic ordo et haec observantia promotionis, quia semper in monasterio nostro cum magna diligentia et ratione observata fuit, nostro tempore immutari nequaquam poterit.

Bernardo episcopo Patherburnensi, qui illud vocat hac in epistola novellam plantationem suam, quia suo tempore, hoc est anno 1128 fundatum fuit, vulgo tamen Marienmonster appellatur, situm in dioecesi Patherburnensi, Patherburnam inter et Corbeiam, floretque hactenus sub congregatione Bursfeldensi.

EPISTOLA CCCLXXXI.

EUGENII PAPÆ III AD CAPITULUM MAGDEBURGENSE.
Ne faveant episcopo Cicensi Ecclesiæ Magdeburgensis invasori.

(Anno 1152.)

EUGENIUS episcopus; servus servorum Dei, universò capitulo Magdeburgensis Ecclesiæ, salutem et apostolicam benedictionem:

Pervenit ad aures nostras, etc. *Vide in Eugenio.*

EPISTOLA CCCLXXXII.

EUGENII PAPÆ AD E. SALISBURGENSEM ET ALIOS
ANTISTITES.

Arguit eos quod favori principum plus æquo studeant, negatque translationem C. Cicensis episcopi in Magdeburgensem sedem.

(Anno 1152.)

EUGENIUS episcopus; servus servorum Dei, venerabilibus fratribus E. (190) Salsburgensi, A. (191) Bremensi, et H. (192) Trevirensi, archiepiscopis, E. (195) Rambergensi, H. (194) Constantiensi, H. (195) Ratisbonensi, O. (196) Frising, G. (197) Pataviensi, D. (198) Pragensi, A. (199) Havelbergensi et B. (200) Egistadiensi episcopis, salutem et apostolicam benedictionem:

Litteras, quas pro causa Magdeburgensis Ecclesiæ vestra nobis prudentia delegavit, etc. *Vide in Eugenio.*

EPISTOLA CCCLXXXIII.

EUGENII PAPÆ III AD WIBALDUM ABBATEM.

Commendat ei causam A. Curiensis episcopi, et ut ecclesiasticas immunitates adversus laicos tueatur.

(Anno 1152.)

EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Corbeiensi abbati, salutem et apostolicam benedictionem.

De quorum pura devotione absque dubitatione confidimus, etc. *Vide in Eugenio.*

EPISTOLA CCCLXXXIV.

WETZEL AD FRIDERICUM IMPERATOREM.

Instat ut, excusso summi pontificis iugo, imperium a senatu populoque Romano recipiat.

(Anno 1152.)

Charissimo Dei gratia F. WETZEL, ad summa animæ et corporis lætæ undique proficere.

Immensa lætitia, quod gens vestra vos sibi in regem elegerit, moveor: Cæterum quod consilio clericorum et monachorum, quorum doctrina divina et humana confusa sunt, sacrosanctam Urbem, dominam mundi, creatricem et matrem omnium imperatorum, super hoc, sicut deberetis, non consulistis, et ejus confirmationem, per quam omnes,

(190) Eberardo comiti Hiltpolstein, abbati Biburgensi, pauperum patri dicto.

(191) Adalberoni.

(192) Hillino.

(193) Eberardo.

(194) Hermannno.

(195) Henrico.

(196) Ottoni ex abbate Morimundi ordinis Cister-

A et sine qua nulli unquam principum imperaverunt, non requisistis, nec ei sicut filius, si tamen filius et minister ejus esse proposuistis, non scripsistis, vehementer doleo. Quis enim stabili ordine proficere valeat, nisi quem Rebeckâ dilexit et promovit? licet quippe pater Isaac vellet et niteretur Esau benedictionem præferre, Jacob; matre ipsum vocante et consilium quasi insulsum ipso Jacob timente, quia Esau moram in venando fecit, benedictionem et dominium, alio [altero] illo dolente; obtinuit. Et ut ad rem perveniam, ipsamque vobis plenius exponam, quod dico diligentius attendatis. Vocatio vestrorum olim prædecessorum, et vestra adhuc a cæcis, id est a Julianistis, hæreticis dico et apostatis clericis et falsis monachis, suum ordinem prævaricantibus, et

B contra evangelica, apostolica et canonica statuta dominantibus, et legibus tam divinis quam humanis reclamantibus, Ecclesiam Dei et sæcularia disturbantibus, facta est. Quod autem tales sint, ostendit beatus Petrus, cujus vicarios se esse mentiuntur, dicens: *Fugientes ejus, quæ in mundo est; concupiscentiæ corruptionem, ministrare in fide virtutem, in virtute scientiam, in scientia abstinentiam, in abstinentia patientiam; in patientia pietatem, in pietate amorem fraternitatis, in amore fraternitatis charitatem.* Hæc vobis super... Cui enim hæc præsto sunt, cæcus est et manu tentans. De quibus rursus idem apostolus dicit: *Erunt magistri mendaces, qui in avaritia de vobis negotiabuntur, deliciis affluentes, in conviviis suis luxuriantes vobiscum, oculos habentes plenos adulterio, per quos via veritatis blasphemabitur, hi sunt fontes sine aqua.* Tales quomodo cum Petro dicere possunt: *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus? Et iterum: Argentum et aurum non est mihi? Quomodo a Domino audiunt: Vos estis lux mundi, vos estis sal terræ? Quibus quod sequitur nimirum convenit: Quod si sal evanuerit, in quò salietur? ad nihilum valet ultra; nisi quod conculcetur ab hominibus vel a porcis.* Unde Joannes: *Qui dicit se credere in Christum, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare.* Item: *Qui dicit se nosse Deum, et mandata ejus non custodit, mendax est et veritas in eo non est.* Petro et vicariis Petri a Domino dicitur: *Sicut misit me Pater, et ego mitto vos.*

D Sed qualiter ipse a Patre missus fuerit, exprimit dicens: *Si non fecero opera Patris, nolite credere mihi.* Si Christo, qui peccatum non fecit, sine operibus credendum non fuit, quomodo istis non solum male, sed etiam mala publice agentibus est credendum? unde dicitur: *Quomodo potestis loqui bona, cum sitis mali?* Non solum vero loqui non possunt bona, sed nec credere, sicut ipse Dominus cicens episcopo Frisingensi, viro sancto et scriptori egregio.

(197) Conrado filio Lepoldi Pii, marchionis Austriæ, postea archiepiscopo Salisburgensi.

(198) Danieli.

(199) Anselmo.

(200) Burchardo.

ait: *Quomodo potestis credere, gloriam ab invicem quærentes? nam fides sine operibus mortua est. Quomodo isti enim quibuslibet divitiis inhiantes (sed qui divitias, quæ toti mundo salutares exstiterunt, per quarum utique usum pax tanta et talis per universum orbem fuit, quod Filium Dei de sinu Patris in sinum matris deposuit, sua falsa doctrina luxuriose vivendo destruxerunt), possunt primum illud evangelicæ doctrinæ mandatorum audire: Beati pauperes spiritu, cum ipsi nec effectu, nec affectu sint pauperes? Hinc beatus Hieronymus: Clericum negotiatorem, vel ex inope divitem, vel ex ignobili gloriosum, quasi pestem fuge. Quomodo isti negotiis sæcularibus incumbentes, primum omnium decretorum Romanorum pontificum a beato Clemente in epistola sua prima inductum, sed a beato Petro apostolo promulgatum surdi auditores adimplent? inter cætera quidem, ubi Petrus Clementem ordinavit et injunxit, dicens: Te quidem oportet irreprehensibilem vivere, et summo studio niti, ut omnes hujus vitæ occupationes abjicias, ne fidejussor existas, ne advocatus litium fias, neve in aliqua occupatione mundialis negotii prorsus inveniaris perplexus. Neque enim judicem, neque sæcularium cognitorem negotiorum hodie te jussit ordinari Christus, ne præfocatus hominum præsentibus curis non possis verbo Dei vacare. Hæc, quæ minus tibi congruere diximus, exhibeant sibi invicem laici, et te nemo occupet ab his studiis sollicitudines sæculares suscipere, ita unicuique laicorum peccatum esse, nisi invicem sibi etiam in his quæ ad communis usum vitæ pertinent, opera fideliter dederint; te vero securum facere ex his, quibus non debes instare, omnes communiter elaborent. Quod si forte a semet ipsis hoc laici non intelligunt, per diacones edocendi sunt, et tibi solius Ecclesiæ sollicitudines relinquuntur. Si enim mundialibus curis fueris occupatus et te ipsum decipis et eos qui te audiunt. Non enim poteris, quæ ad salutem pertinent plenius distinguere, et ex eo fit, ut tu deponaris, et discipuli per ignorantiam pereant, idcirco tu quoad hoc solum vocatus es, ut sine intermissione doceas verbum Dei. Mendacium vero illud et fabula hæretica, in qua refertur Constantinum Silvestro imperialia Simoniace concessisse in Urbe, ita detecta est, ut etiam mercenarii et mulierculæ quoslibet etiam doctissimos super hoc concludant, et dictus apostolicus cum suis cardinalibus in civitate præ pudore apparere non audeant. Siquidem sanctus Melchisedech, sancti Silvestri prædecessor, in decretis suis Constantinum esse baptizatum, dicens: Cum inter turbines mundi succresceret Ecclesia, adeo usque pervenit, ut Romani principes ad fidem Christi et baptismi sacramenta concurrerent, de quibus vir religiosissimus Constantinus primus fidem veritatis est adeptus. Tripartita etiam Historia eum, antequam unquam ipse imperator Urbem intraverit, Christianum fuisse testatur. Quæ loquor attendite. Esau non domi vacans, elementa matris et consilia ignorans, Silvestria petens a cæco vocatus usque nunc caret promissis. Jacob vero matri obediens, colli et manus*

nuda domestico disciplinarum tegmine tegens, ea, quæ cæcus Silvestri promisit, divino nutu subripuit. Imperatorem non silvestrem, sed legum peritum debere esse testatur Julianus imperator in primo omnium legum e dicto, dicens: *Imperatoriam majestatem non solum armis decoratam, sed etiam legibus decet esse armatam, ut utrumque tempus et bellorum et pacis recte possit gubernari.* Idem etiam, unde princeps Romanus imperare et leges condere habeat, paulo post ostendit: sed et quod principi placuit, legis habeat vigorem, et quare, subinfert, cum populus ei et in eum omne suum imperium et potestatem concessit. Sed cum imperium et omnis reipublicæ dignitas sit Romanorum, et dum imperator sit Romanorum, non Romani imperatoris, quod sequitur considerantibus, quæ lex, quæ ratio senatum populumque prohibet creare imperatorem: comitem Rodulfum de Ramesberch, et comitem Udalricum de Lencenburh, et alios idoneos, scilicet Eberhardum de Bodemen, qui assumptis peritis legum, quide jure imperii sciant et audeant tractare, Romam quantocius poteritis mittere, non dubitetis, et ne aliquid novi ibi contra vos surgat, prævenire curate.

Ex uno patre et una matre geniti

Fridericus.

Genuit Fridericum de Buren. Fridericus de Buren genuit ducem Fridericum, qui Stophen condidit. Dux Fridericus de Stophe ex filia regis Henrici genuit ducem Fridericum. Dux Fridericus genuit Fridericum regem.

Berta.

Genuit Bezelinum de Vilingen. Bezelinus de Vilingen genuit Bertolphum cum Barba. Bertolphus cum Barba genuit Lutgardim. Lutgardis genuit marchionem Theobaldum. Marchio Theobaldus genuit Adalam.

EPISTOLA CCCLXXXV.

CONCORDIA INTER EUGENIUM PAPAM ET FRIDERICUM IMPERATOREM.

(Anno 1152.)

In nomine Domini, amen. Hæc est forma concordie et conventionis inter dominum papam Eugenium, etc. Vide in Eugenio papa III.

EPISTOLA CCCLXXXVI.

EUGENII PAPÆ III AD WIBALDUM ABBATEM.

Suos ad Fredericum imperatorem legatos ei commendat.

(Anno 1153.)

EUGENIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto

filio suo WIBALDO Stabulensi abbati, salutem et apostolicam benedictionem.

De quorum devotione ac sincera charitate amplius confidimus, etc. Vide in Eugenio papa III.

EPISTOLA CCCLXXXVII.

FRIDERICI IMPERATORIS AD MANUELEM IMPERATOREM CP.

Uxorem ex ipsius sanguine habere desiderat, interimque expeditionem parat in Siciliam.

(Anno 1155.)

FRIDERICUS Dei gratia Romanorum imperator Augustus, magnus ac pacificus a Deo coronatus, dilectissimo fratri et amico suo MANUELI PORPHYROGENITO, sublimi et glorioso imperatori Constantinopolitano, fraternam dilectionem et de inimicis victoriam.

Magnitudinis tuæ litteras nuper ad nostram præsentiam per nuntium tuum directas cum benevolentia et alacritate suscepimus: quibus inspectis et diligenter intellectis, gaudio gāvisi sumus tam de sospitate celsitudinis tuæ et imperii prosperitate, quam de tua erga germanitatis nostræ conjunctionem affectione. Siquidem beatæ ac sanctæ recolendæ memoriæ prædecessor ac patruus noster inclytus triumphator, serenissimus videlicet imperator Conradus moriens, cum nos declarasset imperii sui successores, inter præcipua piæ ac paternæ admonitionis documenta, instanter nos hortatus est, ut amicitiam tuam fideliter amplecteremur, et fraternitatis vinculum inter nos indissolubili vinculo necteremus, quatenus imperia nostra per dilectionem unum fierent, et utrique idem amicus idemque hostis existeret. Inde est, quod nos ejus admonitionem effectu prosequente complere maturantes, et etiam voluntati tuæ, quam ex litteris tuis persensimus, ad confirmandam inter nos amicitiam fraterna benignitate occurrantes, ad augmentum firmioris concordiae, et incrementum utriusque imperii, thalamum nobis de aula imperii tui præparari et de sanguine tuo uxorem ducere, Deo annuente, desideramus. Eapropter sublimitati tuæ celeres et expeditos nuntios præmittere curavimus, per quos sub omni festinatione ad nos remissos, sapientiæ tuæ super hoc voluntatem in brevi cognoscamus. Quoniam omnibus per imperii nostri latitudinem provinciis, Dei præstante omnipotentia, quieta pace fruentibus, expeditionem versus Apuliam et Siciliam cum ingenti principum nostrorum ac totius militiæ favore juramentis omnium ex more firmatam ordinavimus, et insuper veniente æstate, tempore scilicet quo reges ad bella solent procedere, in fortitudine magna imperii nostri Alpes transire disposuimus. Eis, quæ negotio insanti præsentibus legatis viva voce dicenda mandavimus, fides indubitanter adhibeatur.

(201) Exsamitum est pannus holosericus.

(202) Odalrico seu Udalrico, qui Rodulfo episcopo anno 1149 defuncto successit.

EPISTOLA CCCLXXXVIII.

WIBALDI ABBATIS AD MANUELEM IMPERATOREM CP.

Excitat eum ad sinceram cum Frederico imperatore concordiam, cui uxorem de ipsius sanguine habere persuasit.

(Anno 1155.)

Glorioso, sublimi ac præcelso victori magnifico, ac præpotentissimo MANUELI PORPHYROGENITO Constantinopolitano imperatori excellentissimo, WIBALDUS Dei gratia abbas de monasteriis duobus nobilibus, Corbeia videlicet et Stabulaus, assiduas orationes et devotum servitium.

Imperialem majestatem decet non solum liberalitate, verum etiam gratiosa memoria esse præditam, ut nullius officii vel fidelitatis sit immemor, quoniam benigna recordatione et gratitudine principis subjectorum affectio propensius excitatur. Hoc propterea sacratissimo imperio vestro insinuare non dubitavi, quod augustam vestram majestatem meminisse non diffido, quod per litteras parvitas meæ vestram sublimitatem salutavi, et beatissimos affatus vestros recipere merui. Eapropter ex devoto famulo factus devotissimus servus, ad augmentum et gloriam sacratissimi imperii vestri insudare et decertare non cessavi, donec beatissimæ recordationis clementissimus imperator Conradus ad magnificentiam vestram nuntios direxerit, quatenus, ad augmentum majoris inter vos et ipsum concordiae, uxorem de vestro sanguine duceret. Sed eo interim ab hac mortalitate in terram viventium sublato, dolor, qui ex ejus transitu mentem meam occupaverat, non parvam consolationem recepit, pro eo quod nepos ejus, qui nunc rerum potitur, magnificus scilicet imperator Fredericus, non solum imperii fastigium obtinuit, verum etiam exiguitatem meam pari et simili benevolentia et credulitate honoravit. Inde est quod instanter persuadere non cessavi, quatenus inclytus atque victor dominus meus Fredericus imperator cum constantissimo imperio vestro foedus amicitiae iniret, et de sanguine vestro uxorem duceret. Quod etiam vestra sapientia complere indubitanter maturabit. Immensas gratias ego et fratres mei referimus pro exsamito (201) albo nobis transmissio, et devotas preces pro salute imperii vestri ad Deum fundere non cessamus.

EPISTOLA CCCLXXXIX.

BERNARDI ET GREGORII CARDINALIUM AD O. HALBERSTADENSEM EPISCOPUM.

Ut Liudolfum et Fridericum Palatinum Corbeiense monasterium infestantes compescat.

(Anno 1155.)

BERNARDUS presbyter et GREGORIUS diaconus, Dei gratia sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales et legati, venerabili fratri O. (202) Halberstadensi episcopo, salutem.

Venerabilis frater noster abbas Corbeiensis de

quibusdam tuis parochianis suam nobis querelam exposuit de Liudolfo scilicet et Frederico Palatino, quod annonam, victualia et quasdam alias res sibi abstulerint, et homines suos inquietent. At tua prudentia, ne tantus vir et ita domino papæ et toti regno acceptus in tua parochia offenderetur, efficere satis deberet. Nos itaque suæ justitiæ, quia deesse non possumus nec debemus, per præsentia tibi scripta præcipimus, quatenus prænominatos viros districtè commoneas, ut ablata restituant, et bona monasterii de cætero quæta et illæsa dimittant, alioquin infra triginta dies post acceptam commotionem, nisi præfato abbati satisfecerint, ecclesiastica censura eos coerceas, et sententiam, quam in eos dederis, usque ad satisfactionem firmiter facias observari.

EPISTOLA CCCXC.

BERNARDI ET GREGORII CARDINALIUM AD EUGENIUM PAPAM.

Latores præsentium ei commendant.

(Anno 1153.)

Reverendo Patri et domino EUGENIO Dei gratia summo pontifici, B. presbyter et G. diaconus sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales, debitum per omnia famulatum.

Lator præsentium vir nobilis est, etc. *Vide in Eugenio, inter epistolas variorum ad ipsum.*

EPISTOLA CCCXCI.

GREGORII CARDINALIS AD WIBALDUM ABBATEM.

Post mortem papæ revocatus, convocat quosdam episcopos Wormatiam, optatque ejus frui præsentia coram imperatore.

(Anno 1153.)

GREGORIUS, Dei gratia sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinalis et legatus, reverendo fratri WIBALDO suo unanimi amico Corbeiensi abbati, salutem.

Licet fama mortis (205) domini papæ nos turbaverit, tamen audita persona substituti domini vicarii nos gaudio gavisi sumus, scientes illum antiquum magistrum Ecclesiæ, et nos tanquam seipsum diligere et modis omnibus honorare. Verum quia ab amicis nostris instantè revocamur, in festo Michaelis Bremensem, Ildenesheimensem, Mindensem Wormatiæ vocavimus, quædam illis præcipere volentes. Unde ad dominum regem iterum vos libenter præsentem vellemus habere, ut quæ cum eo agere debemus, et in licentia suscipienda tua nobis assisteret prudentia, et probitas nos domino regi commendaret.

EPISTOLA CCCXCII.

BERNARDI ET GREGORII CARDINALIUM AD WIBALDUM ABBATEM.

Habaturi coram rege colloquium orant ut Herbipolim veniat.

(Anno 1153.)

BERNARDUS presbyter et GREGORIUS diaconus,

(205) Obiit Eugenius papa III 8 Julii 1153, non sine sanctitatis fama, successorem sortitus Conradum

A Dei gratia sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinales et legati, dilecto fratri WIBALDO Corbeiensi abbati, salutem.

Sicut per alia fraternitati tuæ scripta nos misisse meminimus, ita denuo præsentis scripto mandamus quatenus proxima quarta feria Herbipolim ad nos venias, ubi eodem termino cum rege sumus habituri colloquium. Quia vero Stabulensem Ecclesiam vera in Domino charitate diligimus, et ad ejus utilitatem libenter intendimus, nihilominus tibi mandamus ut ad nos ita paratus accedas, quod post colloquium nostrum honeste ire ad eandem Ecclesiam valeas.

EPISTOLA CCCXCIII.

WIBALDI ABBATIS AD ANASTASIUM PAPAM.

B *Gratulatur ei de ipsius electione gratiamque ejus deprecatur.*

(Anno 1153.)

Reverendo Patri suo et domino ANASTASIO, sanctæ catholicæ et apostolicæ Ecclesiæ uni et universali papæ, frater WIBALDUS Dei et vestra gratia id quod est in Ecclesia catholica, exiguas orationes et devotum servitium.

C Ex quo divina providentia, sacrosanctam matrem nostram Romanam Ecclesiam regi disposuit per religiosissimam sollicitudinem vestram, in præcipuo desiderio habuimus vobis corporaliter nostram exhibere præsentiam, ut aliquo certiore indicio filialem, quam circa vos gerimus affectionem plenius intelligeretis, et nos confidentius familiariter colloquio quædam apud vestram sublimitatem suggereremus, quæ longum est et fortassis inutile posset fidei charitæ et atramento committere. Sed quoniam jam proxima nobis expeditio Italica, ad quam nos animo et rebus instantè præparamus, ab hac facultate nos retinet, signis præsentibus, et levi nuntio nostram celsitudini vestræ devotionem offerimus, Dei omnipotentis clementiam humiliter præce-
D exorantes, ut vos ab importunis et malis hominibus liberare dignetur, et beati Petri naviculam, cujus vos gubernaculum tenetis, in fluctibus, quibus assidue quassatur, ne mergatur, erigere non recuset. *Mirabiles quidem elationes maris, sed mirabilis in altis Dominus.* Paulus apostolus ad discipulum suum Timotheum scribens, dicit: *Nemo adolescentiam tuam contemnat.* Nos discipuli et servi magistro et domino ausu charitatis suggerimus, nemo senectutem vestram contemnat, quoniam antea acta innocenter vita talis fuit, ut vos neque vivere pudeat, neque mori ullatenus pigeat. Si quidem a retro annis quinque et viginti vestram beatitudinem satis intima et familiari notitia cognovimus, et gratia vestra atque mihi patrocinio in omni causa seu privata seu publica, quam apud Romanam Ecclesiam egimus perfrui cum omni benignitate et efficacia meruimus. Inde est quod intolerabilis dolor, qui de transitu reverendi Patris nostri, vestri uti-
episcopum Sabinensem cardinalem, qui mutato nomine Anastasius IV appellatus est,

que prædecessoris, animam nostram justo mœrore sauciaverat, non parvo dilinimento mitigatus est, cum ordinator temporum Deus, vestram sanctitatem in ipsius cathedra beata successione sedere fecit, ut vita vestra inclyta cunctas illustrare posset Ecclesias, et nobis consuetæ misericordiæ benignum tribuat effectum. Repetimus enim a vestra celsitudine quodam pietatis jure familiarem gratiam quam ab antecessoribus vestris longo tempore obtinuimus, ut liceat nobis, absque præsumptionis nota, de sollicitudine Ecclesiarum, de statu regni aliqua intimare. Quod tunc confidenter facere incipiemus, cum per sacratissimos apices vestros hoc facere admoniti fuerimus. Petitiones, quas pro necessitatibus nostris vestræ clementiæ porrigimus, subtile annexæ sunt, quas exaudiri pro nostræ perpetuæ servitutis augmento deprecamur.

EPISTOLA CCCXCIV.

WIBALDI ABBATIS AD BERNARDUM CARDINALEM.

Gratulatur ei de felici in Urbem reditu, ipsiusque protectionem pro Corbeiensi, et Gregorii ejus sodalis pro Stabulensi cœnobio petit.

(Anno 1153.)

Reverendo in Christo Patri suo et domino BERNARDO, venerabili sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinali presbytero, frater WIBALDUS Dei gratia id quod est in Ecclesia catholica, exiguas orationes et devotum servitium.

Si cum integritate sospitatis vestræ et cum rerum vestrarum integra conservacione ad Urbem pervenire potuistis, plurimum in Domino exultamus; quoniam desiderium nostrum circa salutem vestram completum est. Rogamus itaque clementiam vestram, quæ magnum familiaritatis et patrocinii ausum conferre dignata est, ut nostram parvitatem domino papæ et dominis cardinalibus commendare benigna insinuatione dignemini et, ut petitiones nostræ effectum obtineant, efficere non abnuatis ut nos ex devoto deinceps devotum famulum habeatis. Sic enim necessitates nostras sumus partiti, ut quoniam vos in Corbeiensi monasterio habitare aliquantisper non estis dedignatus, vos ejusdem Ecclesiæ causas provehendas assumatis, et de benignitatis vestræ defensione filios vestros, qui in eodem monasterio Deo militant, lætificetis; vester autem collega, dominus videlicet noster Gregorius cardinalis, quia Stabulensem Ecclesiam visitare dignatus est, et ejus miserias oculata fide perspexit, negotia ipsius monasterii promovenda recipere non recuset, sicut de ejus bonitate plurimum confidimus.

EPISTOLA CCCXCV.

WIBALDI ABBATIS AD GREGORIUM CARDINALEM.

Ejusdem argumenti.

(Anno 1153.)

Charissimo Patri et domino suo GREGORIO, venerabili sanctæ Romanæ Ecclesiæ cardinali diacono, frater WIBALDUS Dei gratia id quod est in Ecclesia

A catholica, exiguas orationes et devotum servitium.

Si vos cum salute et prosperitate vestra in Urbem et in vestra recepistis, nihil est quod in gaudio desiderii nostri possit accidere cumulatus. Licet enim illam animi vestri constantem industriam, licet mentis vestræ vivacitatem, quæ ad declinanda perspicax est et subtilis, non parva cognitione percepimus, tamen quoniam humanæ sortis fragilis exstat conditio, semper in gravi sollicitudine fuimus, ne aliquid vestræ excellentiæ minus gratum accidisset. Proinde magnitudinem vestram attentam prece exoramus, ut nos et nostra domino papæ, qui nos a longis retro temporibus et novit et diligere dignatus est, nec non dominis cardinalibus commendare non recusetis, et petitiones nostras desideratum effectum consequi adjuvetis, quoniam si velle vobis adjacet, perficere inveniatis. Sic enim necessitates nostras sumus partiti, ut quoniam vos Stabulense monasterium visitare non estis dedignatus, vos ejusdem Ecclesiæ causas provehendas assumatis, et de benignitatis vestræ defensione filios vestros, qui in eodem monasterio Deo militant, lætificetis, quod tanto fortius ad effectum perducere poteritis, quanto verius ejusdem loci miserias oculata fide perspexistis. Vester autem collega dominus videlicet noster Bernardus cardinalis, qui in Corbeiensi monasterio habitare aliquantisper voluit, negotia ejusdem cœnobii promovenda recipere non recuset, hac tamen interposita ratione, ut sicut unum in legatione vestra peragenda indissolubiliter fuistis, ita unum in opportunitate nostra adjuvanda maneatis.

EPISTOLA CCCXCVI.

HU. DE BAUCIO AD WIBALDUM ABBATEM.

Ut imperatori notum faciat quanta pro ipsius servitio a comite Barcinonensi patiatur.

(Anno 1153.)

WIBALDO Dei gratia Stabulensi abbati excellentissimo domino suo, Hu. de Baucio et fratres ejus, salutem.

Quem erga imperium a longis retro temporibus Pater noster habuerit affectum, ipsius præsentia et litteris ejus ad vos sæpe directis, vestra novit serenitas. Nos etiam non sumus immemores beneficii, quod fratri nostro G. et per ipsum nobis in curia imperatoris conferre studuistis. Pro quo verbo iterum et iterum supplicantes omne servitium, si locus et tempus se nobis offerat, indubitanter vobis promittimus. Propterea obnixè precamur, quatenus per præsentium latorem audire dignemini, quanta mala comes Barcinonensis nobis contulit et conferre moliatur, quia fidelis huic regi esse volumus. Preces nostras ante imperatorem admittite, et nos vestris ante ipsum munite, et quid de ejus adventu sperare debeamus nos certiorate. Tam mens vestra quam regis voluntas scripto vestro nobis signetur.

EPISTOLA CCCXCVII.

A. AD WIBALDUM ABBATEM.

Ut concessio sibi ab imperatore munere persui faciat.

(Anno 1153.)

Charissimo suo domino Dei gratia Stabulensi WIBALDO, A. suus quod suus, salutem cum fidei servitio.

Quantas possum, magnitudini vestrae gratias refero, quod eam, quam a Patre luminum accepistis benignitatem, cum ad omnes more vestro porrigatis, speciali tamen et continuata gratia utiliter et officiose ad meam usque parvitatē extenditis. Eapropter beneficiis vestris admonitus, et cor pro corde, cum vobis placuerit, fideliter exhibiturus, rogo, ut illud domini regis munus, quod opera vestra mihi collatum est, sed necdum apprehensum vel numeratum, ab Emisch comite de Liniges districto etiam, si opus fuerit, mihi acquiratis. Indecorum etenim mihi est et obrectatoribus meis risum generat, si quod exacto tempore habere debui, saepius frustra repetam. Ad haec si omnia recte apud vos et prospere aguntur, sic est, ut volo. Rescribite nobis de statu vestro, si placet; quia, sicut vobis mihi scribere non est onerosum, sic scripta vestra jucunda mihi recipere nec inutile est, nec inofficiosum. Salutat vos Ach. comes sacrarum largitionum et sollallicorum jucundorum. Salutat vos Hugo clericus et socius noster.

EPISTOLA CCCXCVIII.

STEPHANI EPISCOPI METENSIS AD WIBALDUM ABBATEM.

Aliquam ab eo consolationem optat, rogatque per imperatorem, illatum sibi et Ecclesiae dedecus emendari.

(Anno 1153.)

Dilectissimo suo WIBALDO Dei gratia id quod est in regali curia, STEPHANUS eadem gratia Metensis episcopus, se totum in dilectione et servitio.

Nisi repentina corporis nostri infirmitas nos graviter occupasset, ad praesentiam domini regis et vestram desiderabiliter visitandam persona nostra venisset, non littera, ob hoc maxime, ut super adversitatis nostrae infortunium aliquam a vobis consolationem caperemus. Nam, ut verum fateamur, quod per dominum Claravallensem pro bono pacis et salute videtur esse dispositum (204), non solum dolori nostro nullum remedium attulit, verum etiam mentem nostram graviore ulcere vulneravit. Quoniam tanti sceleris auctores de successu malitiae suae cornua assumentes, non solum impuniti evaserunt, verum etiam praemium inde receperunt. Rogamus propterea fraternitatem vestram, ut, quod modo nostrum tolerare est, illatum nobis; imo universae Ecclesiae dedecus per dominum regem emendari faciat.

(204) Hoc ultimum fuit S. Bernardi opus, cum tempore factus est reconciliatio, et Metense bellum deploratissimum ex insperato composuit, pacemque proscriptam revocavit: nam e lectulo, ubi te-

A

EPISTOLA CCCXCIX.

FRIDERICI IMPERATORIS AD WIBALDUM ABBATEM.

Injurias se ipsi a comite Sumereburc emendari jussisse. Ejus praesentiam cupit apud Coloniam.

(Anno 1153.)

FRIDERICUS Dei gratia Romanorum rex, WIBALDO Corbeiensi abbati, gratiam suam et omne bonum.

Si Palatinus comes de Sumereburc ad curiam venisset, correptiones et iudicii sententiam pro injuria, quam dilectioni tuae infert, non subterfugisset. Attamen sub obtentu gratiae nostrae ei praecipiendo mandavimus, ut praedium Hienstede tibi resignando, et beneficium, unde homines tuos expulit, eis remittendo, prorsus a tui et tuorum infestatione, sicut gratiam nostram diligeret, cessaret. De processu vero nostro scias, quia in festo Omnium Sanctorum Coloniam veniemus, ubi nobis tuam praesentiam exhiberi desideramus. Postquam vero familiari relatione injurias et gravamina tua ibidem cognoverimus, dilectioni tuae et hominibus terrae tuae evidentem ostendemus, quod pro devoto et diuturno obsequio tuo, quod nobis et regno haec impendisti gratiosum, apud nos favorem in omnibus obtinuisti. Quicumque enim serenitatem tuam in aliquo conturbaverit, gratiae nostrae offensam se incidisse procul dubio cognoscet.

EPISTOLA CCCC.

C STABULENSIUM MONACHORUM AD WIBALDUM ABBATEM.

Multa passi ab adversariis, et formidantes ecclesiae incendium, orant ut ad ipsos veniat, omnia pacifice compositurus.

(Anno 1153.)

Reverendissimo in Christo Patri suo et domine WIBALDO, Stabulensis Ecclesiae venerabili abbati, tota ejusdem Ecclesiae congregatio, quidquid pio Patri devoti debent filii.

Quantis necessitatibus astrictos, quantis perturbationibus anxios praesentium lator nuntius vester nos invenerit, suum est dicere. Filiorum autem vere vestrorum est, ubi propriae vires deficiunt, pium Patrem invocare, et praesentiae suae benignam protectionem humiliter implorare. Hucusque siquidem, Pater charissime, in amissione et detrimento rerum nostrarum quodammodo semper meliora sperantes, tacueramus; sed cum jam ecclesiae vestrae, ecclesiae, inquam, quam tantis laboribus et sumptibus adornastis, sicut ex ore domini episcopi Leodiensis accepimus, inimici, quos nunquam offendistis, minentur incendium, lacrymabiliter ad vos clamamus, et ad tantum nefas prohibendum et declinandum tempore opportuno benigne occurrere. Speramus enim in Domino et certum tenemus quod in adventu ve-

nebatur aegrotans, aliquantulum relevatus, ad opus charitatis progredi coactus, eo fortior, quo infirmior apparuit, ut loquitur Gaufridus in lib. v. De Vit. S. Bern., cap. 1.

stro, quidquid contra nos humanæ moliuntur adversitates, ad nihilum dirigetur, [f. redigetur] et Deo gressus vestros dirigente, omnia, quæ in absentia vestra nobis ablata sunt, ad omnem voluntatem vestram vobis restituentur. Nam et hi, qui maxime nobis adversantur, scilicet Salmucenses, æque ut nos adventum vestrum desiderant, et quidquid utrinque commissum est, per vos componi et resarciri exoptant. Declinabitur igitur, Pater charissime, paululum ad filios vestros, et, composita pace inter eos qui nos undique atterunt, rursus ad eos qui præsentia vestra delectatione potius quam necessitate fruuntur, redire absque perturbatione poteritis. Omnipotens Deus sanum et incolumem vos ad nos perducatur.

EPISTOLA CCCCI.

WIBALDI ABBATIS AD HENRICUM COMITEM DE SALMES.
Recenset damna omnia a suis [sic] Stabulensi monasterio illata, petitque ea emendari.

(Anno 1153.)

Præclaro et illustri comiti de Salmes, HENRICO, frater WIBALDUS Dei gratia Stabulensis abbas, spiritu scientiæ et pietatis abundare.

Ex mandato domini regis et jussu dominorum cardinalium Stabulaus reversi, multiplicibus prædis et rapinis, quas ministeriales et servi vestri fecerant, et castello vestro induxerant, eandem Ecclesiam vexatam et perturbatam reperimus. Siquidem homines vestri præter alia mala maxima, quæ enarrare longum est, in villa nostra Paletenmet abstulerunt nobis animalia centum, oves centum viginti, porcos octo, capras tres; et in Beringerivalle animalia sedecim; et apud Erkenberti mansum boves viginti octo, et in alia villa proxima castello vestro boves optimos viginti quatuor, ea occasione, quod frater villici nostri de Lernau viginti tantum vitulos vestris abstulerat. Perpendat itaque prudentiæ vestræ discretio, quam alienum fuerit ab omni nobilitate et æquitatis jure tantis malis nobilem Ecclesiam afficere, pro eo tantum quod villicus noster de Lernau, quemdam hominum vestrum, qui furto uxorem cujusdam ex nostris cum aliis bonis suis abduxerat, deprehensum, justitia cogente, oculis privare attentavit, cum hoc ipsum ei vestri concesserint, ut auctorem perpetrati sceleris insequeretur, et, si posset, prout gesserat, ei retribuere. Nos quoque cum super eadem re vos frequenter amice et suppliciter convenissemus, quippe cum jam vestri propter hoc eidem villico nostro panem nuptiis suis præparatum, et boves sex panem ipsum subvehentes, violenter rapuissent, non solum nihil profecimus, verum, sicut sequentia demonstrant, vestros omnes, ut creditur, ad oppressionem nostram animastis, neque enim putatur eos tam grandia absque vestro jussu et inchoasse et perfecisse. Animadvertat ergo ingenuitatis vestræ honestas, si nos et fratres nostros personam vestram super omnes principes terræ nostræ amplectentes et diligentes,

A tantopere opprimere debuistis pro hominibus qui, etsi nostri sint, tamen, ut ipse vidistis et audistis, a nobis coerceri nequaquam possunt, cum alii vagi et profugi incertitudine mansionum suarum nostros impetus declinent, alii vero obsequiis suis ita principum animos sibi devinxerint, ut ad offensam nostram et Ecclesiæ nostræ oppressionem ab ipsis jugiter protegantur. Nos autem in his omnibus antiquarum amicitiarum memores, querelarum nostrarum summam nobilitatis vestræ benignitati litteris significare curavimus, ut amore Dei et beatorum apostolorum Petri et Pauli sanctique Patris nostri Remacli et respectu orationum nostrarum, damnorum nostrorum, per vos potius quam per aliam quamlibet potestatem, recipiamus emendationem. B Sin autem, violentiam nobis illatam Deo, ac domino regi, et omnibus principibus regni atque hominibus nostris et fidelibus Stabulensis Ecclesiæ conqueri habemus.

EPISTOLA CCCCII.

HENRICI COMITIS DE SALMES, AD WIBALDUM ABBATEM
Ipsius arbitrio controversias suas omnes terminandas relinquit.

(Anno 1153.)

WIBALDO Dei gratia Stabulensi abbati, H. comes de Salmes, quidquid amicus amico.

Dilectioni vestræ notum sit de adventu vestro summopere me gaudere, tum spe discreti consilii vestri, tum solitæ pacis inter meos homines et vestros reformatione. Quamvis enim vinculum dilectionis nostræ homines vestri, imo adversarii vestri rumpere moliantur, Deo gratias, incorruptum remansit. Enarrare vero longum est quæ et quanta ex utriusque latere partis injuriose facta appareant. Relinquo igitur vestræ diligenti ac discretæ dispensationi, dignitatis vestræ prærogativa et familiaritatis vestræ conversatione injurias utrinque factas terminare. Scitis enim quoniam castellum meum Salmis et omnia quæ possideo in pace et in guerra, vobis sicut mihi parata semper suberunt. Vestrum honorem et honorem meum tam in absentia mea quam in præsentia diligendo conservare, et conservando tueri velitis. Quod injuriarum vestrarum querelam scripto mihi significastis, de sinu dilectionis vestræ affirmo processisse, nostram prior vobis significassem, si reversio vestra mihi nota fuisset. Veniam ad vos quam citius poterō, vobis locuturus, et utriusque honore conservato, discretis sermonibus vestris obtemperans.

EPISTOLA CCCCIII.

LITTERÆ WIBALDI ABBATIS AD SUCCESSORES SUOS.
De reformato quodam abusu introducto a Poppone II abbate.

(Anno 1153.)

In nomine sanctæ et individuae Trinitatis, WIBALDUS Dei misericordia Stabulensis abbas, successoribus suis et cunctis Christi fidelibus in perpetuum.

Prælationis sarcina et officii nostri institutum nos

constanti ratione hortatur ut non solum congregata A servare, et ad recte vivendi disciplinam moderari debeamus, sed etiam dispersa congregare, et ad justitiæ normam revocare, et ea, quæ vel a nobis recte geruntur, vel ab antiquis prave acta corriguntur litterarum beneficio attentius memoriæ commendare. Quocirca noverit omnium filiorum sanctæ Ecclesiæ industria, quod abbas Poppo secundus, noster utique prædecessor, inter multa non solum inutilia, sed etiam omni posteritati nostræ nociva, quæ adversus Ecclesiam sibi commissam, et adversus animam suam perperam commisit, post dissipatam enormiter multam substantiam monasterii, etiam personas Ecclesiæ pertinentes in opprobrium sempiternum præcipitavit, quando cuidam B Everardo de Richen dedit in beneficium, imo, ut verius dicatur, in maleficium, virorum ac mulierum ratiocinia et utilitatem, præter censum solum, quem Ecclesiæ solvebant, qui habitabant a proxima monasterio silva, quæ dicitur Sanias, usque ad fluvium qui dicitur Wisera. Opus vero malitiæ juris vocabulo palliavit, et taliter inbeneficiatos ædituos appellavit, quo nomine vocari solent monachi religiosi templi Dei et sacrorum custodes. Cum itaque malum hoc nostris temporibus pestifera propagine usque adeo esset dilatatum, ut non solum inter Sanias et Wiseram, sed etiam quaquaversum circuire poterant tales custodes, quin potius iniquitatis procuratores, famulos Ecclesiæ vexarent diris exactio- C nibus, videlicet hospitando, precando et substantias eorum, si quis uxorem de familia Ecclesiæ non habuisset, partiendo affligebant. Et clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, et post multas et longas ad Ecclesiam et ad nos vociferationes de necessitatibus eorum eripuit eos tempore illo, cum inclytus dominus noster rex Fridericus Aquisgrani moraretur, et tam nostro quam hominum clamore, qui ad curiam ipsius circiter ducenti concurrerant, miseratus, quæsit a quodam nobili viro Marcuardo de Grumbach, sententiam judicii, utrum aliquis abbas posset cuiquam laico in beneficium præstare censum sive alia ratiocinia hominum, qui ad altare jure proprietario pertinent, de quorum pensionibus luminaria templi et tecta procurantur. Consensu itaque domini Coloniensis archiepiscopi Arnoldi D secundi, et domini Leodiensis episcopi Henrici secundi, et domini Anselmi Havelbergensis episcopi, et omnium qui præsentibus aderant, judicatum est, ex juris ratione non posse fieri et in irritum debere revocari; quod et fecit piissimus rex nostra prece interpellatus, licet quartana febre tunc laboraret, et tales custodes in perpetuum aboleri decrevit. Inde cum ad domum nostram, quæ est in eodem oppido, fuisset regressi, convenit omnis multitudo in cappellam nostram, et omnes jussu nostro fidelitatem Ecclesiæ, et nobis, tactis sacrosanctis reliquiis juraverunt, per quam mox adjurati et admoniti dixerunt, hoc sui juris esse, ut nemini hospitationem vel preceationem debeant vel exsolvant; sed unaquæ-

que cognatio seu parentela proprium censuarium habeat, qui electione consanguineorum suorum per manum custodis ecclesiæ, videlicet unius ex fratribus nostris ordinatus, cognationi suæ præsit hoc modo, ut censum annuatim colligat et persolvat custodi, si quid in suos compares adversus legis decreta commissum fuerit, vel in sanguinis effusione, vel in hominum interfectione, seu in mulierum stupratione, ipse tam per se quam per advocatum reposcat, et de compositionibus duas partes custodi ecclesiæ, tertiam vero advocato repræsentet, Arnoldo scilicet, qui tunc erat advocatus, et successoribus ejus legaliter institutis. Nullus uxorem ducat de aliena familia, nisi per licentiam censuarii sui. Quod si licentiam non habuerit, et uxorem, quæ non sit de familia Ecclesiæ, duxerit, compositio hujus delicti et poena erit in arbitrio censuarii. Is vero qui per licentiam, ut dictum est, duxerit alienam, cum obierit, dabit uxor ejus vel filii censuario supremum vestimentum, id est cappam seu chlamydem, ac per hoc substantia ejus, sicut prius facultatum erat, non dividetur. Hanc fuisse parentum et progenitorum suorum legem, et ad Ecclesiam respectum, juraverunt duodecim ex ipsis natu majores, quorum nomina subterscripta sunt, scilicet, Petrus, Werricus, Herimannus, Godefridus, Joannes, Willebertus, Heruardus, Ruzekinus, Gislebertus, Everlinus, Jordanus, Joannes, nec non nomina hæc sunt tredecim virorum, qui juramenta ipsorum vera esse testificati sunt, scilicet Eimundus, Walterus, Azelinus, Gislebertus, Theodericus, Godefridus, Wenricus, Everwinus, Hermannus, Balduinus, Godefridus, Waldo, Rumbertus. Nos vero et tunc in præsentibus, et postea in monasterio Stabulaus sub celebri conventu, sumpta stola et pastorali baculo, assensu omnium fratrum nostrorum, excommunicationis sententia interdiximus, ne aliqua persona parva seu magna præfatos homines et eorum progeniem infestare præsumat, et legem, quæ scripta est, ullo modo audeat contra ipsorum voluntatem infringere. Et ut hæc per omnes temporum successiones rata et inconvulsa permaneant, paginam hanc sigillo nostro et Ecclesiæ insigniri ac muniri jussimus, et testes, qui adfuerunt, subternotari. D Wibaldus Stabulensis abbas subscripsi.

EPISTOLA CCCCIV.

ANASTASII PAPÆ IV AD WIBALDUM ABBATEM.
Annuli usum ipsi ad vitam duntaxat concedit.

(Anno 1154.)

ANASTASIUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Corbeiensi abbati, salutem et apostolicam benedictionem.

Semper apostolica sedes, etc. *Vide in Anastasio papa IV ad an. 1154.*

EPISTOLA CCCCIV.

GREGORII CARDINALIS AD WIBALDUM ABBATEM.
De annulo sibi a sede apostolica indulto, et per Gerhardum cardinalem deferendo.

(Anno 1154.)

GREGORIUS Dei gratia diaconus cardinalis, reve-

rendo fratri et unanimi amico WIBALDO Stabulensi abbati, salutem, et, qua nihil est charius, charitatem

Quia inter cæteros regni abbates personam vestram quadam prærogativa dilectionis nobis univimus, ad honoris vestri gloriam et exaltationem, divina nos comitante gratia, efficaciter operam dedimus. Equidem secundum desiderium nostrum et preces, personam vestram mater vestra sancta Romana Ecclesia, oleo exultationis exhilarat, episcopalia vobis insignia concedens, ut vere Stabulensis gemino dignitatis ornatu fulgeat, abbatis et episcopi, qui præ consortibus suis ampliorem matris meruit dilectionem. Isaac Pater noster senuit, Rebecca tamen ministrat ei. Agite igitur, ut mater recognoscat in filio, per quod filius recognoscetur a multis. Annulum vobis legatus apostolicæ sedis Gerh. diaconus cardinalis portabit, qui vos tanta gratia investiet, et apostolico munimine roborabit. Nos vero in vestris opportunitatibus tanto sollicitum esse perpendite, quanto amicitiae virtus in causa amici non potest esse otiosa. De aliis petitionibus vestris legatus vobis justitiam faciet, cujus discretioni Teutonicorum commissæ sunt regiones

EPISTOLA CCCCVI.

O. AD HALBERSTADENSEM DECANUM, ARCHIDIACONOS, ETC.

Fredericum Palatinum comitem declarât excommunicatum.

(Anno 1154.)

O., Dei gratia modicum id quod est, dilecto filio E. decano cæterisque archidiaconis, et universali sanctæ Halberstadensi Ecclesiæ, salutem et benedictionem.

Liquet discretioni vestræ, quod domini decani cardinales sedis apostolicæ legati litteris suis mandando nobis præceperunt, quatenus F. (205) Palatinum comitem districte commoneremus, ut bona Corbeiensis Ecclesiæ ablata restitueret, et homines ejusdem Ecclesiæ inquietare desisteret; et si post nostram admonitionem, infra triginta dies hoc non adimpleret, canonica eum justitia coerceremus. Litteris itaque nostris diligenter a nobis super hoc commonitus, sicut vestra novit fraternitas, non solum nos audire contempsit, verum etiam manu in sacerdotem missa sacrilegii facinus incidere non formidavit. Apostolica igitur auctoritate et nostra præfatum comitem Palatinum F. utpote sacrilegum et inobedientem excommunicamus, et excommunicatum vobis annuntiantes, in vera obedientia præcipimus quatenus ab ejus communione penitus vos subtrahatis, et ab omnibus subditis vestris clericis et laicis id ipsum firmiter observari faciatis. Qui hoc mandatum sanctæ Romanæ Ecclesiæ et nostrum tenere et aliis annuntiare dissimulaverit, officii sui et beneficii jacturam procul dubio incurret, qui tan-

quam inobedientem eum domino papæ annuntiabimus

EPISTOLA CCCCVII.

MANUELIS IMPERATORIS CP. AD WIBALDUM ABBATEM.

De matrimonio Frederici imperatoris.

(Anno 1154.)

MANUEL in Christo Deo fidelis rex Porphyrogenitus, sublimis, fortis, excelsus Augustus et imperator Romeon o Comminos, honorabilissimo et sanctissimo abbati monasterii Stabulensis, gratiam suam et bonam voluntatem.

Littera reverentiæ tuæ delata est imperio meo, quæ declarabat, quod semper pro meo oras imperio, et imperium meum ab omni lingua audiens, quod super est tuæ virtutis, tuas semper advocat orationes, vultque memorari ipsius tuam sanctitatem in orationibus suis ad Deum, et orare eum pro prosperitatibus nostri imperii. De negotio vero connubii, de quo prænobilissimus rex Romæ et dilectus frater imperii mei nostro declaravit imperio, remisit ei imperium meum intentionem suam diffusius cum præsentibus nuntiis imperii mei. Vult enim imperium meum magis ac magis utrorumque regnorum unionem. Mense Novembri indict. II. Missa est a castro Pelagoniæ mense Novembri 22, indict. II.

Imperiale ad venerabilissimum abbatem monasterii Stabulensis.

EPISTOLA CCCCVIII.

C WIBALDI ABBATIS AD MANUELEM IMPERATOREM.

Amicitiam inter utrumque imperium pro viribus se firmaturum.

(Anno 1154.)

Inclyto triumphatori et glorioso domino suo MANUELI, fideli in Christo regi Porphyrogenito, sublimi, forti, excelso, Augusto et imperatori Romeon o Comminos, WIBALDUS Dei gratia abbas venerabilium monasteriorum, scilicet Corbeie et Stabulaus, fideles orationes et devotum servitium.

Sacratissimi imperii vestri affatus, quos per prudentissimos apocrisiarios vestros vestra nobis celsitudo transmittere dignata est, quasi quoddam munus cœlestis suscepimus; et tam pro incolumitate gloriosæ personæ vestræ, quam pro totius sacratissimi imperii vestri prospero statu et fortitudine humiles preces ad Dei clementiam cum aggregatis nobiscum in Christo fratribus effundere non cessamus. Porro de amicitia et fide inter dominum meum prænobilissimum Fridericum Romanorum imperatorem Augustum et sacrum imperium vestrum firmanda, pro facultate nostra diligentem operam impendimus, et ut secundum datam a Deo sapientiam, voluntati dilectissimi fratris vestri, quam per legatos suos majestati vestræ insinuat, assensum præbeatis, plurimum desideramus. Rex regum et Dominus dominantium ad honorem et gloriam suam

vitam vestram et quietem ab hostibus conservare A
in longa tempora dignetur.

EPISTOLA CCCCIX.

WIBALDI ABBATIS AD ANASTASIUM PAPAM.

*Gratias ei agit, et commendat ei Heribertum regis
capellanum.*

(Anno 1154.)

Reverendo in Christo Patri suo et domino ANAS-
TASIO uni et universali papæ, frater WIBALDUS Dei
gratia id quod est in Ecclesia catholica, devotum
servitium et debitam in Domino obedientiam.

Supplices et devotas gratiarum actiones celsitu-
dini vestræ referimus; quod semper pro vectibus et
necessitatibus nostris clementer intendistis, ex quo
primum dignationi vestræ notificari meruimus, et
præcipue nuper cum ad sanctitatem vestram pro
necessitatibus nostris et angustiis petitiones nostras
transmisimus, quas et misericorditer accepistis et
benigne adimpleri fecistis. Nunc ergo excellentiæ
vestræ attente commendamus Heribertum capella-
num domini regis, ut eum venientem ad beatitudi-
nem vestram pie suscipiatis, et benigne teneatis, et
eum in suis petitionibus clementer exaudiatis.

EPISTOLA CCCCX

C. ABBATIS PATHERBURNENSIS AD WIBALDUM ABBATEM.

*Gratulatur ei de reditu, doletque quod transeuntem
Patherburnam non exceperit*

(Anno 1155.)

Abbati, C. (206) humilis abbas vocatus Pather-
burnensis, se ipsum integre cum omni devotione.
In reditu vestro illud Virgilianum, tanquam de
vobis specialiter fuerit prolatum, occurrit, et fir-
miter insedit animo meo :

*O lux Dardaniæ, spes o fidissima Teucrum,
Quæ tantæ tenere moræ? quibus Hector ab oris,
Expectate, venis?*

(VIRG. *Æn.* l. II, v. 282, 84.)

Gratias igitur omnipotenti Deo, qui vos incolumem reddidit, et in hoc supplicum suorum preces exaudivit. Sed doleo, et mihi met iratus ad dignam poenam me offero, quod nuper, cum per nos transiretis, ego vobis non occurri, et diu desideratum vultum vestrum cernere non merui, quem et usque dum videam, anima mea renuit consolari. Bene tamen veneritis, et optime in Domino valeatis.

EPISTOLA CCCCXI.

W. EPISCOPI MINDENSIS AD WIBALDUM ABBATEM.

*Hominem sibi ab eo commendatum a comite Ottone
male habitum fuisse.*

(Anno 1156.)

Reverendo domino sanctæ Corbeiensis Ecclesiæ abbati WIBALDO, per misericordiam Dei W. (207) id quod est in Ecclesia Mindensi, assiduas orationes in Domino cum fideli devotionis obsequio.

(206) Conradus post Hamukonem Patherburnense Sancti Petri monasterium, vulgo Abdinghoff dictum, rexisse dicitur ab anno 1154 ad 1180.

Sanctitati vestræ omnem reverentiam et devotio-
nis obsequium exhibere cupientes, de reditu et so-
spitate vestra quamplurimum gaudemus, et ad
omnia, quæ vestra paternitas nobis mandaverit,
servire parati erimus. Dum hanc terram in obse-
quio regni exiretis, præsentium iatorem cum rebus
vobis nostræ tutelæ committere voluistis, quem nos
cum omnibus suis infra terminos nostros et extra
illæsum et intactum pro amore et memoria vestra
custodivimus, sed dum in quodam foro pro nego-
tiis suis esset, comes Otto hunc pauperem quasi
a sua advocatia profugum comprehendit, coarctavit,
donec decem marcas ei persolvit, pro quibus
domum suam exposuit, quam in civitate nostra
habuit, quam usque ad hanc diem supercrescente
B fœnore redimere non potuit. Vestri itaque viri dis-
pendia et damna graviter ferentes, et in hac parte
eum consolari non valentes, paternitatem vestram
devote rogamus, ut consolatione vestra accepta, ad
nos cum gaudio revertatur, quia pro reverentia ve-
stra eum custodire et manutenere non desiste-
mus.

EPISTOLA CCCCXII.

WIBALDI ABBATIS AD FRIDERICUM IMPERATOREM.

*Conqueritur de episcopis Osnaburgensibus qui quas-
dam decimas abstulerant, de comite de Sualenberg
qui comitem de Huxeria interfecerat, et de comite
de Tekeneburk, qui bona quædam Corbeiensium
fratrum occupaverat.*

(Anno 1156.)

Inclyto triumphatori et glorioso domino suo
FREDERICO Dei gratia Romanorum imperatori Au-
gusto, a Deo coronato, magnò et pacifico, frater
WIBALDUS Dei gratia id quod est in Ecclesia catho-
lica, in eo imperare et regnare qui dat salutem
regibus.

Licet rerum vestrarum statum et victoriarum ve-
strarum gloriam per sacratissimos affatus vestros
cognoscere non imeruerimus, tamen quoniam fama
referente, quæ interdum incerta pro veris spargere
solet, de sospitate et prosperitate vestra, verbum
bonum, verbum consolatorium accepimus, om-
nium bonorum largitori devotas et assiduas grates
referimus, supplici prece cum fratrum nostrorum
collegio, Dei misericordiam deprecantes, ut vobis
longævus dies tribuat, et eosdem semper in sua pace
D feliciter disponat, et omnes inimicos vestros sub
pedibus vestris celeriter conterat. Suggestimus autem
serenitati vestræ quod Osnebruggenses episcopi quas-
dam decimationes non parvæ utilitatis in Northlan-
dia Corbeiensi Ecclesiæ jam per longa tempora abs-
tulerunt, in cuius detrimento reclamacione nos di-
vina et vestra freti gratia, in tantum processimus,
quod dominus papa vices suas in hac causa domino
Magdeburgensi archiepiscopo commisit, qui etiam
tam nos, quam dominum Osnebruggensem episco-
pum ad præsentiam suam in civitate Merseburgh,

(207) Wernerus, qui ex præposito factus est epi-
scopus circa annum 1156, obiitque anno 1160.

vigesima prima die mensis Januarii evocavit. Quæ ex tenore litterarum suarum potestis cognoscere, propter clementiam vestram, de qua non parum confidimus obnixè flagitamus, ut eidem domino archiepiscopo imperiales apices destinare dignemini, quatenus pro vestræ jussionis reverentia, causam nostram benigne suscipiat et sine dilationis impedimento definiat, nec Ecclesiæ Corbeiensi aliquatenus obsistat, quod dono et privilegiis antecessorum vestrorum easdem decimationes a fundatoribus suis accepit, et longis temporibus in quiete et pæce possedit; et sine omni juris ordine per manifestam violentiam amisit. Præterea majestatis vestræ pedibus et animo et corpore advoluti, iteratam querimoniam ad vestræ celsitudinis aures referimus de occisione Thideri comitis de Huxaria, qui in expeditione vestra Italica vobis strenue ac fideliter servivit, quem dominus Widekindus de Sualemberch sedentem in jurisdictione sua, quam hæreditariam sibi a nobis jure obtinuerat, super consecratum ecclesiæ murum propriis manibus cum satellitibus suis interemit. Insuper tam nos, quam omnes fratres nostri potentie vestræ flebiliter conquerimur, quod comes de Tekeneburch bona nostra et fratrum nostrorum et pauperum, qui de hospitali vivunt, violenter occupavit, volens nos prædis et rapinis perurgere, ut prædium quoddam, quod Ecclesia Corbeiensis in tempore quatuor prædecessorum nostrorum abbatum quiete possedit, nos absque legum ratione dimittamus, cum nos parati simus et ei multoties obtulerimus in vestro iudicio, sive ducis, sive comitis, nos pro eodem prædio velle stare, et, si per legem amiserimus, sine impedimento a possessione recedere.

EPISTOLA CCCCXIII.

ADRIANI PAPÆ IV AD WICMANNUM ARCHIEPISCOPUM.

Causam quæ episcopum Osnabrugensem inter et Wibaldum abbatem de decimis vertebatur terminandam ejus iudicio committit.

(Anno 1156.)

ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei venerabili fratri WICMANNO, Madenburgensi archiepiscopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Dilecti filii nostri WIBALDI Corbeiensis abbatis relatione accepimus, etc. *Vide inter epistolas Adriani papæ IV, ad an. 1159.*

EPISTOLA CCCCXIV.

WICMANNI ARCHIEPISCOPI MAGDEBURGENSIS AD PHILIPPUM OSNABRUGENSEM EPISCOPUM.

Citat eum ad objecta Wibaldi abbatis responsurum.

(Anno 1156.)

WICMANNUS Dei gratia Magdeburgensis Ecclesiæ, utinam non indignus minister, PHILIPPO Osenbruck episcopo, salutem et fraternam dilectionem.

Dominus Wibaldus abbas Corbeiensis super quorundam decimarum repetitionem, quas sibi injuste ablatas et a vobis detineri conqueritur, a domino papa me sibi iudicem constitui postulavit et obtinuit. Igitur domini papæ mandato astricti, et sicut

ex tenore litterarum suarum potestis cognoscere, vicem ejus ipsius auctoritate in hac causa gerentes, quoniam oportet et sanum est nos obedire, fraternitati vestræ mandando præcipimus, quatenus decimo Kalendas Februarii præsentiam vestram nobis in Merseburg exhibeatis. Ibi siquidem domini abbatis querimoniam prædictam et vestrum responsum audiemus, et subtiliter hinc et inde rationibus cognitis, æquitatem iudicii diffiniemus.

EPISTOLA CCCCXV.

WICMANNI ARCHIEPISCOPI MAGDEBURGENSIS AD WIBALDUM ABBATEM.

Citasse Philippum episcopum Osnabrugensem coram se scribit.

(Anno 1156.)

WICMANNUS, Dei gratia Magdeburgensis archiepiscopus, dilecto in Christo fratri WIBALDO venerabili Corbeiensi abbati, fraternum cum orationibus obsequium.

Super negotio vestro, quid nobis a domino papa sit injunctum, domino episcopo Osenbruggensi scripsimus, eique ut suam nobis præsentiam in Merseburg exhibeat x. Kal. Februarii, auctoritate apostolica injunximus. Quod ideo fraternitatem vestram volumus scire, ne ante diem prænominatum festinetis venire,

EPISTOLA CCCCXVI.

WICMANNI ARCHIEPISCOPI MAGDEBURGENSIS AD WIBALDUM ABBATEM.

Osnabrugensis episcopi responsionem ei significat.

(Anno 1156.)

WICMANNUS, Dei gratia id quod est in Ecclesia Magdeburgensi, dilecto in Christo fratri WIBALDO venerabili Corbeiensi abbati, orationis atque servitii affectuosam exhibitionem.

Super negotio vestro, quid nobis a domino papa sit injunctum, domino Osenbruggensi significavimus. Locum ei in Mersburg, diem quoque decimo Kalendas Februarii denotavimus: nullum vero aliud responsum ab ipso adhuc accepimus, præter quod, nuntio nostro attestante, aiebât, se potius velle episcopatum dimittere quam decimas illas, quas Ecclesia sua sexaginta et amplius annis quiete possedit, sui episcopatus tempore perdere. Per eundem tamen nuntium verbis et non scripto mandavit, se nobis omnem, quam deceat, reverentiam libenter exhibere, super hoc autem verbo totius Ecclesiæ suæ tam cleri quam populi consilium se velle habere, ipsumque consilium per honestas et majores ejusdem Ecclesiæ personas nobis usque ad Epiphaniam ostendere. Unde, omnibus aliis omissis, unum hoc fraternitati vestræ respondemus, quod vitæ nobis incolūmitate servata x. Kal. Februarii, ita enim ex consilio ordinavimus, in loco condicto erimus, et sive dominus Osenbruggensis veniat sive non, secundum consilium fratrum et coepiscoporum nostrorum debita justitia, in quantum nobis erit, desiderium vestrum non fraudabimus. Exemplum lit-

terarum, quod petivistis, misimus, aliud non accepimus.

DE IMPERATORIBUS EX SANGUINE CAROLI MAGNI.

Imperator Carolus (208) parochiam Halberstadem certis undique circumscripsit terminis, suoque augustali imperio, et inprævaricabili privilegio firmavit dccciv Idus Maii, indictione x, sui autem regni trigesimo quarto, imperii vero tertio, ordinationis Hildegrini episcopi 22, in palatio Sarh [at. Saltz.] (209) nominato. Eodem etiam tempore habito conventu in palatio eodem, imperator omnes Saxones antiqua libertate donavit, eosque pro conservanda fide catholica ab omni solvit tributo excepto, quod eos omnes divites scilicet ac pauperes totius suæ agriculturæ ac nutrituræ decimas Christo ac sacerdotibus ejus fideliter reddere jussit. Carolo Magno successit Luthewicus Pius filius ejus. Post quem successit Luthewicus filius prædicti Luthewici. Quo defuncto successit ei filius suus tertius Luthewicus. Cui etiam successit filius suus Carolus rex. Qui octavo regni sui anno a regno deponitur, et Arnulfus in regem est coronatus, qui regni sui anno decimo tertio defunctus est, cui successit Luthewicus, qui cognominatus est Infans, et regnavit annis tredecim. Cui cum non esset filius, principes regni communi consilio Ottonem illustrem Saxoniam ducem in regem eligere voluerunt, sed per consilium ejus Conradus Francorum dux, qui de cognatione quarti Luthewici erat, coronatus est, et vixit annis novem. Hucusque Caroli proles regni tenuit fastigia. Dehinc Saxonici imperatores successerunt. Primus eorum Henricus Saxonum dux, filius prædicti Ottonis ducis, pater Ottonis primi imperatoris, ordinatus est.

EPISTOLA CCCCXVII.

FREDERICI IMPERATORIS AD WICMANNUM ARCHIEPISCOPUM MAGDEBURGENSEM.

Commendat ei causam Corbeiensis monasterii adversus episcopum Osnaburgensem.

(Anno 1156.)

FREDERICUS Dei gratia Romanorum imperator Augustus, dilecto suo WICMANNO Magdeburgensi archiepiscopo, gratiam suam et omne bonum.

Serenissimi imperatores, nostri utique prædecessores, divino edocti Spiritu sanxerunt ea, quæ ad beatissimæ jura spectant Ecclesiæ, tanquam ipsam sacrosanctam et religiosam ecclesiam venerabiliter ab omnibus illibatam custodiri, et ea potissimum quæ ab imperiali domo ad quodcunque religiosum collegium collata sunt, nulla vi aut dolo aut aliquo temerarii contractus nomine alienari. Horum utique rationabilibus inhærere vestigiis pietatis nostræ est præpositum, et omnibus Ecclesiis Dei, maximeque his, quæ imperiali specialiter ditioni subesse noscuntur, jura et possessiones earum conservare humanitatis nostræ est intentio. Unde quo-

(208) Quæ hic de Carolo leguntur, exstant in Chronico Halberstadensi edito tom. II script. rer. Brunswic. p. III; ita tamen ut pauca interdum interpo-

niam a pontifice almæ nostræ urbis Romæ judicem te ordinatum esse cognovimus super negotio, quod inter venerabiles principes nostros abbatem Corbeusem et episcopum Osenbruggensem actitatur, super quibusdam decimis a divæ recordationis Ludovico imperatore Augusto Corbeiensi Ecclesiæ collatis, sed postea nescio quo alienationis titulo ad episcopatum Osenbruggensem translatis, prudentiam tuam exoratum esse volumus, ut tenore privilegiorum Corbeiensis Ecclesiæ diligenter considerato, debitum et optatum finem eidem causæ imponas.

EPISTOLA CCCCXVIII.

FREDERICI IMPERATORIS AD WIBALDUM ABBATEM.

Quam prospere cum ipso omnia agantur, enarrat.

(Anno 1156.)

FREDERICUS Dei gratia Romanorum imperator Augustus, dilecto suo WIBALDO Corbeiensi abbati, gratiam et omne bonum.

De statu nostræ prosperitatis te tanquam specialem nostrum gaudere non dubitantes, eruditionem tuam scire volumus, quod nos compositis in Burgundia magnifice nostris negotiis, ipsius favente clementia, qui dat salutem regibus, prospero itinere ad partes Rheni sumus reversi, et Natale Domini apud Spiram gloriose celebravimus. Curiam quoque in Purificatione sanctæ Mariæ pro bono pacis firmando apud Ulmam habituri sumus; quæ finita aptatisque illius terræ negotiis, ad inferiores Rheni partes accedere statuimus, ut cornua superbiæ eorum, qui manus suas in serenissimum imperium nostrum extendere ausi sunt, in brachio virtutis nostræ ita recidamus, ut filii et nepotes eorum exemplo patrum correcti discant imperio se non opponere, sed ejus mandatis debito honore et reverentia subjacere. Ad quod celeriter peragendum, te tanquam præcordialem nostrum invitamus. Quæ in litteris tuis a nostra serenitate expostulasti, pro commodo causæ tuæ fieri jussimus, ipsi, Deo auctore, injuriam tuam debita severitate suo loco et tempore ulcisci cupientes.

EPISTOLA CCCCXIX.

WERNERI EPISCOPI MINDENSIS AD ARCHIEPISCOPUM MAGDEBURGENSEM.

Episcopum Osnabrugensem ad ipsum accedentem, Hildesii remansisse ægrotum.

(Anno 1156.)

Reverendo domino sanctæ Magetheburgensis Ecclesiæ archiepiscopo, W. per misericordiam Dei id quod est in Ecclesia Mindensi, assiduas orationes in Domino, cum fideli devotionis obsequio.

Apostolicæ sedi omnem reverentiam et vestræ paternitati omne devotionis obsequium exhibere cupientes, divinæ miserationi gratias referimus, quod dominus papa adeo vestram probavit experientiam, ut alta et sublimia Ecclesiarum negotia ad vestræ discretionis transmitteret diligentiam. Volentur.

(209) Palatium hoc regium ignotum fuit erudito viro Mabillonio.

nerabilis siquidem, frater noster Philippus Osenbruggensis episcopus, vestram ex mandato domini papæ aditurus præsentiam, in Mindensi loco apud nos receptus est hospitio, sed in ipso processu itineris magna nimis eum ægritudo occupavit: prius quidem ob magnitudinem infirmitatis suæ multas passiones sustinuit, sed ex labore itineris eadem ipsius infirmitas, usque ad defectum corporis ejus excrevit. Eodem itaque venerabili fratre nostro ad Hildenesheimensem civitatem descendente, et nobis vias ejus comitantibus, et usque ad conspectum vestrum ipsum perducere volentibus, tanta nobis ipsius ægritudo innotuit, quod nullatenus procedere potuisset, quem tam immoderata infirmitas ante et in via apprehendisset. Vestram itaque nobis hactenus in omnibus bonis expertam benevolentiam cum omni diligentia deprecamur, quatenus ob hanc necessitatem prænominati domini Philippi episcopi absentiam, intuitu nostræ devotionis et servitii, misericorditer sufferatis, atque personas honorabiles præsentium præsentatores, legationem ipsius ad vestram prudentiam deferentes, misericorditer remittatis, et dilectum dominum Corbeiensem, ut ab hoc verbo desistat, paterne commoneatis.

EPISTOLA CCCCXX.

FRIDERICI MONASTERIENSIS EPISCOPI AD WIGMANNUM
ARCHIEPISCOPUM.

Commenat ei episcopum Osnabrugensem.
(Anno 1156.)

Domino WIGMANNO archiepiscopo reverendo, FRIDERICUS (210) Monasteriensium humilis minister, intimum servitii et orationis affectum.

Pertulit ad nos dominus Osenburgensis episcopus gravaminis sui causam et condoluimus, tum quia infirmus est et laborare non potest, tum quia Corbeiensis abbas injuriam ei videtur inferre. Eapropter excellentiam vestram commonitam esse cupimus et rogamus obnixius, quatenus eum, tanquam senio-rem et coepiscopum manuteneatis, et nullam omnino ei injuriam fieri sinatis. Perspicuum est enim, ut, si forte, quod absit! unus opprimatur, ad plures tam episcopos quam archiepiscopos tantum incon-veniens derivetur. Valete.

EPISTOLA CCCCXXI.

B. HILDESHEIMENSIS EPISCOPI AD WIGMANNUM ARCHIEPISCOPUM MAGDEBURGENSEM.

Orat excusari episcopum Osnabrugensem, qui infirmitate detentus ad eum accedere nequit.
(Anno 1156.)

Reverendo domino WIGMANNO, sanctæ Magdeburgensis Ecclesiæ archiepiscopo, B. (211) Dei gratia Hildenesheimensis humilis minister, devotas orationes in Domino et servitium.

Venerabilis frater noster Philippus Osenbrug-

(210) Hic Fridericus anno 1152 Aquisgrani ordinatus episcopus ab iisdem præsulibus, qui imperatorem Fridericum unxerant; omissus est in catalogo episcoporum Monasteriensium apud Bucelinum in sua

gensis episcopus vestram ex mandato domini papæ ad negotium domini Corbeiensis abbatis aditurus præsentiam, in ipso processu itineris magna nimis occupatus est ægritudine: prius quidem ob magnitudinem infirmitatis suæ multas et graves passiones sustinuit. Verum ex labore inchoati itineris eadem ipsius infirmitas vehementer augmentata fuit. Eodem itaque præfato venerabili fratre nostro jam dicto itinere ad nos in civitatem nostram descendente, tanta nobis ipsius ægritudo innotuit, quod nullatenus processisse potuisset, nisi vitæ suæ conservationem omnimodis postponere vellet. Vestram itaque nobis hactenus exhibitam benevolentiam cum omni diligentia deprecamur, quatenus ob hanc necessitatem prænominati domini Philippi absentiam intuitu nostræ petitionis et servitii patienter sufferatis, atque personas honorabiles præsentium præsentatores, legationem ejus ad vestram prudentiam deferentes misericorditer et in dilectione remittatis. Ipse etenim divina gratia ab imminente periculo ereptus, ubi sibi vestra sublimitas significaverit, pro prænotato negotio absque tergiversatione se vestro conspectui præsentabit. Gratias Dei vobiscum.

EPISTOLA CCCCXXII.

WIGMANNI ARCHIEPISCOPI MAGDEBURGENSIS AD ADRIANUM PAPAM.

Reddit rationem ac commissa sibi causa inter episcopum Osnabrugensem et abbatem Corbeiensem.
(Anno 1157.)

ADRIANO Dei gratia sanctæ Romanæ Ecclesiæ summo et digne reverendo pontifici, WIGMANNUS Magdeburgensis provisor humilis, tam voluntariam quam debitam obedientiam, cum orationibus ac fideli servitio.

Super querimonia, quam dominus Wilaldus Corbeiensis venerabilis abbas, adversus dominum Philippum episcopum Osenbrugensis Ecclesiæ habet, pro quibusdam decimis Ecclesiæ Corbeiensi ab Osenbrungensibus injuste, sicut asserit dominus abbas, ablatis, injunxit nobis paternitas vestra, quatenus utramque partem in præsentiam nostram evocarem et, utriusque partis auditis allegationibus, causis etiam hinc et inde diligenter discussis, finem debitum tantæ controversiæ imponeremus. Cujus rei gratia litteris ad utrosque directis locum et diem certum eis præfinivimus, nec non ad cooperandum nobis in discussionem tanti negotii suffraganeos Ecclesiæ nostræ episcopos eodem ascivimus. Venit dies, venimus et nos cum fratribus et coepiscopis nostris ad locum præfinitum, dominus etiam abbas cum Ecclesia sua Corbeiensi præsentiam suam nobis obedienter exhibuit; solus ex omnibus, cui vocati fue-

Germania sacra.

(211) Bruno, qui Bernardo anno 1153 defuncto successit ad 1160.

rant, dominus Osenbrugensis non adfuit, duos ta-
men ex canonicis Ecclesiæ suæ Thid. et Theth.
nuntios pro se misit. Ventum est ad causam, le-
cta est ibi seriatim Corbeiensium querimonia,
non de novo, non de nihilo, sicuti dabatur intel-
ligi, exorta, sed coram dominis ac Patribus no-
stris Romanis pontificibus ex antiquo ventilata.
Cujus seriè audita, assurrexerunt prædicti nuntii
asserentes dominum episcopum suum pro reve-
rentia et mandato vestro iter quidem post nos
arripuisse, non modicum viæ spatium de domo
sua processisse, sed in ipso, quo veniebat itinere
tanta corporis invalidudine prægravatum, ut ne
ultra posset procedere, eaque necessitate ipsum
eo, unde venerat, non sine labore gravi fuisse
reversum. Addideruntque eum reddita sibi sani-
tate libenter ad nos alio loco alio tempore ventu-
rum. Quorum assertionibus, ut pronior adhibere-
tar fides, litteras dominorum episcoporum Hilde-
nesheimensis et Mindensis, qui eundem episco-
pū in domo quisque sua collegerat, præ mani-
bus habebant, quarum eadem fuerit continentia,
quā nuntiorum sonuerant verba. Quibus cum
needum ad plenum crederetur, dixerunt se velle
juramento monstrare dominum suum non venisse,
non ideo, quia venire non voluit, sed quia venire non
potuit. Dominus abbas econtra, non leviter, in-
quit, hoc juramentum præstabit nobis fidem tantæ
imbecillitatis in domino Osenbrugensi, quia qui
potuit in sua redire, nisi voluntas defuisset, po-
tuit et prodire. Addidit quoque dominos episco-
pos, quorum litteræ ibi lectæ fuerant, de re non
satis certa minus caute testificatos esse. Cum-
que in hunc modum hinc et inde disceptarent,
ante expectatum appellavit in hæc verba.

Ego Wibaldus, Dei gratia Corbeiensis abbas,
appello dominum papam Adrianum, et provoco
ad præsentiam ejus dominum Philippum Osen-
brugensem episcopum, responsurum domino papæ
et nobis in octava Sancti Martini episcopi, de de-
cimationibus baptismalium ecclesiarum in Nortl,
Wrederen, Meppie, Aschentorp Loninge, Visbike, cum
suis antiquis terminis, quas decimationes Corbeiensi
Ecclesiæ injuste aufert. Etiam Thid. provoco præ-
positum et magistrum Thethdum, qui ad grava-
men causæ nostræ de re incerta jurare volunt,
præscripta die, in præsentia domini papæ, respon-
suros.

Audita appellatione, nihil ultra in causa proce-
dere præsumpsimus; sed vestro, Pater venerande,
iudicio examinandum relinquimus.

EPISTOLA .CCCCXXIII.

FRIDERICI IMPERATORIS AD WIBALDUM ABBATEM.

*Laudatum de fidelitate convocat Noviomagum, et
de expeditione in Mediolanenses.*

(Anno. 1157.)

FRIDERICUS Dei gratia Romanorum imperator
semper Augustus, WIBALDO dilecto suo Corbeiensi

et Stabulensi abbati, gratiam suam et omne
bonum.

Quod fama prædicat, operum censurâ declarat,
quod persona tua plurimis ornata virtutibus ad-
mirabili constantia et fidei puritate præfulget,
atque difficilius a fidelitate imperii, quam sol a sua
claritate discedit. Quare de tua honestate omni-
modis confidentes, graviora imperii negotia tuo
dicimus tractanda consilio, et sicut es fide ac pro-
bitate præcipuus, sic te in nostris negotiis pri-
mum et assiduum esse desideramus. Quod au-
tem jam longo tempore personam tuam ad nos
venire non jussimus, causa fuit, quod de im-
mensis Italicæ expeditionis et Græcæ legationis
laboribus nuper reversum diurnæ pausationis li-
centia placandum esse putavimus. Causa etiam
fuit, quod nusquam tuis partibus in tantum ap-
proximavimus, ut te ad nos sine difficultate tua
vocare possemus. Nunc autem quia statim post
Pascha versus inferiores partes iter dirigimus,
omnia illius provinciæ negotia sapientiæ tuæ con-
silio tractare volentes, rogamus ut in tertia Do-
minica post Pascha apud Noviomagum nobis oc-
curras. Præterea scire te volumus, quod expedi-
tionem, quam apud Wirzburg, in Apuleiam in-
diximus, ex quo Græcorum gentem de Apuleia
exterminatam esse comperimus, principibus duxi-
mus relaxandam, illis specialius necessitatibus
intendentes, quibus honor imperii magis oppri-
mitur, et quas amplius dissimulare cum honore
nostro nec possumus nec debemus, Mediolanen-
sis duntaxat populi superbiam ac temeritatem,
qua ecclesiæ et civitates Lombardiæ, sicut optime
nostri, multifarie destructæ sunt, et quotidie ad
contumeliam imperii destruuntur. Quorum inten-
tiones, nisi nostra potentia, celeri virtute præ-
veniat, gravior inde imperio horror emerget.
Inde est quod in die Palmarum, Fuldæ, ex con-
silio principum expeditionem indiximus Medio-
lanum a proxima vigilia Pentecosten futura us-
que annum et Ulmæ promovendam. Quam ex-
peditionem prudentiæ tuæ sub obtentu gratiæ in-
jungimus. Rogamus, ut sicut nostrum sigillum
convenienti dispositione de tuo arbitrio ordinasti,
ita etiam dominæ tuæ sigillum sine mora studeas
informare, et ad nos Aquisgrani sculptum affe-
ras et bene politum.

EPISTOLA CCCCXXIV.

FRIDERICI IMPERATORIS AD HENRICUM REGEM ANGLO-
RUM.

*Commendat ei Gerardum abbatem Solemniacensem.
(Anno 1157.)*

FRIDERICUS Dei gratia Romanorum imperator
Augustus, magnus et pacificus a Deo coronatus,
dilectissimo fratri et intimo ac speciali amico suo
HENRICO, illustri Anglorum regi, Northmannorum
atque Aquitanorum duci, fraternæ charitatis
et amicitiae indissolubilis firmissimam connexio-
nem.

Imperialem dignitatem decet sacrosanctis Ecclesiis et religiosis monasteriis in suis opportunitatibus manum clementiæ porrigere salutarem, ut divino cultui vacare liberius, et pro nostra et populi salute Dei misericordiam propensius valeant exorare. Quocirca venientem ad nos a partibus Aquitaniæ virum venerabilem Geraldum abbatem Solemniacensis monasterii, quem nobis attentissime commendavit nobis fidelissimus et charissimus Wilbaldus, abbas sacrorum monasteriorum imperii nostri Stabulaus et Corbeix, benigne suscepimus, et honorifice tractavimus, et in suis iustis petitionibus clementer exaudivimus, inter quas illa præcipua fuit, ut quoniam idem Solemniacense cœnobium in tuo principatu situm esse cognoscitur, pro sui commendatione et monasterii sibi commissi protectione imperiales apices ad tuam magnificentiam ei præstaremus, de nostra mutua et firmissima amicitia, quam fama prædicante cognoverat, maxime confidens, quod rem æquam et honestam pro nostræ intercessionis gratia benigno et faciliore animo perficias. Eapropter nobilitatem tuam attente monemus, ut sicut regiam decet clementiam, prædicti abbatis personam præscriptum et monasterium sub tua protectione commendatum habeas, et a pravorum hominum infestationibus virtute tibi divinitus collata, defendas.

Data Aquisgrani palatio, secundo Nonas Maii indictionis quintæ.

EPISTOLA CDXXV.

HENRICI DUCIS BAVARIÆ ET SAXONIÆ AD IMPERATOREM
FREDERICUM.

De gratia Widikindo de Sualemberg indulta et pœnitentia imposita.

(Anno 1157.)

Serenitati vestræ significo, quod Widikino de Sualemberg, fœrefacta sua remisimus sub hac pœnitentia, consilio et petitione domini Patherburnensis episcopi et fratris sui Folcuini, nec non aliorum amicorum suorum. In placito, quod Corbeix in rogationibus habui, omnem Teutonicam terram, quam nobis Rhenus dividit, forjuravit, ad festum sancti Jacobi transiturus, nec unquam, nisi mea vocatione reversurus. Prius autem domino abbati Corbeiensi, nec non viduæ et pupillis Theoderici comitis, quem occidit, secundum consilium et præceptum meum satisfaciet et placabit. Castrum meum Dasemberch remota omni conditione vel verbo gratiæ recepi, sicquæ is, qui prius beneficia sua beneficii jure a me perdidit, hoc quoque dimisit.

EPISTOLA CDXXVI.

WIBALDI ABBATIS AD ADRIANUM PAPAM.

Scribit in gratiam Gerardi canonici de Aiuncurt.

(Anno 1157.)

Rèverendo in Christo Patri suo et domino ADRIANO uni et universali papæ frater WIBALDUS Dei gra-

tia id quod est in Ecclesia catholica filialem in Christo dilectionem et promptum per omnia devotionis obsequium.

Cum essemus in synodo domini Leodiensis episcopi, Gerardus quidam scholaris conquestus est, quod quidam Gislebertus de Aiuncurt (212) præbendam sibi auferret, quam ei dederat sub multorum testimonio dominus Walterus abbas monasterii Sancti Laurentii, qui nunc eidem monasterio regulariter præest, præbendam videlicet vacantem, quæ fuit nuper defuncti quondam Rumberti clerici, et quod a prædicto abbate, per litteras et idoneos nuntios jussus fuisset prænominatæ præbendæ stipendia capere, sed prohibitus esset a prædicto Gisleberto per violentiam, intentatis etiam mortis minis. Ad hæc vero Gislebertus respondit, quod eadem præbenda sibi jure pertineret, pro eo quod antecessor præscripti abbatis Walteri dedisset ei præbendam, quæ prima in eadem ecclesia vacaret. Auditis itaque partis utriusque allegationibus, dominus episcopus secundum consuetudinem ejusdem Ecclesiæ, sententiam judicii archidiaconos suos et totum clerum interrogavit qui omnes una et consona voce protulerunt Gerardi ex jure esse præbendam, quam per decessum recentem Rumberti clerici recentem eam canonicè acceperat, potius quam Gisleberti, qui pollicitationem in mortis alicujus captatione aucupaverat. Quæ sententia ab uno archidiaconorum promulgata, ab universis qui in synodo erant approbata est, et cum episcopus omnium auctoritate fretus supradictum Gerardum scholare jussisset præbendæ suæ integraliter restitui, adversarius ejus Gislebertus non a sententiâ, sed ab executione, vestræ celsitudinis nomen appellavit. Est quoniam vestræ auctoritatis est de qualitate appellationum judicare, vestram beatitudinem attenta devotione exoramus, ut appellationis remedium, quod non tantum a sanctissimis Patribus nostris venerabilibus sacrosanctæ matri nostræ Romanæ Ecclesiæ pontificibus, ad revelandas oppressorum causas inspiratione divina institutum est, sed etiam a prudentissimis regni sæcularis imperatoribus mirabili providentia est ordinatum, tanta discretione moderare dignemini, ut propter frivolas et superfluas appellantium licentias innocentibus non vertatur in perniciem, quod oppressis provisum est in salutem. Hoc etiam vestra sublimitas malum radicatus amputare non differat, ne in episcopatu Leodiensi, qui semper ab hoc vitio alienus fuit, aliquis ambitiosus mortem alicujus vel emat, vel capter, vel desideret seu machinetur, sed tunc dentur ecclesiastica beneficia, cum, decedente persona possidente, rite vacaverint.

(212) Hæc de Aiuncurte collegiata ecclesia, a Beringero S. Laurentii abbate fundata, ante trecentos annos, Lovanium translata est in ecclesiam S. Jacobi.

EPISTOLA CDXXVII.

ADRIANI PAPÆ IV AD WIBALDUM ABBATEM.

Camaldulenses Betardingorum et S. Petri de Rota ei commendat.

(Anno 1157.)

ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Stabulensi abbati, salutem et apostolicam benedictionem.

Licet omnium Ecclesiarum nobis cura et sollicitudo immineat, etc. *Vide in Adriano IV ad an. 1159.*

EPISTOLA CDXXVIII.

ADRIANI PAPÆ IV AD COLONIENSEM ARCHIEPISCOPUM, CONSTANTIENSEM EPISCOPUM, ET ABBATEM STABULENSEM.

Commendat ei monasterium S. Antimi.

(Anno 1157.)

ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Coloniensi archiepiscopo et Constantiensi episcopo, et dilecto filio abbati de Stabulaus, salutem et apostolicam benedictionem.

Tam rationis quam æquitatis ordo, etc. *Vide ubi supra.*

EPISTOLA CDXXIX.

ADRIANI PAPÆ IV AD ABBATEM CORBEIENSEM.

Commendat ei apud imperatorem res Ecclesiæ Romanæ et suos legatos cum ipso tractaturos.

(Anno 1157.)

ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Corbeiensi abbati, salutem et apostolicam benedictionem.

Devotionem ac reverentiam, etc. *Vide in Adriano papa IV, ad an. 1159.*

EPISTOLA CDXXX.

ADRIANI PAPÆ IV AD WIBALDUM ABBATEM.

Suos ad imperatorem legatos ei commendat.

(Anno 1157.)

ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto filio Stabulensi abbati salutem et apostolicam benedictionem.

Experta jam in multis, etc. *Vide in Adriano*

EPISTOLA CDXXXI.

ADRIANI PAPÆ IV AD ARCHIEPISCOPUM... BAVEMBERGENSEM EPISCOPUM ET WIBALDUM ABBATEM.

Abbatem et conventum Farsensem apud imperatorem eis commendat.

(Anno 1157.)

ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus archiepiscopo... et Bavembergensi episcopo, et dilecto filio WIBALDO Corbeiensi abbati, salutem et apostolicam benedictionem.

Quia Farsense monasterium, etc. *Vide in Adriano.*

EPISTOLA CDXXXII.

FREDERICI IMPERATORIS AD WIBALDUM ABBATEM.

De legatis Polonorum.

(Anno 1157.)

FREDERICUS, Dei gratia Romanorum imperator et semper Augustus, dilecto suo WIBALDO Corbeiensi et Stabulensi abbati, gratiam suam et omne bonum.

A Dignas grates agimus dilectioni tuæ quod post curiam Bavembergensem ita vicinus et paratus nobis adfuisti, ut forte a majestate nostra vocatus sine cunctatione vel dilatione ad omnes jussiones nostras explendas devotus occurreres. Scire itaque tuam prudentiam volumus quod magni legati Polonorum in Halla ad nos venerunt; sed nullum tale verbum, unde remanendi nobis daretur occasio, ad nos detulerunt, a quibusdam suis fautoribus in hanc spem inducti, quod nullo modo instantem expeditionem peragere possemus. Inde nos in misericordia Dei, in cujus manu cor regis, omnem fiduciam nostram ponentes, ii nonas Augusti movimus expeditionem, rogantes quam intime dilectionem tuam, ut apud divinam pietatem prosperos successus et felicem reditum indefessis precibus nobis obtineas. Si vero Græci interim venerint, ordinavimus eos in Wormatia reditum nostrum præstolari. Illuc quoque post reditum nostrum per litteras nostras evocatus indubitanter accedas, quia, te inconsulto, nihil cum Græcis tractare proposuimus.

EPISTOLA CDXXXIII.

R. MONACHI AD WIBALDUM ABBATEM.

Gratias agit quod ipsius obtentu ab episcopo Metensi honorifice sit susceptus.

(Anno 1157.)

Domino et patri suo reverendo Stabulensi et Corbeiensi abbati WIBALDO, frater R. Dei gratia modicus, exiguas orationem et devotum obsequium.

C Gratia benignitatis vestræ me Mettim eunti comitata est, et mecum fuit et elaboravit, ut fierem acceptus coram domino meo episcopo hoc tempore. Honorifice enim et familiariter ab eo et a suis susceptus, habitus, et dimissus sum, ut patenter cognoscerem secundum vulgare verbum, mentum meum in natendo manu vestra sustentari. Prudentiæ igitur vestræ in his et similibus plurimum innitens, gratias refero summo provisorio, obnixius deprecans, ut vos nobis et nostris salvum et incolumem sine fine custodiat, et quod non possum, ipse retribuat.

EPISTOLA CDXXXIV.

FREDERICI IMPERATORIS AD WIBALDUM ABBATEM.

De victoria reportata in Polonos.

(Anno 1157.)

D FREDERICUS, Dei gratia Romanorum imperator et semper Augustus, dilecto suo WIBALDO Corbeiensi et Stabulensi abbati, gratiam suam et omne bonum. Quantam in expeditione Polonica (213), quam nuper gloriose peregrimus, divina pietas gratiam nobis contulerit, quantave gloria et honore Romanum imperium exaltaverit, Poloni sub jugo dominationis nostræ reducti protestantur, et nos, quo plenius possumus, dilectioni tuæ duximus significandum. Polonia quamvis arte et natura admodum munita esset, ut antecessores nostri reges et imperatores

(213) Hanc in Polonos expeditionem ad annum 1157 consignat Radewicus cap. 4, quem vide si libet.

vix magnâ difficultate ad fluvium Oderam pervenissent, nos tamen in virtute Dei, qui visibiliter nos præcessit, clausas illorum, quas in angustis locis præcisa arborum densitate fecerant et magna ingenii mole obstruxerant, penetravimus et in octava Assumptionis sanctæ Mariæ fluvium Oderam, qui totam terram illam quasi muro vallat, et profunditate sua omnes excludit, contra spem Polonorum cum omni exercitu nostro transivimus. Tanta enim erat omnibus transeundi aviditas, ut alii profundis gurgitibus se immergerent, alii vero transnarent. Quo viso Poloni, vehementer exterriti, et jam nihil præter exitium et destructionem terræ sperantes, munitissima castra Glogowa et Bitum et alia plura, quæ prius ab hoste capta non fuerant, timore nostro incenderunt, et ipsi, quamvis auxilio vicinarum gentium, Ruthenorum, Parthorum, Pruscorum, Pomeranorum maximum exercitum collegissent, a facie nostra fugerunt. Hos vero fugientes insecuti sumus, et per episcopatum Frodezlaui et episcopatum Posnam transcurrentes totam fere terram igne et gladio vastavimus. Dux itaque Poloniae cum terram totam et populum a facie manus nostræ periclitari videret, principes nostros tum per nuntios suos, tum in persona propria aggrediens, multis precibus, multis lacrymis vix tandem impetravit ut sub juga dominationis nostræ redire et gratiam nostram recuperare mereretur. In prædicto itaque episcopatu Posnan, in territorio Erisgowe, præfatus dux Boleslaus pedibus majestatis nostræ provolutus, interventu principum hoc ordine in gratiam nostram est receptus. Primo juravit pro se et pro omnibus Polonis, quod frater suus exsul ad ignominiam Romani imperii non fuerit expulsus. Deinde pollicitus est dare duo millia marcarum nobis et principibus mille et uxori viginti marcas auri et curiæ nostræ ducentas marcas argenti pro ea negligentia, quod ad curiam nostram non venerat, nec de terra debitam nobis fecerat fidelitatem. Juravit quoque expeditionem Italicam. Deinde juravit, quod ad curiam nostram Magdeburg in Natali Domini celebrandam venire debeat, super querimonia fratris sui expulsi plenarie responsurus. Sicque jurata nobis fidelitate, et de supradictis omnibus fideliter explendis acceptis obsidibus Casimiro, fratre ducis et aliis nobilibus, gloriose, Deo duce, revertimur. Cæterum quia in legatione Græcorum prudentiam tuam nobis adesse desideramus, mandando rogamus dilectionem tuam, quatenus in vigilia sancti Michaelis Wirzeburgh nobis occurrere festines.

EPISTOLA CDXXXV.

HENRICI DUCIS BAVARIÆ ET SAXONIÆ AD WIBALDUM ABBATEM.

Lætatur de ejus prosperis, promittitque curam se ha-

(214) Liesbornense antiquum est ordinis S. Benedicti in diocesi Monasteriensi cœnobium, a Carolo Magno in gratiam sororis suæ, ut aiunt, Roswindis

biturum de curte Papenheim, et Widikinum debita ei soluturum.

(Anno 1158.)

WIBALDO venerabili sanctæ Corbeiensis Ecclesiæ abbati, dilectissimo domino suo HENRICUS, Dei gratia Bavarie et Saxonie dux, devotum obsequium cum omni sincera dilectione.

Quod omnia, quæ ad honoris vestri augmentationem spectant æquo ordine procedant, toto corde diligimus et optamus. De cætero de curte vestra Papenheim, sicut nobis insinuastis, libentissime providebimus, et hanc curam castellanis nostris Dasenberg diligenter injungemus. Quod autem dominus Widikinus coram nobis promisit et non persolvit post reditum nostrum ab expeditione, et si non gratis, tamen in beneplacito vestro et nostro persolvat.

EPISTOLA CDXXXVI.

FREDERICI IMPERATORIS AD H. DE LIMBURG

Wibaldum abbatem honoret, nec quidquam attentet adversus res Stabulensis monasterii.

(Anno 1158.)

FREDERICUS, Dei gratia Romanorum imperator et semper Augustus, H. de Limburg, gratiam suam et omne bonum.

Æquum est, et valde imperialem magnificentiam decet, ut personæ, quæ imperio nostri promptiori devotione obsequuntur, et a nobis arctius diligantur, et ab omnibus, qui imperii nostri honorem diligunt, cum debita reverentia conserventur. Proinde industriam tuam attente rogando monemus ut fidelem nostrum Wibaldum Stabulensem abbatem, qui multum et diu in servitio nostro et imperii utilitatibus jam laboravit, honorare et diligere studeas, et Ecclesiam Stabulensem, cui præest, tueri et conservare non cesses. Interdicimus etiam tibi, atque sub obtentu gratiæ nostræ præcipimus, ne possessionibus eidem Ecclesiæ collatis a tuis antecessoribus aliquam violentiam inferas, neque eam aliquo modo vexare attentes, sciens procul dubio, quod eadem Ecclesia cum suis omnibus sub tutela et defensione imperii nostri constituta est, unde et quicumque eam læserit, nos offendet.

EPISTOLA CDXXXVII.

ADRIANI PAPÆ IV, AD BERNARDUM PATHERBORNENSEM EPISCOPUM ET GI. LIESBORNENSEM ABBATEM.

Quamdam causam ei committit terminandam.

(Anno 1158.)

ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri B. Patherburnensi episcopo et dilecto filio Gi. (214) Liesbornensi abbati, salutem et apostolicam benedictionem.

Latoris præsentium, etc. (*Vide in Adriano ad an. 1159.*)

fundatum, sæculo XII ad monachos transiit, floretque hactenus sub congregatione Bursfeldensi.

EPISTOLA CDXXXVIII.

A. MOGUNTINI ARCHIEPISCOPI AD WIBALDUM ABBATEM.

*Conqueritur de comite Palatino Rheni, deprecatur-
que imperatoris adversus eum auxilium.*

(Anno 1158.)

A. (215) Dei gratia Maguntinæ sedis humilis mini-
ster, WIBALDO reverendo Corbeiensis Ecclesiæ ab-
bati, salutem et intimam dilectionem.

Nonnullas gratiarum actiones vestræ referimus
benignitati, quod tam fraterne, tam affectuose lit-
teris vestris nos visitare curastis, et de statu do-
mini regis et vestro per gratiam Dei prospero nos
certificando vulnus sollicitudinis de corde nostro
amputare. Bonam igitur in vobis tanquam in fratre
et amico fiduciam habentes, conquerendo notifica-
mus, quod Palatinus comes de Rheno, teste Deo, B
nullam in nos causam habens, contra fidem et sa-
cramentum, quo nobis erat astrictus, ex insperato,
ex improvise Ecclesiæ Maguntinæ et nobis cum
nonnullis iniquitatis suæ complicibus, violentiæ ma-
nus injecit, castra nostra destruxit, homines
nostros captivavit, curtes nostras non solum ra-
pinis devastavit, verum etiam suæ ditioni sub-
jecit, sacra cœmeteria et ecclesias spoliavit,
ipsa altaria et venerabiles reliquias ornamen-
tis suis denudavit, in monachorum irruens cœno-
bia, eorum perfringens æraria, sacrilegam exercere
rapinam non formidavit. Hujus quoque iniquitatis
auctores asserunt, et ubique divulgant, se ex man-
dato domini regis Ecclesiis Dei et nobis hanc inju-
riam irrogare, quod utique eos tanquam filios men-
dacii scimus falso conjecisse. Fraternitatem igitur
vestram semper in bonis nobis expertam, quam in-
time deprecamur, ut his pressuris nostris et tribula-
tionibus condolendo, domino regi suggeratis, ut Ec-
clesiæ suæ et nobis debito auxilio dignetur subve-
nire, et litteris suis ad partes nostras directis, falsos
illos delatores super imprudentia mendacii, quo
majestatis suæ fidem sincerissimam insimulare et
incrustare præsumebant, velit arguere et confutare.

EPISTOLA CDXXXIX.

ADRIANI PAPÆ IV AD WIBALDUM ABBATEM.

*Ut imperatori suggerat, ut in veneratione sedis apo-
stolicæ permaneat.*

(Anno 1158.)

ADRIANUS episcopus, servus servorum Dei, dilecto
filio WIBALDO Stabulensi abbati, salutem et aposto-
licam benedictionem.

Devotionem tuam, etc. *Vide in Adriano.*

EPISTOLA CDXL.

FREDERICI IMPERATORIS AD FREDERICUM EPISCOPUM
MONASTERIENSEM.*Causam inter Morinum ministerialem Corbeiensem
et Folkerum hominem ipsius ei terminandum com-
mittit.*

(Anno 1158.)

FREDERICUS Dei gratia Romanorum imperator Au-

(215) Arnoldus de Salenhofen, qui ex cancellario factus archiepiscopus, anno 1160 a civibus dicitur
occisus.

A gustus, F. Monasteriensi episcopo gratiam suam
et omne bonum.

Accepimus querelam dilecti et fidelis nostri ab-
batis Corbeiensis ac ministerialium ipsius pro quo-
dam viro nomine Maurino, quem captivum tenet
homo quidam liber nomine Folkerus de terra tua,
quem Corbeienses asserunt ministerialem esse Ec-
clesiæ suæ. Quia ergo imperii nostri dignitate in eo
maxime exaltamus, si iudicium et justitiam confu-
gentibus ad nos faciamus, attente industriæ tuæ
injungimus, quatenus acceptis his litteris nostris,
diem utrique parti præfigas, et auditis utriusque
partis allegationibus, et disquisita diligenter veri-
tate, si Corbeienses per consanguineos illis probare
potuerint, quia sit minister ministerialis Ecclesiæ
Corbeiensis, liberum eum restituas, sin autem hoc
probare non valuerint, prænominato viro eum re-
mittas.

EPISTOLA CDXLI.

FREDERICI IMPERATORIS AD CAPITULUM OSNABURGENSE.

*Ut de controversia quæ ipsos inter et Corbeienses
versabatur de decimis, amice componant.*

(Anno 1158.)

FREDERICUS, Dei gratia Romanorum imperator
Augustus, præposito et decano et universo clero
Osnaburgensis Ecclesiæ, gratiam suam et omne
bonum.

Memor supplicationis vestræ, quæ unanimiter ia
conspectu nostro, cum essemus apud vos, profu-
distis, ut querelam dilecti et familiaris nostri Wi-
baldi Corbeiensis abbatis ac fratrum ipsius, quam
habent pro decimis in episcopatu Osnaburgensi,
sedare et componere tentaremus in curia quam
apud Bavemberch in octava sancti Joannis Baptistæ
celebravimus, cum eodem fidei nostro de hoc verbo
tractavimus. Sed manifestius et plenius intellecta
ab eo tota causa, quia videlicet Corbeiensis Eccl-
esia easdem decimas a primordio constructionis
ipsius monasterii collatas sibi a fundatore suo im-
peratore suo Luthowico, et ab omnibus successo-
ribus illius imperatoribus et regibus privilegiis con-
firmatas, legitime possedit, usque ad tempora abavi
nostri Heinrici quarti imperatoris, qui in discordia
illa, quæ fuit inter eum et papam Romanum, ipsas
decimas pro quadam indignatione cuidam Osna-
burgensi episcopo concessit. Audita, inquam, tota
serie hujus causæ, memoratum fidelem nostrum
abbatem a querela sua, licet justa, hoc tempore
cessare, et ab appellatione, quæ episcopum vestrum
et præpositum Theodericum atque magistrum The-
thardum in præsentiam apostolicæ sedis vocavit,
pro nostra dilectione desistere monuimus, idque ab
eo multum reluctante ægre tandem obtinuimus.
Hanc ergo querelæ dilationem nolumus, ut in aug-
mentum elationis vobis assumatis, sed hoc vobis
ante monendo præcipimus ut, cum prædicto abbate
et Corbeiensi Ecclesia iterum componere de eadem

querela studeatis. Nos enim, cum tempus acceperimus, si prius composita non fuerit, eandem quæ-
moniam per nos ipsos discutemus, et tam pro Ec-
clesia Corbeiensi, quæ ad jus imperii nostri spe-

ctat, quam pro persona, quæ ibi præest, quæ diu et
multum imperio servivit, sive judiciario ordine, sive
alia convenienti compositione, eandem causam
terminabimus.

APPENDIX AD EPISTOLAS WIBALDI

Ne quid in nobis ad illustrandam eximii viri Wibaldi abbatis Stabulensis et Corbeiensis memoriam desiderent viri eruditi, ipsius epistolis visum est subijcere per modum Appendicis nonnulla monumenta sive diplomata quæ cum aut ipse obtinuerit, aut de ipso agant, ad illius commendationem non parum conferre poterunt. Ea autem sive ex mss. insignis monasterii Corbeiensis, sive aliunde a nobis collecta sunt.

I.

Diploma Frederici archiepiscopi Coloniensis, de subjectione Malmundariensis monasterii et superioritate Stabulensis supra illud.

(Anno 1128.)

In nomine sanctæ et inviduæ Trinitatis, FRÆDERICUS, Dei gratia sanctæ Coloniensis Ecclesiæ archiepiscopus, fratribus in Stabulensi cœnobio commenantibus æternam in Domino salutem.

Memores Scripturæ dicentis : *Beati pedes pacem portantes*; sicut nos in Ecclesiis nostris bonum pacis et concordie conservare studemus; ita in eis et ab eis scandalorum et dissidii occasionem præcidere curamus, et sicut nostra in suo statu permanere cupimus, sic aliorum juste habita convellere formidamus. Eapropter materiam dissensionis et discessionis, quæ hactenus Stabulensem et Malmundariensem Ecclesiam longa simultate vexavit, reseccare volentes, subministrante nobis fratre Wibaldo (216) Stabulensis Ecclesiæ magistro atque portario, supradictorum locorum foundationem, et Stabulensis Ecclesiæ privilegia diligenter relegimus, in quibus inventum est beatum Remaclum utriusque loci ædificatorem, post constructum primo a se Malmundarium, suæ et successorum suorum habitationis et sepulturæ, principalem locum apud Stabulaus elegisse, et pro eo quod idem locus in Leodiensi parochia est, omnes per successionem utriusque loci abbates ab episcopo Leodiensi consecrari debere. Ad hoc etiam accedit quod omnia privilegia, tam hanni leugæ quam electionis abbatum, et quæ de jure advocati agunt, quæ ab imperatoribus et regibus eisdem locis multa collata sunt, et eadem, ab apostolicis Gregorio V et Leone IX apostolica auctoritate roborata, quibus jus suum utraque Ecclesia tuetur, apud Stabulaus recondita sunt; in quibus illa Stabulensis Ecclesiæ præeminet dignitas, ut pace Malmundariensium, primam vicem in eligendo abbate Stabulenses obtineant; et de seipsis

(216) Non multo post factus abbas Stabulensis, deinde Casiensis; tum Corbeiensis; quatuor impe-

B idoneam personam sine Malmundariensium calumnia assumant. His ita se habentibus, perspicuum est, quod Ecclesia Stabulensis principatum obtineat, Malmundarium vero subjectionem ei et obedientiam debeat. Quod Malmundarienses eo usque hactenus infirmare conati sunt, ut tempore divæ memoriæ Ottonis secundi dissidio facto, abbatem per se habere vellent, quod in Engelheim judicio viginti episcoporum, ut in privilegio supradicti imperatoris, quod super eadem re habetur, legi potest, cassatum est. Tempore quoque domni Henrici imperatoris hujus nominis quarti per domnum archiepiscopum Annonem rursus facto divortio, abbas quidem Malmundarii ordinatus est, sed per beatum Remaclum in curia regis miraculis inæstimabilibus coruscantem convictis omnibus qui adversæ partis aderant, receptum est a Stabulensibus Malmundarium. Nos vero ut jam dictum est, omnem materiam dissensionis et scandali secundum tenorem veritatis et rationis a præfatis locis auferre cupientes, constituimus, et præsentis privilegio in perpetuum firmamus, ut utriusque loci unus semper præficiatur abbas electus secundum quod in supradictis privilegiis habetur, et ut Malmundarium eo subjectionis jure Stabulensi Ecclesiæ obediat, quo jure omnes cellæ vel præposituræ suis cœnobiis subesse videntur. Benedictionem monachicam et professionum suarum chirographa, non ut præsentis anno fecerunt, sed potius in Stabulensi Ecclesia, excepta mortis necessitate, faciant et reddant, nec eis ad exemplum opitulari debet hoc aut potest, quod jam moto præfato dissidio, abbas Theodoricus quosdam ex Malmundariensibus Malmundarii benedixit et profiteri fecit, ut scilicet pro hoc fideliores et subjectiores sibi faceret, quod cum non effecisse finis rerum indicavit. Neque vero ullus successorum nostrorum Coloniensium videlicet archiepiscoporum abbatem Stabulensem de subjectione sibi faciendâ et cura Malmundariensis loci suscipienda, ut notatoribus, Henrico IV, Lothario II, Conrado II et Frederico I in deliciis fuit.